BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 I
M9
Digitized by Google

Digitized by Google

SCHOLA
PAUPERTATIS

Manuducens ad puram obſervantiam Regulæ Fratrum Minorum, juxta Declarationes, editas à Nicolao III. Clemente V., & Innocentio XI.,

A C

Sacrarum Congregationum Decreta, & Sacræ Rotæ Deciſiones.

PRO PRAXI APTATA

A PATRE

F. AUGUSTINO MATTHÆUCCI

LUCENSE,

Ord. Min. de Obſer. S. Theol. Lectore Jubilato, & S. Rituum Congregationis Conſultore.

OPUS

Religioſis, tùm Superioribus, tùm Subditis neceſſarium, ac Advocatis, & Procuratoribus pro praxi in foro tenendo, in Controverſiis, quæ, tàm circà Legata Fratribus Minor. facta, quàm ſuper Eleemoſynis pro Cauſis Beatificationum, & Canonizationum oblatis, ac in caſu decoctionis Syndici Apoſtolici excitantur, valdè opportunum.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMÆ, ex Typographia Rocchi Bernabò. 1716.

SUPERIORUM LICENTIA.

Reverendiſſimo Patri

P. F. LAURENTIO
DE S. LAURENTIO

S. Th. Lectori Jubilato, ex-Guardiano Sacri Montis Syon, S. Congr. Indicis Conſultori, Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificatori, Diſcreto Ordinis perpetuo, & in Ciſmontana Obſerv. Familia Vice-Commiſſario Generali.

SCHOLA *Paupertatis*, REVERENDISSIME PATER, *nomini Tuo, & voluntate, & jure nuncupata, Tuum expectabat patrociniũ, ut in lucem, aliàs quovis titu-*

lo indiga, valentiſſimo cumulata præſidio interrita prodiret. Neque enim alterius fuerat aptiùs authoritati committenda, quàm Tuæ. Quæ poſt præſtita Sedi Apoſtolicæ obſequia, & Ordini officia in Terræ-Sanctæ regimine, ad curam evectus Ciſmontanæ noſtræ Familiæ communi omnium non interrupta ſollicitudine intentus ſolatio, non tàm nihil unquam prætermittis appoſitè agendum, quàm ſtudiũ adhibeas apprimè idoneum, nè diſciplina Regularis relaxetur, nevè puritas ipſa Regulæ corruptelarum caligine corrumpatur. Quibus tranſgreſſiones hortamen-

mentis non urges, conſiliis non arces? Quæ Subditorum putreſcentia (ſi quæ ſint) cadavera monitis charitatis ad fervorem obſervantiæ non revocas! Omnes ad conſueta Religionis exercitia opere accendis, & lingua. Paſtoralem virgam adeò ſuavitèr tractas, ut nihil ſuperſit felicitati Familiæ deſiderandum. Eximia cum humilitate prudentia, fervens cum diſcretione zelus, continuus cum devotione labor, ſpectabilis cum diſciplina modeſtia, ſancta cum amore juſtitia, diffuſa cum providentia charitas, moderata cum rigore manſuetudo, Tuum principatum

commendant: *ſummiſque elogiis Magiſterium concelebrat*, *quòd teneas in regimine monitum Auguſtini* in Regul. ad Ser. Dei: *ibi*: Ipſe, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente felicem: *ubi Subditos alloquitur, ut Prælatos erudiat. Aliâque ejuſdem Regulâ* ibid. plus à vobis amari appetat(*Superior*)quàm timeri, *animos Subditorum Tibi ſuavi violentia conſtringis*.

Hiſce tantis, tùm virtutis, tùm comitatis teſtimoniis exſtimulatus, in ſpem certiſſimam erectus poſtulata aſſequendi, Te præſentis lucubra-

tiun-

tiuncula Patronum, Vindicemque avocavi. Mihique tutela auguror beneficium, cùm documenta recenſeat, & monita referat Tuo potiſſimùm conſona genio, Zeloquè maximè accepta. Tua itaque faveat humanitas deſiderio: foveat vigilias, benedicat vigilanti: regat opus, erigat operantem. Vive, Deo propitio, Religioni apprimè utilis, Subditis adeò beneficus, æternùm felix. Hoc cupit, hoc ſuſpirat, & ex corde precatur.

P. V. R̃mæ

Obſequentiſſimus
Fr. Auguſtinus Matthæucci.

LECTORI.

NE pręſentis Opellæ editionis te occaſio fugiat, ſupereſt, ut de cauſa ſcribendi monearis: advertaſque Opus mihi commiſſum, ut Profeſſoribus Regulæ S. Franciſci lucubratiuncula pararetur, quæ eos tutò ſic manuduceret, ut à verò unquàm abſcederent. Mandatis adverſabar, nihil, parumvè pro futurum, cùm hujus ſcriptionis genus plures planè me ipſa longè peritiores, magiſque induſtrii, & Regulæ zelatores jàm priùs elegerint. At inutilitèr ſemper conatus ex eo, quòd non pauca in libris, aliàs doctis, & publico juri donatis,

tis,

Digitized by Google

tis, deſiderentur, vel Auctoribus obducta, vel ſubſecutis temporibus proſcripta: propter quòd factum eſt, ut aliquorum theorica, infirma evaſerit; inductaque per alios practica, diſpenſativis privilegiis innixa, puritatem Seraphicæ paupertatis obumbret, & relaxet.

Hi fuerunt ad aggrediendum laborem ſtimuli, & ad morem Conſulentibus gerendum aculei. Coegit ulteriùs, quòd hucuſque jejunii fuerint Scriptores de pecuniis ad Cauſas Beatificationum, & Canonizationum tractandas deſtinatis; altumque ſilentium ſervaverint de praxi tenenda, infortunio occurrente, quòd Syndicus Apoſtolicus foro, vel bonis cedat: *vulgò falliſce*. Profectò hæc, non tàm ſcitu neceſſaria arbitraberis, quàm peropti-

peroptimè pronunciaveris idoneã; ne in me illud uſurpetur ſatyrici:

Tenet inſanabilis multos
Scribendi cachoetes;

Teque Judice, putabitur ab Opere elongari cenſura, quòd ab aliis jàm affabrè concinnata, repaſtinet, *crambemque*, ut vox ſonat, *recoquat*.

In quo, & à laxitate declinavi, & à rigore temperavi. Siquidem obvium eſt, & nimiam indulgentiam, nimiamque in opinionibus, quas nonnulli Scriptores amplexantur, ſeveritatem, offendiculum ſaluti animarum æquè interponere, & ad gehennam ædificare, dicente S.Bonaventura *lib.* 1. *compend. theol. verit. cap.* 52. *Cavenda eſt conſcientia nimis larga*, *& nimis ſtricta*: nàm *prima generat*

rat præſumptionem, ſecunda deſperationem: item: *prima ſæpè dicit malum, bonum: ſecunda è contra, bonum, malum*: item; *prima ſæpè ſalvat damnandum, ſecunda è contra damnat ſalvandum*. Regiam proindè viam tenui, & ab extremis temperans, atque à vitio deflectens mediocritatem ſelegi.

Ubi jura loquuntur, illis adhæſi: quatenùs verò ſileant, in extremam rigiditatem non propendi; at non exindè in fomentum abuſuum adverſus Regulæ obſervantiam manus dedi laxitati; ſed potius aures præbui Canoni admonenti, *cap. Ex parte de tranſact.* ibi: *In his, ſuper quibus jus non invenitur expreſſum, procedas, æquitate ſervatâ, ſemper in humaniorem partem declinando, ſecundùm*

dùm quod perſonas, cauſas, loca; & tempora videris poſtulare.

Abſit, me quiſquam exiſtimet ad vanam auram popularem, mundanamque laudationem aucupandam, & ambitione inductum hanc Scholam evulgare voluiſſe; enimverò piaculum eſſet, adeò ſalutaria ſtudio jactantiæ elaboraſſe. Longè ſanè alia mihi mens, aliudque conſilium fuit, honeſtiorque hujus Liberculi propoſitus finis, nimirùm, ut ejus in lucem publicam emiſſione, non modò Religioſorum Minoritici cœtus ſaluti conſulerem, honeſtamque voluntatem meam in eorundem obſequium notam ſingulis facerem; verùm etiam, ut hiſce qualibuſcumque vigiliis alios majoris eruditionis, & doctrinæ viros ad opus reformandum, augendumque

que (cùm facilè ſit inventis addere) excitarem. Quod ubi aſſequar, non vulgari perfundar gaudio, & gratias ex corde referam.

Hæc, amice Lector, in prima poſt liminarem paginam mihi præfari viſum eſt; teque, ut æqui, bonique conſulas, inſtantiſſimè rogo; cùm verò cœteri laudabiliora, melioraque iis edixerint, quæ hâc rudi Scholâ parantur, mente verſa, illiſque felicitèr fruere ad ſupremi Numinis gloriam, tuum inſuper commodum, & utilitatem. Quatenùs verò tui acumine ingenii cenſoris officium tentaveris, ex Plinio ſcias: *Quod nulli ſinè venia placuit ingenium*.

Verùm *quibus parum, vel quibus nimium eſt opus, mihi ignoſcant; quibus ſatis eſt, non mihi,*

ſed

ſed Deo mecum gratias congratulantes agant. Ut dixit Auguſtinus *de Civit.Dei lib.22.cap.30.num.6.* Eternùm vive: & Deum mihi propitium exora, quia egenus ſum, & pauper.

Appro-

Approbatio Ordinis.

EX Commiſſione Rmi Patris noſtri V. Commiſſarii Generalis, omni, qua potui, attentione, & conſideratione perlegi Opus elaboratum per Adm. Rev. P. Fr. Auguſtinum Lucenſem Lectorem Jubilatum, ac Sacrorum Rituum Conſultorem, cui titulus eſt, *Schola Paupertatis*, *&c.* cumque in eo nihil Orthodoxæ Fidei, ac bonis moribus diſſonum invenerim, propterea dignum cenſeo, ut prælo mandetur. Dat. Romæ ex Ara-Cœli die 19. Septembris 1713.

Fr. Philippus Antonius de Roma Lector Jubilatus, ex-Diffinitor, ac Provinciæ actualiter Cuſtos.

Appro-

Approbatio Ordinis.

EX Commiſſione Rmi Patris noſtri V. Commiſſarii Generalis; ea, qua potui, diligentia, & attentione perlegi Opus, cujus titulus eſt, *Schola Paupertatis*, *&c.* Authore Adm. Rev. P. Auguſtino Matthæucci Lucenſe, Ord. Min. de Obſer. Lectore Jubilato, & S. Rituum Congregationis Conſultore: cumque in eo nihil invenerim Orthodoxæ Fidei, & bonis moribus diſſonum; imò ad Seraphicæ perfectionis profectum valdè utile, ideò publica luce permaximè dignum cenſeo, ſalvo, &c. Datum Romæ ex Ara-Cœli die 19. Septembris 1713.

Fr. Pacificus Romanus ex-Diffinitor, & Lector Jubilatus.

Fa-

Facultas Ordinis.

FR. LAURENTIUS
A S. LAURENTIO

Ord. Min. Reg. Obſerv. S. P. N. Franciſci Lect. Jubil. S. Congr. Indicis Conſultor, Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator, ex-Guardianus Jeroſolimitanus, Diſcretus perpetuus, & in hac Ciſmontana Obſer. Familia V. Commiſſarius Generalis, & Servus.

DIlecto nobis in Chriſto Rev. P. Fr. Auguſtino Matthæucci Lucenſi hujus noſtræ Obſerv. Provinciæ Romanæ Lectori Jubilato, & Sacrorum Rituum Congregationis Conſultori, ſalutem in Domino ſempiternam.

Cùm Opus à Te compoſitum, cui titulus -- *Schola Paupertatis manuducens, &c.* & à duobus PP. Theologis de Commiſſione noſtra reviſum, & approbatum, exiſtimetur legentibus utile, & impreſſione dignum, Nos votis tuis, & aliorum utilitati

b pro-

proſpicientes, vigore præſentium, facultatem Tibi concedimus, quatenùs, ſervatis ſervandis, illud Typis mandare poſſis, & valeas. Vale, noſtri tuis in orationibus, & ſacrificiis memor. Datum Romæ ex Ara-Cœli die 24. Maii 1716.

Fr. Laurentius à S. Laurentio
V. Commiſſarius Generalis.

Loco ✝ Sigilli.

De mandato P. S. Rmæ.
Fr. Bartholomæus de Vulſinio
Secretarius Generalis.

Reg.

Im-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Card. Caracciolus Pro-Vic.

APPROBATIO

REVERENDISSIMI PATRIS

DEODATI A ROMA

Lectoris emeriti, & V. Commiſſarii Generalis Reformatorum S. Franciſci, &c.

REveverendiſs. Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici juſſu Opus, cui titulus *Schola Paupertatis, &c.* à Rev. Adm̃. P. Auguſtino Lucenſe Ordinis Minor. de Obſervantia Lectore Jubilato, & S.C. Rituum Conſultore compoſitum accuratè perlegi, nihilque in eo, quod non modò, aut Orthodoxæ Fidei, aut probis moribus adverſetur, inveni: ſed neque, quod

Conſtitutionibus, & Declarationibus Apoſtolicis noſtræ Seraphicæ Regulæ obſervantiam dirigentibus non ſit omninò conſonum. Quapropter prælo digniſſimum ad multorum utilitatem, & omnium, ad quos ſpectat, commodum cenſeo. Romæ in Conventu S. Franciſci Tranſtyberim die 19. Novembris 1713.

Fr. Deodatus à Roma V. Commiſſarius Generalis Reformator.

IMPRIMATUR,

Fr. Gregorius Selleri Sac. Apoſtol. Palatii Magiſt. Ord. Prædicat.

IN-

INDEX
TITULORUM,
E T
CONSILIORUM
Cum annexis, & Connexis.

TITULUS I.

Paupertas Fratrum Minorum.

CONSIL. I. *Paupertas Religioſa quid importet?* pag. 1

Quæſitum I. *Quid veniat appellatione peculii?* 7. 8

Quæſitum II. *An peculium poſſit Religioſo privato concedi?* 9

CONSIL. II. *Quid ſit paupertas Fratrum Minorum?* 18

CONSIL. III. *An paupertas Fratrum Minor. excludat dominium rerum etiam, quæ uſu conſumuntur?* 27

CONSIL. IV. *An liceat Fr. Minoribus*

habere poſſeſſiones? 39
Quæſitum I. *Quid, ſi Fratribus relinquatur ager, vel domus?* 45
Quæſitum II. *An valeat legatum per Infirmaria?* 48
CONSIL. V. *An Fr. Minores poſſint inſtitui hæredes?* 55
Quæſitum I. *An poſſint inſtitui hæredes hac lege, ut bona hæreditaria per Executores à Teſtatore nominatos vendantur, & pretium erogetur in reaptatione Eccleſiæ, Conventus, & ornamentis ſacris?* 59
Quæſitum II. *An ipſarum Eccleſiæ ſint capaces, ut hæredes inſtituantur?* 64.
Quæſitum III. *Ad quem ſpectarent bona titulo hæreditatis Fratribus, vel eorum Eccleſiis relicta?* 66
CONSIL. VI. *An liceat Fr. Minoribus contractus civiles, ſeù civilitèr obligatorios celebrare?* 68
Quæſitum I. *An Fr. Minoribus liceat emere?* 70
Quæſitum II. *An iiſdem Fratr. liceat vendere?* 73
Quæ-

Quæſitum III. *An iiſdem Fratr. liceat donare, & dona recipere?* 80
Quæſitum IV. *An Fratr. Minoribus liceat res aliquas commutare?* 86
Quæſitum V. *An liceat Fratr. mutuum contrahere?* 91
Quæſitum VI. *An poſſint Fratres regere ſcholas puerorum, & ſæcularium, ſivè in Conventu, ſivè extra?* 93
CONSIL. VII. *An liceat Fr. Minoribus facere proviſiones tritici, vini, & olei?* 95
CONSIL. VIII. *An Fr. Minores teneantur ad uſus arctos, & pauperes?* 107

TITULUS II.

Eleemoſynæ pecuniariæ.

CONSIL. I. *Quid in Regula Sancti Franciſci veniat appellatione pecuniæ?* 123
CONSIL. II. *Quot ſint præcepta in Regula Fr. Minorum?* 136

§. I. *Præcepta formalia?* 139
§. II. *Præcepta inhibitoria?* 142
§. III. *Præcepta habentia vim præcepti?* ibi
§. IV. *Præcepta æquipollentia?* 143
Quæſitum I. *An Fratres teneantur jejunare Feriis ſextis, quæ ſunt ab Epiphania uſque ad cõmunem Quadrageſimam?* 154
Quæſitum II. *An Clerici expræſsè Profeſſi ante* 21. *annum completum teneantur ad jejunia Regulæ?* 156
Quæſitum III. *An Fratres in jejuniis Regulæ debeant abſtinere ab ovis, & lacticiniis?* 158
Quæſitum IV. *An Laici teneantur ſub mortali recitare Officium, Orationum Dominicalium in Regula præſcriptum?* 165
§. V. *Diſpenſatio in præceptis?* 175
CONSIL. III. *Quæ circa pecunias ſint Fr. Minoribus ſecundum Regulam prohibita?* 183
Quæſitum I. *An liceat Fr. Min. recipere litteras cambiales, quibus campſor*

ptor correſpondenti committat, ut ei pecuniam numeret, qua in itinere uti poſſit? 195
Quæſitum II. *An Fratri Concionatori liceat collectas pecuniarum commendare?* 198
Quæſitum III. *Qua ratione ſe gerere debeant Concionatores noſtri Ordinis circa pecunias, quæ in eleemoſynas Concionum à Fidelibus Civitatis, vel Caſtri exhibentur?* 199
Quæſitum IV. *An Quæſtores noſtri Ordinis Mendicantes res in ſpecie, panem, vinum, &c. poſſint à non habentibus illas conſentire, ut aliis ad eum effectum pecunias tradant, vel conſignent expendendas?* 203
Quæſitum V. *An Fratres poſſint recipere eleemoſynas pro Miſſis?* 205
Quæſitum VI. *An ſit dabilis caſus, in quo Fratres poſſint per ſe ipſos petere, recipere, contrectare, & expendere pecunias?* 206
Quæſitum VII. *An Fratres privati poſſint de licentia Superioris habere*
pecu-

pecunias apud Syndicum Apoſtolicum? 208
Quæſitum VIII. *An Fr. Minor peccet deſiderando pecunias?* 210
CONSIL. IV. *An Fratribus liceat recurrere ad Amicos ſpirituales?* 211
§. I. *De qualitate neceſſitatis ad legitimum recurſum requiſitæ?* 217
Quæſitum I. *An neceſſitas debeat eſſe determinata?* 230
§. II. *Quomodo Fratr. debeant ſe gerere cum Amicis ſpiritualibus, vel eorum Depoſitariis, & Subſtitutis?* 231
§. III. *De perſonis, quæ poſſunt recurrere.* 235
CONSIL. V. *An Fr. Minores poſſint in itinere uti Burſario?* 242
Quæſitum I. *Cujus ſint bona Fratr. Apoſtatarum?* 252
Quæſitum II. *Quâ formâ debeat Frater expropriari?* 254

TITULUS III.
Legata quòad Fratres Minores.

CONSIL. I. *An Fratres Minores ſint capa-*

capaces Legati annui? 257
§. I. *An Fratres ſint capaces Legatorum bonorum mobilium, quæ unica vice adimplentur?* 267
§. II. *An valeat Legatum annui redditus factum Sacriſtiæ, fabricæ Eccleſiæ, vel Conventus?* 270
§. III. *An Fratres Minores ſint capaces Legatorum cum onere Miſſarum?* 275
§. IV. *An Fratres ſint capaces Legati annui ſinè onere?* 289
§. V. *An valeat Legatum concernens cultum divinum in Eccleſiis Fratrum?* 293
§. VI. *An Fratres ſint capaces Legatorum annuorum quòad victum, & veſtitum?* 296
§. VII. *Decretum S.Congr. ab Urbano VIII. ſpecialitèr præpoſitæ negotiis Fratr. Minor. de Obſervantia?* 312
§. VIII. *Decretum S. Congr. Fabricæ Principis Apoſtolorum de Urbe ſuper Legatis relictis PP. Minor. de Obſer. S. Franciſci?* 324
§. IX

§. IX. *Conſtitutio Clementis X. confirmantis decretum S. Congr. in cauſa Turritana Legatorum?* 329
§. X. *Epiſtola S. Congr. Rev. Fabricæ concernens capacitatem Fr. Minor. de Obſerv. circa Legata?* 338
§. XI. *Aromatariæ Fr. Minor.* 342
CONSIL. II. *An Fratr. Minores poſſint ſe componere cum hæredibus Teſtatorum ſuper Legatis?* 349
CONSIL. III. *An Fratr. Minor. ſint capaces Legatorum in perſona Syndici Apoſtolici?* 361

TITULUS IV.

Syndicus Apoſtolicus.

CONSIL. I. *An uſus Syndici Apoſtolici ſit diſpenſatio in Regula Fratrum Minorum?* 381
CONSIL. II. *Quiſnam Syndicos nominet?* 416
§. I. *Formula Litterarum patentum pro Syndico Apoſtolico Conventus?* 433
§. II. *Formula nominandi Syndicum Apo-*

Apoſtolicum pro Cauſis Beatificationum, vel Canonizationum? 436

§. III. *Formula quitantiæ, ſeù receptæ à Syndico faciendæ, de receptis eleemoſynis pro Fratribus?* 439

CONSIL. III. *Quibuſnam privilegiis Syndici Apoſtolici gaudeant?* 441

Quæſitum I. *An Clerici in Syndicos nominati gaudeant privilegio fori?* 448

Quæſitum II. *An Syndici Apoſtolici Hoſpitiorum Fratr. Min. gaudeant privilegiis, &c.* 456

CONSIL. IV. *An adverſus Syndicum aliquo titulo ab officio Syndicatus cadentem detur actio judiciaria pro recuperandis eleemoſynis pro neceſſitatibus Fratrum à Benefactoribus elargitis?* 461

Quæſitum I. *An in concurſu Creditorum ſit in petitorio admittendus novus Syndicus adverſus ex-Syndicum decoctum, vel ejus hæredes, quatenùs ipſe non ſatisfecerit?* 475

Quæſitum II. *An Syndicus, quantùm ad pecunias in concurſu exactas debeat*

beat ſolitam de reſtituendo obligationem præſtare, aut loco cautionis eas in tot locis Montium inveſtire? 476

Quæſitum III. *Coram quo Judice debeat Debitor conveniri, Eccleſiaſtico, vel Laico?* 477

TITULUS V.

Eleemoſynæ pro Cauſis Beatificationum, & Canonizationum, &c.

CONSIL. I. *An Fratribus Minoribus liceat pro expenſis faciendis in Cauſis Beatificationum, & Canonizationum, ac Extenſionis, aut Continuationis cultus Sanctorum ſui Ordinis recurrere ad Amicos ſpirituales?* 480

Quæſitum. *An diſpoſitio teſtamentaria, qua legatur ſumma, etiam notabilis pecuniarum, ut dictæ cauſæ tractentur, repugnet ſtatui Fratrum Minorum?* 495

CONSIL. II. *An pecuniæ oblatæ pro Cauſis Beatificationum, & Canonizationum, aut Extenſionis cultus poſſint in-*

inveſtiri in locis Montium? 497
Quæſitum I. *An dictæ pecuniæ debeant deponi in ædibus Montis Pietatis?* 504
Quæſitum II. *An poſſint ex illis creari cambia, in quibus recipiens Debitorem ſe conſtituit pro ſumma recepta, & ulteriùs tenetur dare quinque pro quovis centenario, ſivè in nundinis plus, vel minus pretium currat?* 505
Quæſitum III. *Quid agendum de reſiduo pecuniæ ſi, Cauſis abſolutis, aliquid ſuperſit?* 508
CONSIL. III. *An adverſus Syndicum, qui, vel bonis, vel foro ceſſit, detur actio judiciaria pro recuperandis pecuniis oblatis pro Cauſis Beatificationum, Canonizationum, Extenſionis, vel Continuationis cultus? Et quis debeat judicialitèr petere?* 514
Quæſitum I. *An Syndicus ſuccedens in officio Syndicatus debeat in concurſu Creditorum admitti pro recuperandis iis, pro quibus ex-Syndi-*
cus

cus eſt debitor Cauſæ? 518

Quæſitum II. *An Syndicus in exactione crediti præferendus ſit cœteris Creditoribus, ſi bona decocti omnibus debitis ſolvendis non ſufficiant?* 520

Quæſitum III. *An Syndicus de pecuniis in concurſu exactis debeat ſolitam de reſtituendo obligationem prę-ſtare: aut loco cautionis eas in tot locis Montium inveſtire?* 528

Quæſitum IV. *An Religioſi Poſtulatores poſſint cum Syndico judicialitèr potente, in Curiis aſſiſtere?* 29. 532

Quæſitum V. *An debita, quibus Syndicus gravatur pro una Cauſa poſſint compenſari cum credito, quod habet adverſus aliam Cauſam?* 32. 534

Quæſitum VI. *An ex bonis ex-Syndici debitoris debeat fieri Syndico victori reimburſatio expenſarum, quæ factæ ſunt in Cauſa pro aſſecutione crediti?* 35. 536

Formula Litterarum patentum pro Poſtulatore Cauſæ Beatificationis, vel Canonizationis. 538

TITU-

TITULUS I.

Paupertas Fratrum Minorum

CONSILIUM I.

Paupertas religioſa quid importet?

SUMMARIUM.

1 *Subſtantialia Religionum.*
2 *Paupertas Religioſa quid?*
3 *Dominium duplex, juriſdictionis, & proprietatis.*
4 *Vſus fructus, & uſus juris quid?*
5 *Tridentinum proprium Religioſis interdicit.*
6 *Religioſis privatis neceſſaria conferenda.*
7 *Quid veniat appellatione peculii?*
8 *Religioſa paupertas peculium excludit.*

Digitized by Google

9 *Formulæ , quibus peculia concedi ſolent .*
10 *Sententia Navarri circa Religioſorum peculia .*
11 *Adminiſtratio bonorum Monaſterii Religioſis non Officialibus non permittitur .*
12 *Declarationes S. Congreg. Concilii circa peculia Religioſorum ad* 17.

1 HOc Conſilium præmittitur tamquam proemialis dicendorum notitia . Hinc ſciendum inter vota ſubſtantialia Religionis præter illa *caſtitatis* , & *obedientiæ* annumerari illud paritèr *paupertatis* , juxta textum in *cap. Cum ad Monaſterium de ſtat. Monachor.* ubi Innocentius III. inquit : *Prohibemus quoque diſtrictè in virtute ſanctæ Obedientiæ ſub obteſtatione divini judicii , ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat : Sed , ſi quis aliquid habet proprii , totum incontinenti reſignet* . Propter quod omnes Religionum Fundatores votum paupertatis ſuis Regulis inſerverunt ; ità D. Benedictus *cap.33. ſuæ Regulæ* ; ibi : *Ne quiſquam ſuum eſſe aliquid dicat* . D.Baſilius in *regul. brevior. interrog. 35. & 36.* D. Iſidorus *regul.*

gul. Monaſt. cap. 19. ibi. *Monachi nihil peculiare ſibi facere audeant; nec in ſuis cellulis quidquam, quod ad victum, vel ad quamlibet rem aliam pertineat.* D. Auguſtinus in regula ad *Servos Dei n.* 1. *Sit vobis anima una, & cor unum in Deo: & non dicatis aliquid proprium; ſed ſint vobis omnia communia.* In regula Clericis tradita, quæ tribuitur Auguſtino in *append. tom.* 1. *Nemo quidem proprium ſibi vindicet quidquam, ſed fiat ſicuti ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum;* habentes omnia communia. Et *regula* 2. ibi. *Nemo ſibi aliquod vindicet proprium, ſive in veſtimento, ſive in quacumque re. Apoſtolicam enim vitam optamus vivere.* Hinc conſtat, quãto ſtudio, & zelo viri illi Monaſticæ vitæ Inſtitutores perfectionem amplectebantur; & quanto ardore ab hoc proprietatis vitio abhorrebant, ut non ſolum facto, ſed nec verbo quidem auderet quis dicere aliquid proprium, agnoſcentes animos divinis obſequiis devinctos non decere patrimoniorum deſideriis occupari.

2. Quarè paupertas religioſa deſcribitur ab Alvarez *tom.* 2. *de vit. ſpiritual. lib.* 5. *p.* 1. *cap.* 1. *Eſt abdicatio omnium rerum temporalium opere, & voluntate ob amorem*

Dei, & deſiderium perfectionis. Hoc *voluntate ob amorem Dei &c.* ponitur, ut excludatur paupertas involuntaria hominum hujus ſæculi, quam non ſpontè ſuſtinent, ſed, neceſſitate cogente, & conditione naturæ patiuntur; propterea enim pauperes, & mendici inter homines degunt, aliàs non victuri, ſi eis occaſio daretur acquirendi bona, & coacervandi divitias. Illud verò *abdicatio omnium rerum temporalium* importat de conceptu paupertatis Religioſæ eſſe excludere dominium proprietatis, adeò ut iſto Religioſi priventur, nec ſint illo capaces. Dicitur *rerum temporalium*, per quod intelligitur non poſſe eſſe dominos pecuniarum, & rerum, tàm mobilium, quàm immobilium: cum quo tamen ſtat, quòd capaces, & habiles ſint ad jura, tùm exemptionum, tùm electionum ad officia Religionis; quinimò jus retinent, ne ab ullo perſonaliter moleſtentur. Neque enim per ſolemne paupertatis votum talibus juribus ceſſerunt.

3. Duplex verò eſt dominium, unum juriſdictionis (*quod eſt poteſtas gubernandi ſubditos*) conſiſtens potiſſimùm in præcipiendo, prohibendo, permittendo, judican-

cando, præmiando, & puniendo; quod,& Prælati Regulares, quantùm ad proprios ſubditos obtinent. Alterum proprietatis: & eſt facultas plenè, & liberè diſponendi de re ſua, dando, commutando, vendendo, donando, alienando, quin poſſit quis in ea ab ullo licitè impediri,& ſi impediatur, poſſit in judicio contra eum agere: jure enim quiſque rei ſuæ arbiter eſt, & moderator,niſi ætas reſiſtat. Unde pupilli ſunt Domini ſuarum rerum, ſed non niſi in actu primo; nàm lex prohibet, ut ipſi in actu ſecundo de illis diſponant. Sic, eſtò pignus, & hypotheca jus in re dicat, attamen, quia creditor non poteſt de pignore diſponere, dominus pignoris non eſt; ſicut nec Tutor rerum pupillorum.

4. Nec modò dominium proprietatis à ſe religioſa paupertas excludit; ſed *poſseſſionem etiam, adminiſtrationem, uſum fructus, & uſum juris*. Hæc enim ſingula ſunt termini juris. Poſſeſſio importat, ne quis in re, vel jure impediatur. Nàm dominio facimus rem noſtram: Poſſeſſione illam detinemus, & occupamus: Dominium eſt juris: Poſſeſſio facti.

Adminiſtratio eſt jus gubernandi, & adminiſtrandi res ſecundùm conditio-

nes, & leges ad hoc præfixas, non tamen alienandi ſubſtantiam.

Uſus fructus eſt, quoquis poteſt pro ſe, & aliis juxtà ſuum beneplacitum fructus rei accipere, & vendere, donare &c. ſalvâ tamen ſubſtantiâ rei fructuariæ.

Uſus juris eſt facultas utendi fructibus rei pro ſe tantùm ſine alia facultate illos alienandi, & poſſidendi. Quapropter uſus fructus eſt pinguior uſu juris. Tamen tàm uſus fructuarius, quàm uſuarius ſunt Domini fructuum. Quinimò duo uſufructuarii ejuſdem rei eſſe non poſſunt. Benè verò duo uſuarii, ſi fructus neceſſitatibus utriuſque ſufficiant.

Datur, etiam uſus ſimplex facti, qui in ſolo facto conſiſtit, ſine quo humana vita conſervari non poteſt, ut ſunt cibi, veſtes &c. de quo *conſil.3*.

5. Expreſsè *proprium* Religioſis interdictum legitur à Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de regul.* ibi. *Nemini Regularium, tàm virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel retinere; ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporen-*

rentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſum fructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeù Conventuum ad ſolos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilium verò uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat: nihilque ſuperflui in ea ſit: nihil etiam, quod ſit neceſſarium eis denegetur. Quòd ſiquis aliter quidquam tenere deprehenſus, aut convictus fuerit, is biennio activa, & paſſiva voce privatus ſit: atque etiam juxtà ſuæ Regulæ, & Ordinis Conſtitutiones puniatur. Hic Tridentinum ſtatuit adminiſtrationem bonorum Monaſterii non eſſe à Superiore aliis committendam, quàm Officialibus Conventus, qui tamen ad nutum Superioris, aliis ſubſtitutis, removeri poſſint; hac enim forma res Conventus adminiſtrare voto paupertatis non repugnat; cùm res Conventus, & non tamquam proprias adminiſtrent, nec fructus poſſunt in alios uſus inſumere, ſed in eos juxtà neceſſitates Religioſorum, & Conventus, ipſo Superiore locali mandante.

6. Itemque Superioribus imponitur, ut particularibus Religioſis ea indulgeant mobilia, quæ ipſis neceſſaria judicantur, nec ſtatui paupertatis contraria exiſtunt, neque Religioſo ſunt ſuperflua.

7. Quæritur. *Quid veniat appellatione peculii?*

R. Peculium dictum eſt, quaſi *puſilla pecunia*, vel *puſillum patrimonium* ex Jureconſult. in *leg. depoſitis ff. de pecul.* Joannes de la Crux *lib.* 1. *de ſtat. Relig. cap.* 3. *num.* 1. *dub.* 1. tradit peculium nihil aliud eſſe, quàm habere aliquid deputatum, & ſequeſtratum ab aliis ad utendum illo: vel, jure dominii poſſidendo, & defendendo illud ut proprium: vel, jure ſolius adminiſtrationis ad illud, hoc eſt, adminiſtrando, vel diſtribuendo ſecundùm leges præfinitas: vel, jure uſus fructus tantùm, utendo illius fructibus in ſuam, vel aliorum utilitatem: vel ad uſum ſolùm juris, ad ſuos tantùm uſus.

8. Hinc oritur quæſtio. *An paupertas religioſa reddat Regularem peculii incapacem?*

R. Dubium non eſt, ſi ſenſus ſit de peculio propriè dicto, includente jus perfectum, & independens, quod eſt dominium propriè uſurpatum, ſeù facultas libe-

liberè diſponendi de re, vel fructibus pro ſuo arbitrio; cujus Religioſus incapax omninò à ſua profeſſione conſtituitur ex *num.* 2. Si verò quæſitum procedat de peculio latè dicto, quòad ſolam adminiſtrationem, poſſeſſionem, & uſum facti dependentem à voluntate Prælati, qui conceſſum uſum, & adminiſtrationem reſtringere, & penitùs revocare ad ſuum libitum poteſt, adhuc lis eſt ſub judice. Duo tamen certa ſunt. Unum, quòd Officialibus Monaſterii committi poſſit, imò debeat adminiſtratio bonorum Conventus, patet ex dictis *num.* 5. Alterum, quòd Frater Minor eſt ab hac diſpoſitione excluſus, ut in ſequentibus.

Quod difficultatem ingerit, eſt, *an peculium poſſit Religioſo privato non Officiali concedi?*

9. Verùm prius refero formulas, quibus peculium ſolet practicari. Prima eſt, qua alicui Religioſo ex bonis Monaſterii, vel Parentum largitione aſſignantur annui redditus, quibus ſe alat, & veſtiat, dependentèr tamen à voluntate Prælati, qui portionem revocare poſſit.

Secunda. Qua Monaſterium ſingulis

lis Religioſis quolibet anno certam pecuniæ ſummam aſſignat, vulgò dicta *Veſtiario*: ſed victus eſt communis.

Tertia. Qua Novitius antè profeſſionem in actu renunciationis reſervat ſibi annuum redditum pro ſuis neceſſitatibus, dependentèr tamen à voluntate Superioris, adeout dominium, & proprietas ſit penès Conventum, ipſeverò ſolùm uſum habeat à Superiore revocabilem.

Quarta. Qua Religioſus pecunias ſua induſtria, & labore, hoc eſt, Lectione, Prædicatione adeptas, pro ſe retinet, & in proprios uſus licitos convertit, dependentèr tamen à voluntate Superioris.

Quantùm ad primam, dubium non eſt, quòd directè opponatur decreto Tridentini; & ulteriùs eſt penitùs relaxativa perfectionis paupertatis, deſtructiva vitæ communis, & diſciplinæ regularis everſiva. Hinc dolendum, quod nonnulli DD. illam approbaverint.

Circà ſecundam non videtur eſſe controverſia, ſed ſicut poteſt Superior licitè ſubdito pecuniam dare ad emendum librum, ſic etiam ut pannum emat ad ſe veſtiendum.

10. De tertia, & quarta maximè diſpu-

diſputatur. Tales formulas licitas eſſe, nec improbari à Tridentino dixit Navarrus in *cap. Ne dicatis, & comment.* 1. *de regul. num.* 15. Quem ſequitur Peyrinus *de ſubd. q.* 2. *cap.* 2. §. 1. aliique apud ipſum, concordantes Concilium non prohibere, quin Superiores poſſint Religioſis concedere peculia, annuoſque redditus ad uſus licitos, & ex juſta cauſa; & ſub prohibitione Concilii ea tantùm comprehendi, quæ dantur, vel ad quoſcumque uſus pro libito voluntatis Religioſi; vel ad uſus illicitos, vel ex injuſta cauſa. Verùm horum opinio non regit. Siquidem Concilium prohibet conceſſionem bonorum immobilium, etiam ad uſum fructum, vel uſum, adminiſtrationem, vel commendam; ideò, cùm generalitèr, & indefinitè prohibeat, non eſt privati Doctoris diſpoſitionem Concilii reſtringere, & limitare ad eam ſolùm adminiſtrationem, & peculia, quæ dantur in uſus illicitos, & ex cauſa injuſta. Maximè etiã, quòd ſi Concilium non prohibuiſſet, niſi adminiſtrationem ad uſus illicitos, & ex injuſta cauſa, nulla eſſet differentia inter ſimplices Religioſos, & Officiales. Etenim nec Officialibus poteſt concedi adminiſtra-

ſtratio fructuum bonorum, & pecuniarum Monaſterii ad uſus illicitos, ſed in utilitatem Conventus dumtàxat, ut declarant Butrius, & Abbas in *d. cap. Monachi*. Aperta autem eſt differentia inter utroſque, ut ex textu allegati decreti. Quin etiam, dum Concilium ea diſpoſuit ad reformationem Regularium, dicendum eſt ejus mentem fuiſſe, quidquam ſpeciale ſtatuere ſupra cœteros Eccleſiaſticos, quibus licita non eſt bonorum Eccleſiaſticorum adminidratio ad illicitos uſus, ut ad commeſſationes, ebrietates, impudicitias &c.

11. Et hinc peculium, ſeù adminiſtratio bonorum Monaſterii nulli Regulari, Officialibus exceptis, ex nulla cauſa, nulloque caſu eſt permiſſa, juxta decretum *d. cap. 2. d. ſeſſ.*

12. Quæ omnia à nullo inficiari poſſunt, quin reſolutis à Sancta Sede repugnet. Hinc obſervandæ ſunt Declarationes à Sac. Congregat. Concilii in contingentibus caſibus editæ, quas refert Fagnanus in *3. cap. Monachi de ſtat. Monachor.*

13. Primò quærebatur. *An liceat Regularibus utriuſque ſexus habere annuos redditus, ſeù proviſiones annuas, vel bonorum ſtabi-*

bilium adminiſtrationem, ſeù peculium non ſuperfluum nomine Conventus, ac de ſuorum Superiorum licentia, & dependentèr ab eorum voluntate, ac nutu, adeout ſint immunes à culpa, & pœna, de qua in *cap.* 2. *ſeſſ.* 25. *de Regularib.* Sac. Congregatio reſpondit *negativè* ibi *num.* 76. Quæſitum fuit propoſitum ibi *num.*1. tùm de redditibus annuis, & proviſionibus, quæ ſibi in actu renunciationis bonorum Novitii reſervant pro ſuis religioſis neceſſitatibus; tùm de cenſibus, aliiſque bonis, quæ à Parentibus, & Conſanguineis Religioſis relinquuntur Monaſterio, etiam titulo inſtitutionis, eo tenore adjecto, ut Superiores eidem Religioſo concedere debeant adminiſtrationem illorum cenſuum, & bonorum, itaut ipſe poſſit convertere illorum redditus in ſuos honeſtos uſus;tùm de pecunia ex prędicatione, vel lectione, aut aliundè à Religioſo aliquo quæſita, quam tribuunt Monaſterio ad hoc, ut ex ea emantur cenſus perpetui, quorum redditus quot annis aſſignari debeant eidem Regulari pro ſuis neceſſitatibus. Et ſtante praxi aliquorum Monaſteriorum, in quibus uſus erat, ut ex redditibus Conventus unicuique ex Fra-

Fratribus, vel Sororibus aſſignaretur ſingulis annis certa portio, ſive in pecunia, ſive in aliis ſpeciebus ad hoc, ut ex ea pararet ſibi neceſſaria ad vitam, nec Monaſterium eis aliquid ultra præſtare, nec ipſi accepti rationem reddere tenerentur. Circa quæ S. Congr. reſolvit *ut ſupra*.

14. Secundò quærebatur, *an, cùm neceſſaria à Superiore, etiam requiſito, ideò denegentur, quia Monaſterii facultates non ſuppetunt, liceat Regularibus clàm, vel, eo invito, illa ſibi comparare, ſeù retinere?* Sacra Congregatio reſpondit, *licere, ſi præciſa neceſſitas ſit ad individui ſuſtentationem: cæterùm communem penuriam ab omnibus perpetiendam uſque adeò, ut ſiquid privatim alicui delatum, vel ab ipſo factum fuerit, id tunc ad Superiorem rectà deferri oporteat; qui ex eo primò ſuccurrat ejus neceſſitati, cujus intuitu illud obvenerit, ſi peculiari aliqua neceſſitate ultrà communem prematur: reliquum Conventui incorporetur, & in communem cedat utilitatem*. Quippè præciſa hæc, ſeù extrema neceſsitas, cùm ſit de jure naturæ, nullis ſubeſt legibus, & ideò excuſat à Regulę tranſgreſsione, etiam Fratres Minores S. Franciſci, qui arctiſsimam profitentur paupertatem, ut ex text. in

cap.

cap. Exiit §.*Porrò de verb. ſignific. in* 6. ibi. *Nec ipſis Fratribus jure poli in extremæ neceſſitatis articulo ad providendum ſuſtentationi naturæ via, omnibus extrema neceſſitate detentis conceſſa, præcluditur, cùm ab omni lege extrema neceſsitas ſit exempta*. Hæc ex Fagnan. *num.*15.

15. Tertiò. In cauſa Panormitana petebatur. *Quædam Monialis præter dotem Monaſterio tributam reſervavit ſibi ſcuta quinquaginta annua pro ſuis neceſſitatibus, atque indigentiis; & petiit à Sac. Congreg. ſibi fieri facultatem illa erogandi in uſus prædictos.* Sacra Congregatio *cenſuit hanc pecuniam annuam, non obſtante reſervatione, jàm quæſitam eſſe Monaſterio; ideòque deferendam eſſe rectà ad manus Abbatiſſæ: quæ primùm proſpiciat neceſſitatibus Monialis Oratricis: & quod reliquum fuerit, in uſus totius Monaſterii convertat*; ibi *num.*61.

16. Quartò. In cauſa Neapolitana propoſitum fuit Sac. Congreg. dubium, ut infra conceptum. *In aliquibus Monaſteriis nonnullæ Moniales cenſus, & annuos quoſdam redditus, & proventus, ſeu fructus percipiunt ſub diverſis contractuum ſpeciebus: nàm aliquæ in ipſarum perſona emerunt certos redditus à perſonis Laicis: aliquæ ab aliis Mo-*

Monialibus; aliquæ ab ipſis Monaſteriis; aliæ verò dederunt pecuniam Monaſterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine Monaſterii ad rationem ſeptem, vel octo pro centenario; & Abbatiſſæ dabant ipſis Monialibus illos redditus, quos ex dictis emptionibus exigebant ſingulis annis. Aliquæ Monaſteriis, ſeù eorum Superioribus certas pecuniarum ſummas manualitèr pro indigentiis Monaſterii dederunt, pacto adjecto, vel, etiam tacita conventione adhibita, ut Monaſterium, ſeù Abbatiſſa certos redditus ad rationem tot pro centenario, eorum vita durante, concedat. Quæritur. An Moniales prædictæ in hujuſmodi caſibus incurrant in pœnas per Conc. Trid. *ſeſſ. 25. c. 2. de Regul. in proprietarios inflictas, etiamſi de licentia Abbatiſſæ, & ad Abbatiſſæ nutum, vel Conventus, ſeù Monaſterii nomine percipiant? Sac. Congr. cenſuit in nullo ſupradictorum caſuum licere Monialibus dictos fructus, ſeù redditus percipere; & ſi perceperint incidere in pœnas d. cap. 2. Neque ab hujuſmodi pœnis excuſari ob licentiam Abbatiſſæ, quæ d. Concilii decreto in ſupradictis caſibus concedere quidem prohibetur, ſed debet ex ſuo munere ex Monaſterii redditibus, vel de eleemoſynis Monialium neceſsitatibus in dies ſubvenire,* ibi *num. 62.*

17. Et

17. Et *n.63.* refert à S.Congr.improbatum uſum apud quaſdam Moniales, utpotè repugnantem decreto Concil. *d. cap.* 2. conſtruendi arcam communem, cujus clavis erat penès Abbatiſſam, & intus eam aptata tot ſcriniola, quot erant Moniales., hac lege, ut unaquæque haberet claviculam ſui ſcrinioli, & in eo aſſervaret pecuniam ex laboritio, vel aliundè partam, quæ in ipſius tantùm, & non alterius neceſſitates erogari deberet arbitrio Abbatiſſæ; quod eſſe contrarium Concilio conſtat, cùm diſponat res eſſe Superiori tradendas, & Conventui incorporandas, quod in caſu non verificabatur.

Quibus Declarationibus ſtantibus, conſtat correctam eſſe Navarri, Peyrini, & aliorum ſententiam, qui in hac re calamo nimis laxo ſcripſere. Alia videri poſſunt apud Layman *Theol.mor.lib.*4. *tract.*5 *cap.* 7. Etenim noſtrum non eſt ſingula recenſere, quæ aliarum Religionum paupertatem reſpiciunt.

CONSILIUM II.

Quid ſit paupertas Fratrum Minorum?

SUMMARIUM.

1 *Paupertas alta, altior, & altiſſima.*
2 *Quid ſit paupertas Fratr. Minor. quam profitentur Obſervantes, Reformati, & Capuccini.*
3 *Frater Minor jus naturale retinet ad neceſſaria ad vitæ conſervationem.*
4 *Non eſt incapax juris ſpiritualis ad 8.*
9 *Jus civile, & politicum, undè dictum?*
10 *Fratres Minores carent rerum dominio, tàm in communi, quàm in ſpeciali.*
11 *Paupertas Minorum eſt ſancta, & meritoria.*
12 *Solus Frater Minor in Mundo exiſtens rerum Dominus non eſſet.*
13 *Neque illarum dominium acquirit, quæ ſunt primò invenientis.*

PAU-

1 Paupertas Fratrum Minorum altiſſima dicitur. Nàm bonorum dominio privat, tàm in particulari, quàm in communi, & proptereà ipſa altiſſima eſt, juxtà text. in *cap. Quia quorumdam de verb.ſignif.* Joan.XXII. ubi §.*Nec obſtat,* habes: *altam paupertatem eſſe, habere pauca propria propter Deum: altiorem, quæ nulla habet propria, tamen habet in communi: altiſſimam, quæ nihil habet in hoc Mundo, nec in proprio, nec in communi*. Quocircà eorumdem Fratrum paupertas ab ea diſtinguitur, quam aliorum Ordinum Religioſi profitentur:quia alii poſſunt habere dominium in communi quorumdam bonorum, quamvis non ità abſolutum, quin dependeant à conſenſu Summi Pontificis, ut bona ſua immobilia, & mobilia pretioſa poſſint alienare juxtà *cap. Ambitioſæ de rebus Eccleſ.non alienand. int. com.* & decretum Sac. Congreg. Concil. quod refero *Off. Cur. Eccleſiaſt. cap.* 45. *num.* 3. Nullus tamen Religioſus, cujuſvis Religionis ſit, poteſt habere dominium in particulari, quamvis nonnullorum uſum habere poſſit, etiam pecuniarum, qui Fratribus Mino-

ribus eſt penitus interdictus ex alibi dicendis.

2. Hinc paupertas, quam profitentur Fratres Minores Obſervantes, Reformati, & Capuccini, *eſt realis, & voluntaria abdicatio cujuſvis juris civilis, & politici cujuſque rei temporalis, tàm quò ad rem ipſam, quàm quòad ejus uſum, tàm in particulari, quàm in communi propter Deum, & Chriſti ſequelam*. Ad cujus intellectum ſingula explicantur.

Ponitur *realis abdicatio*, per quod excluditur paupertas, quæ in ſolo affectu conſiſtit, de qua David dixit *Pſal.61. Divitiæ, ſi affluant, nolite cor apponere*.

Dicitur *voluntaria* ad excludendam paupertatem mendicorum hujus Mundi, juxta dicta *conſil. præceden. num.2.*

3. Additur *omnis juris civilis, & politici* ad non excludendum jus quoddam naturæ ad res pro vita conſervanda neceſſarias. Quod jus à Gilberto Nicolai dicitur, *jus, quo quodlibet vivens poteſt, & tenetur uti rebus neceſſariis ad conſervationem, ſeù eſſe, ſeù vitæ*. Eſtque jus divinum naturale, quod omni viventi à Deo, & natura conceſſum eſt. Quod à Nicolao III. in *cap. Exiit de verb. ſignif. nu.6.* jus

poli

poli appellatur §. *Porro*. Cui Frater Minor minimè renunciat, ut ibi Nicolaus verb. *& quidem*; ſed ipſe, ſicut cœteri viventes in caſu neceſsitatis conſervandæ vitæ poteſt cibo, potuque ſuſtentari undequàque accepto, ſecundùm ea, quæ ibi habet Nicolaus in hæc verba: *Nec talem abdicationem proprietatis omnimodæ, renunciationem uſus rerum cuiquam videatur inducere: nàm cùm in rebus temporalibus ſit conſiderare præcipuum, proprietatem, poſſeſſionem, uſufructum, jus utendi, & ſimplicem facti uſum; & ultimo tamquam neceſſario egeat, licèt primis carere poſſit vita mortalium: nulla prorſus poteſt eſſe profeſſio, quæ à ſe uſum neceſſariæ ſuſtentationis excludat*. Undè præcitatus Nicolai dixit: *Tantum habet jus avis in grano, quod comedit, quantum Frater Minor in cibo, quem manducat*. Jus autem avis in grano, quod manducat, eſt naturale tantùm, non politicum, vel juridicum, aut ſecundùm leges civiles conceſſum; ſimiliſque naturæ eſt jus Fratris Minoris in cibo, quo utitur.

4. Subditur *cujuſcumque rei temporalis*, ut intelligatur Fratres Minores incapaces non eſſe juris ſpiritualis, vel quaſi ſpiritualis, quod bona temporalia non

reſpicit. Jus ſpirituale hìc vocamus *juriſdictionem ad prædicandum, audiendi confeſſiones, & Sacramenta adminiſtranda, &c.* pròut eis à S. Sede conceditur. Jus verò quaſi ſpirituale ſunt, exemptiones, privilegia ſepulturarum, habendi Eccleſias, Campanas, Oratoria &c. Item, jus habent, ne perſonalitèr moleſtentur: etenim huic juri per votum ſtrictiſſimæ paupertatis non renuntiarunt.

Additum eſt proximo *numero*, quod *bona temporalia non reſpicit*. Quoniam hujuſmodi privilegia ratione bonorum temporalium Fratribus ſecundùm puritatem Regulæ non permittuntur: Ut ſunt privilegia, quibus jus conceditur percipiendi portionem canonicam, & funeralia, hoc eſt, fructus, ſivè ſtipendia funeralibus debita, & ſimilia. Eſtò enim Fratres Minores per modum eleemoſynę oblata recipere poſsint, nequeunt tamen prætextu cujuſcumque privilegii, ut juridicè debita recipere.

5. Eis etiam licèt habere privilegium non ſolvendi gabellas; hujuſmodi enim privilegium non niſi negativè ad bona temporalia refertur; nàm pauper, qui nihil habet, nihil ſolvit, cùm ex ſolis elee-

eleemoſynis; & ex alieno vivat.

6. Itèm, licet eis habere privilegium petendi eleemoſynas in aliquo loco. Hoc enim eſt jus, & privilegium pauperum; ex quo tamen hoc privilegium petendi habeant, non deducitur, quòd habeant jus exigendi.

7. Itèm. Licitè tuentur jus prædicandi in certis locis. Hoc enim eſt jus quaſi ſpirituale; ſed id agere minimè debent, eo fine ut ſibi debita ſint Concionum ſtipendia.

Dices. Mens Sancti Franciſci fuit, quòd Fratres nullum privilegium reciperent, in Teſtamento enim ait: *Non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana, neque pro Eccleſia, neque pro aliquo loco, neque ſub ſpecie prædicationis, neque pro perſecutione ſuorum corporum.*

8. R. Ad Teſtamentum non obligantur ex *d. cap. Exiit* §. *Cæterùm Sanctæ*. Tamen, quia privilegium pro loco, vel Eccleſia importat privilegium concernens bona temporalia, ſequitur, quòd, invitis dominis, & Incolis, non debeant Fratres quovis prætextu, ſivè prædicationis, ſivè, quia perſecutionem ab illis patiuntur, obtinere poſſeſſionem, vel uſum

alicujus Eccleſiæ, vel loci; ſed, ſi eis non concedatur habitationis locus, vel Eccleſia, fugiant ad aliam terram; & locum violentèr per Superiorum auctoritatem non obtineant.

9. Apponitur, *tàm quò ad rem ipſam, quàm quò ad uſum*. Nàm ſecundùm Juriſtas quadruplex reperitur jus politicum ad rem: *Dominii, poſſeſſionis, uſus fructus, & uſus juris*, de quibus diximus *conſil. ſuper num. 3. & 4.* Jus autem politicum importat, ut de eo poſſit in foro juxtà leges civiles judicari.

10. Repetitur, *tàm in particulari, quàm in communi*, ut excludatur paupertas aliorum Religioſorum, quæ, ut diximus, jus, ſeù dominium rerum, tàm in ſe, quàm earum uſum ſibi acquirit, & acquirere poteſt in communi. Ità non ſic illa Fratrum Minorum, ex Nicolao §. *Ad hæc*, ibi: *cum ipſi nihil ſibi in ſpeciali acquirere, vel eorum Ordini poſſint, etiam in communi.*

Concluditur, *propter Deum*, ut excludatur paupertas ſæculi, de qua dictum eſt ibi *num. 2.*

11. Quorum explicatione conſtat, cujus naturæ, quantaque ſit paupertas

Fra-

Fratrum Minorum, quæ ſemper alieno utitur, & non ſuo, ex alieno vivit, de alieno veſtitur, in alieno habitat. In cujus commendationem idem Nicolaus *d. §. Porrò* adverſus mordentes adeò ſtrictam abdicationem rerum, tàm in communi, quàm in particulari dixit: *Quòd abdicatio proprietatis omnium rerum, non tàm in ſpeciali, quàm, etiam in communi propter Deum meritoria eſt, & ſancta: quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmavit.*

12. Eſt autem adeò ampla, & ſtricta Seraphica paupertas, ut, facta hypoteſi, quòd in Mundo exiſteret unus ſolus Frater ex Ordine Minorum, adhuc non eſſet dominus rerum; nàm vi ſuæ profeſſionis ſe eo privavit. Et ubi alii naſcerentur, deberet Frater ille dependere ab eorum voluntate in uſu rerum. Et quamvis actu non dependeret, dum alii non eſſent, & poſſet rebus uti non recurrendo ad alios, non indè haberetur, quòd eſſet dominus; ſed ſolùm, quòd alii domini non eſſent; & in hoc ſtatu illis utendo nulli faceret injuriam, illiſque uteretur licitè ex jure, etiam naturali, concedente cuilibet neceſſaria conſervationi vitæ. Verùm

Verùm in præparatione animi, & habitualitèr dependeret à voluntate eorum, qui in futurum naſcerentur. Et in caſu res eſſent tantùm ſub ſupremo dominio Dei.

13. Ità paritèr non eſſet dominus rerum, quæ, quia nullius ſunt, qui ſciri poſſit, cenſentur eſſe primò inventoris, ſi ipſe priùs eas inveniret. Poſſet tamen illis uti; vel, quia eſſent Pontificis, ad quem ſpectant res, quibus Fratres utuntur; vel, quia nullius eſſent. Quatenus verò non eſſent Pontificis, deberet eas cedere ei quem primò cognoſcerent, utpotè vindicanti illas ſibi eodem jure, ac ſi ipſemet prius inveniſſet: inventio enim facta à Fratre non ponit impedimentum, quod illi debeantur.

CON-

CONSILIUM III.

An Paupertas Fratr. Minorum excludat dominium rerum etiam, quæ uſu conſumuntur.

SUMMARIUM.

1 *Dominium rerum, quarum uſus eſt Fratribus licitus, non eſt apud ipſos, & num.* 11.
2 *An uſus rerum conſumptibilium ſit ſeparabilis à dominio?*
3 *Fundamenta ſententiæ negativæ.*
4 *Affirmativa reſoluta.*
5 *Uſus juris duplex.*
6 *Dominium duplex in germano, & improprio ſignificato.*
7 *Dominium rerum Fratribus Minoribus oblatarum à Romanis Pontificibus reaſſumptum.*
8 *Nemo invitus fit dominus.*
9 *Cujus eſſent bona Fratribus oblata, dominio à dantibus renunciato?*
10 *Res, aliæ, quæ uſu non conſumuntur, aliæ verò,*

verò, quæ ipſo uſu deſtruuntur.

11 *Neque Fratres in particulari, neque Religio Minorum in communi habent rerum dominium.*

12 *Fratres nequeunt res in judicio repetere.*

13 *Peccatum proprietatis, etiam in ſimplici uſu facti poteſt à Fratribus committi.*

14 *Cura Superiorum in concedendo rerum uſu Fratribus particularibus.*

1 CÙM omnium rerum dominium (quarum uſus Fratribus Minoribus eſt permiſſus,) ubi dantes ſibi illud non aſſervarunt, ſit apud Sedem Apoſtolicam, vel Romanum Pontificem, juxta text. in *cap. Exiit* §. *Ad hæc cùm Fratres, de verb. ſignif. in* 6. ibi. *Omnium utenſilium, & librorum, ac eorum mobilium præſentium, & futurorum, quæ, & quorum uſum facti, ſcilicet Ordinibus, vel Fratribus ipſis liceat habere, proprietatem, & dominium (quod & fel.record.Innocentius Papa IV. prædeceſſor noſter feciſſe dignoſcitur) in Nos, & Romanam Eccleſiam plenè, & liberè pertinere, hac præſenti Conſtitutione in perpetuum valitura, ſancimus*; Sequitur eos, nec rerum, quæ ſolo uſu conſumuntur, ut panis, vini, &c. dominium habere, ſed

ſed ſimplicem dumtaxat uſum facti.

2. Undè in caſu difficultas pendet ab alterius reſolutione, an nimirum uſus licitus rerum unico uſu conſumptibilium ſit ſeparabilis ab omni dominio, & jure proprietatis?

3. Quòd ſeparabilis non ſit, legitur in *Extravag. Joann. XXII. Ad conditorem de verb. ſignif.* In qua Pontifex renunciat omni dominio rerum, quæ uſu conſumuntur, quarum uſum Fratribus licet habere; & abſolutè docet in rebus uſu conſumptibilibus ſimplicem facti uſum non poſſe ſeparari ab uſu juris, & dominio.

Hùc accedit prima ratio apud eum: nàm dominium in eo ſtat, quod dominus poſſit rem deſtruere: ergò Franciſcanus, qui poteſt panem v. g. ſibi datum comedere, vel non comedere, verè eſt dominus illius panis; aliàs non licitè uteretur, quia ſinè jure utendi.

Secunda. *Uti* præſupponit, quòd cum uſu ſalva ſit ſubſtantia rei, & *abuti* exigit, quòd cum hujuſmodi uſu rei ſubſtantia conſumatur: ergò quia Franciſcanus uſu panem deſtruit, illo non utitur, ſed abutitur: abuti enim nihil aliud eſt, quàm

quàm uti contra naturam uſus, & ſubſtantiam rei deſtruere,& dominium exercere. Et hinc, poſita per Joannem renunciatione dominii ſimilium rerum uſu conſumptibilium, ſequitur, tàm dominium, quàm uſum remanere in Religione: dominium in Religione in communi, uſum verò in Religioſis in particulari.

4. Verùm, quòd uſus ſimplex facti ſeparari poſſit, & de facto ſeparetur ab uſu juris, & dominio, etiam in rebus, quæ uſu conſumuntur, nulli debet eſſe ignotum. Etenim Filii-familias utuntur Parentum bonis, & cibis, in quorum bona jus nullum habent: & ſervi utuntur cibo, & veſtimentis à domino conceſſis ad eorum nutum ſinè ullo jure. Quod extra controverſiam videtur eſſe, & ab intelligente terminos innegabile. Undè jus civile *ff. dè acquirenda poſſeſ. l. quidquid*, dixit. *Quidquid Filius familias habet ex peculio, ſivè cibaria ſint, ſivè veſtes, ſivè pecunia, vel alia, quæ uſu conſumuntur, ſolùm habet uſum facti, & dominium, ſeù proprietas reſidet apud Patrem*. Et Gloſſa in *cap. non dicatis* 12. *qu.* 1. *Sed numquid veſtis eſt ſua, quàm habet? vel, nunquid dicitur poſſidere res tem-*

temporales, vel veſtem? Non videtur, quia veſtis, quæ ſemper utitur ſervus, de peculio domini eſt: ff. de peculio id veſtimentum, ſed ſervus non poſſideat ea, quæ ſunt in peculio. Qui tamen rebus illis licitè utitur, quia de voluntate, & permiſſione eorum, qui ſunt domini. Ità in propoſito dicendum.

5. Ut autem objectis ex adverſo fiat ſatis, primò diſtinguendus eſt duplex *uſus juris*: alius eſt *uſus juris civilis, & politici,* qui duo includit I. Poſſe ſe defendere, etiam civilitèr contra quemcumque invaſorem. II. Poſſe rem in judicio, & extrà repetere à retentore, & occupante.

Secundus eſt *uſus juris naturalis, ſeù charitatis* (qui aliis terminis dicitur uſus rei licitus, ſivè non prohibitus) eſtque omninò diſtinctus ab omni ſpecie dominii, vel proprietatis; quem alii appellant *uſum purè paſſivum,* contradiſtinctum ab uſu activo, & poteſtativo, ſumpto nimirum pro jure, ſeù libera facultate utendi inimpedibili ab alio præter legem honeſtatis, ſeù non ligabili per voluntatem alterius.

6. Propterea ad oppoſitum ex Joanne dicimus, Pontificem uſurpaſſe dominium in ſenſu improprio, prout hoc im-

por-

portat deſtructionem rei ; non verò in propria acceptione, ſeù pro facultate, liberè diſponendi de re aliqua, à nullo licitè impedibili, & potente contra impedientem in judicio agere. Quo ſenſu Fratres Minores dominio penitùs ſunt deſtituti. Nàm quavis actione privantur, ut valeant in judicio, vel rem petere, vel occupantem revincere. In primo verò ſenſu, an ſint domini? eſt lis de voce. Vocas dominos: ſed impropriè loquens, nobis non noces. Res quidem deſtruunt, & quidem licitè; quia, vel de dantium, vel Summi Pontificis licentia, & voluntate, qui hanc in rebus etiam, quæ unico actu conſumuntur, poſſunt immediatè conſenſum revocare, & quòd non revocent, eſt per accidens; ſed ſicut ipſi per ſeipſos poſſent res ſuas licitè conſumere, ſic aliis concedunt, ut illis utantur, & ipſomet uſu deſtruant.

7. Nec obſtat, quòd Joannes dominio eorum bonorum renunciaverit. Siquidem illud ab aliis Romanis Pontificibus fuit reaſſumptum, Martino V. & Paulo IV. *conſtit. Ex clementi* 1. *Bullar. to.* 1. Nec interim manſit tale dominium apud Minores, ut inquit Eſparza *Theol. tom.* 2. *lib.* 8.

lib.8. de virt. juſtit. qu. 50. *art.* 3. ſed apud Fideles ſubminiſtrantes eleemoſynas, de quorum conſenſu implicito, vel explicito ſemper revocabili, procedebant ad uſum ſibi permiſſum à domino, ſimul reſiſtentes conſtantèr omni veræ proprietati, veroque dominio. Concludens, quòd uſus licitus ipſorum eſt procul dubio ſeparabilis à dominio, & omni ſpecie proprietatis, & juris. Atqueità ipſi Fratres licitè, & de licentia domini ſinè ullo jure civili, licèt cum jure charitatis à domino conceſſo, utuntur cibo, libris, veſtibus, aliiſque.

Sed quid, ſi etiam dantes renunciarent dominio rerum, quæ offeruntur Fratribus Minoribus?

8. R. Si etiam totus Mundus id ageret, Frater Minor non eſſet rerum dominus, aut jus haberet in res ſibi conceſſas. Quandoquidem hoc ſinè ejus acceptatione fieri non poſſit. Nullus enim invitus poteſt rei dominum fieri, aut jus ad rem accipit. Ipſe autem, cùm ex vi profeſſionis incapax ſit cujuſcumque dominii, res non niſi ad ſimplicem facti uſum acceptat, nec alitèr, ea ſtante, acceptare valet.

Sed tunc cujus eſſent bona illa?

9. R. In caſu, quòd & dans, & Pontifex dominio renunciarent, res, ut pro derelictis haberentur, aut eſſent Dei, ut dixit Hugo de Dina in *cap.4. regul.* in hæc verba: *Soli Deo acquiritur, cujus intuitu, vel nomine offertur*. Noſtrum non eſt reſolvere, ad cujus dominium pertinerent, ſed nobis ſufficit, quòd illis Frater ſimplicitèr utitur, & jus omne recuſat, tàm in communi, quàm in particulari.

Ad rationes in contrarium. Ex prima nihil concluditur, nàm non agimus de dominio impropriè dicto, ſed in naturali, & obvio ſignificato uſurpato; ſub qua ratione Frater Minor panem deſtruens non eſt panis dominus, cùm non conſumat, niſi de licentia, & domino volente, ut dictum eſt *num.6.* Dominus enim poteſt ſibi dominium reſervare, uſquequò fuerit res conſumpta. Nec rei deſtructio eſt illius acquiſitio, vel ejus dominium habere; aliàs quilibet Religioſus eſſet proprietarius, cùm uſum panis, & vini abdicare non poſſit.

10. Nihil paritèr ex ſecunda deducitur. Etenim illa propoſitio non eſt univerſalitèr vera. Siquidem datur uſus rerum,

rum,quæ uſu non conſumuntur,& tales, non obſtante uſu, dominorum ſunt,quas repetere poſſunt, & conceſſionem revocare, & in eis ſubſtantia ſalva manet: ità Pontifex poteſt à Fratribus Minoribus repetere libros,utenſilia,&c. Datur etiam uſus rerum, quæ ipſo uſu conſumuntur; in iſtis verò reſpectu perſonarum utentium, dominium paritèr ab uſu ſeparatur, quia, cùm dominus valeat per ſe ipſum res illas conſumere, ſic vult, ut eas per alios conſumantur, quin dici poſſit perſonas conſumentes jus, aut dominium in res ipſas acquirere, quia dependentèr à voluntate dominorum conſumunt, ut exemplificatum eſt de Filiisfamilias, & ſervis. Quapropter quamdiù res exiſtit, domini eſt: ubi deſint, dominium ex natura deſitionis, & conſumptionis deperditur; licitè autem deperditur,quia de domini voluntate perit. Quæ cuicumque in phiſicis, etiam levitèr exercitato obvia ſunt.

11. Hinc habetur, dominium rerum, quarum uſum poſſunt Fratres Minores habere, non apud ipſos in particulari, nec Religionem in communi reperiri, ſed, vel eſt penes dantem, vel concedentem,

ſi illud ſibi retinuit, vel apud Romanum Pontificem, ut ex *d. cap. Exiit* §. *cit.* ac Clementina *Exivi* edita in Conc. Viennenſi *d. tit.* §. *Proinde cum vir ſanctus*, ubi præmiſſo, quòd expropriatio Fratrum debeat intelligi, tàm in ſpeciali, quàm in communi, ſubdit: *Propter quod, & rerum omnium conceſſarum, oblatarum, & donatarum Fratribus (quas, & quarum uſum facti, ſcilicet Ordini, vel ipſius Fratribus licet habere) proprietatem, & dominium in ſe, & Romana Eccleſia receperunt* (Clementis prædeceſſores) *dimiſſo ipſis Fratribus in eis tantummodò uſu facti ſimplicis*.

12.ححيث Propterea Fratribus non licet res ad ipſorum uſum oblatas in judicio defendere; aut repetere. Hæc enim nonniſi ab habentibus, vel prætendentibus dominium in res habere, poſſunt tractari. Et inde extirpandus abuſus nonnullorum, qui in foro judiciali citantes, &, ſervatis terminis judicii, pro eleemoſynis agunt non minus, ac ſi eſſent ipſarum domini; & caſtigandi ſunt, ut Regulæ tranſgreſſores: nec vitant cenſuram inflictam à S.C. R. Fabr. in decreto edito 14. *Februarii* 1633. ubi nec medio Syndico conceditur id agere, prout dicendum *tit.3*.

Cœte-

Cœterùm licet Fratri Minori prohibere volentem vi rapere, aut rem Religioni datam violenter auferre, imò & à raptore repetere, non jure aliquo proprietatis, ſed ſolùm naturali charitate, qua, & ſervi bona dominorum defendunt, & oblata repetunt, aut recuperare conantur; ſed cautè ſe gerere debet, ne majora mala ſequantur.

13. Hìc opus eſt advertere poſſe peccatum proprietatis committi, etiam in ſimplici uſu facti: Primò, ex parte domini, ſi rei uſum non concedat; nàm Frater nihil ſibi poteſt appropriare, qui autem contrà voluntatem domini uſum rei ſibi accipit, uſum à domino, quaſi furatur, & ſibi appropriat.

Secundò, ſi Superior ſubdito uſum ſimplicem rei non permittat. Quoniam, cùm res Religioni ad ſimplicem uſum tradita, ſub adminiſtratione Superioris tradi cenſeatur, qui ea re contra voluntatem Superioris utitur, rem communi adminiſtrationi relictam ſuo particulari uſu illicitè appropriare videtur. Ideò Superiores ad hoc attendere debent, ne aliquid contra voluntatem domini, aut Eccleſiæ Romanæ ad uſum in Ordine recipiatur.

piatur. Fratres verò particulares cauti eſſe debent, ne vel modica re utantur abſque licentia Superioris, ſi optant peccatum proprietatis non committere.

14. Cœterùm. Superiores nequeunt Fratribus particularibus concedere uſum rerum indeterminatè, & indiſtinctè: ut, *procura tibi res tuas, & utere, quibuſvis uſque ad revocationem*. Nàm hac forma exponitur ſubditus manifeſto periculo peccandi, & occaſio præbetur infinitarum tranſgreſſionum, ac ſua poteſtate Prælati abutuntur in deſtructionem. Quoniam nonnulli ſubditi, nullo habito reſpectu ad obſervantiam Regulæ, poſſent induci ad multiplicandas ſibi veſtes, ad curioſa quæque conquirenda, ad libros ſuperfluos coacervandos, ad Cellas more Magnatum exornandas, ad convivia inſtruenda, & ſimilia facienda, quæ ſtatui Religioſo repugnant. Hoc enim declaratum eſt à Nicolao III. ubi ſupra §. *Inſuper nec*, ubi, poſtquàm uſus rerum Fratribus conceſſarum diſpoſitioni Miniſtrorum, & Cuſtodum, eorumque diſcretioni commiſiſſet, facultatem reſtrinxit, ut infra: *Cùm de talibus interdum perſonarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio, & nonnullæ*

nullæ aliæ circumſtantiæ plus, minuſvè, ac alitèr provideri nequeant. Ità tamen ſic faciant, quòd ſemper in eis, & eorum actibus paupertas ſancta reluceat: prout ipſis ex eorum Regula invenitur indicta. Propterea ſollicitè Superiores, Fratres, & Cellas de neceſſariis provideant, & ab iſtis ſuperflua removeant. De qua re paritèr infrà, agendo de eleemoſynis pecuniariis.

CONSILIUM IV.

An liceat Fratribus Minoribus habere poſſeſſiones?

SUMMARIUM.

1 *Habere poſſeſſiones Fratribus Minoribus eſt interdictum.*
2 *Sicut habere annuos redditus.*
3 *Non poſſunt habere domos ad locandum, & num.7.*
4 *Redditus, alius formalis, virtualis alter.*
5 *Neque licet Fratribus habere uſum poſſeſſionum, ſecluſo etiam dominio, & proprietate.*
6 *Syndicus Apoſtolicus non poteſt in ſua per-*

ſona poſſeſsiones recipere, ut redditus Fratribus tribuat.

7 *Fratribus ager, vel domus poteſt modo licito, & illicito legari; ubi de ipſorum venditione.*

8 *Legatum intelligitur factum modo licito, etiam ſi iſte non exprimatur.*

9 *An valeat legatum pro infirmis, ad 12.*

13 *Eſt Fratribus interdictum retinere ſtabilia cum onere celebrationis Miſſarum.*

14 *Poſſunt Fratres habere hortos, & quales?*

15 *Nutrire oves, boves ad fructificandum eis non licet.*

16 *Non poſſunt ſuccedere ab inteſtato.*

1 Appellatione poſſeſſionum veniunt domos, agri, prata, vineæ, ſylvæ, oliveta, & ſimilia hujus generis. Hujuſmodi Fratres habere contradicit altiſſimæ paupertati, & mendicitati ipſorum; qui tenentur eſſe ſicut advenæ, & peregrini mendicantes, qui poſſeſsiones non habent, ſed domo victu, &c. tamquàm in tranſitu utuntur, & de incerto vivunt, nec habent redditus, neque, quæ ad naturam reddituum accedunt. Ideò dictis Fratribus prohibitum eſt ſimilia poſsidere, prout decrevit Concilium

cilium Tridentinum *ſeſſ.25.de Regul.cap.3.* ubi hæc ſunt - *Synodus omnibus Monaſteriis, & domibus, tàm virorum, quàm mulierum, & mendicantium, exceptis domibus Fratrum S.Franciſci Capuccinorum, & eorum, qui Minorum de Obſervantia vocantur, etiam quibus, aut ex Conſtitutionibus ſuis erat probibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis poſsidere liceat.*

2. Et declaravit Clemens V. in Clementina *Exivi de Paradiſo de verb. ſignif. §. Cumque annui redditus*, ibi. *Cumque annui redditus inter immobilia cenſeantur à jure, ac hujuſmodi redditus obtinere paupertati, & mendicitati repugnet, nulla dubitatio eſt, quòd prædictis Fratribus redditus quoſcumque, ſicut & poſſeſsiones, vel earum etiam uſum (cùm eis non reperiatur conceſſus) recipere, vel habere, conditione conſiderata ipſorum, non licet.*

3. Quod item decrevit Nicolaus III. *cap. Exiit eod. tit. in 6.§. Ad hæc*, ibi. *Declaramus, ordinamus, quod ſi teſtator modum, ſecundùm quem Fratribus (eorum conditione inſpecta) recipere non liceret, exprimat in legando: ut, ſi legaret Fratribus vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum,*

vel

vel ſimilia verba in ſimilibus proferret, aut modos ſimiles in relinquendo ſervaret: à tali legato; & ejus receptione per omnem modum Fratres abſtineant. Quod repetit idem Clemens ubi ſupra §. *Licet verò: Si talia ad uſus proximè dictos, ut, puta, agrum, vel vineam ad colendum, & conſimilia Fratribus legarentur, per omnem modum Fratres à receptione talium abſtinerent: cùm etiam præmiſſa habere, ut pretium fructuum ſuis temporibus habeatur, & naturam, & formam proventuum appropinquet.*

4. Propterea Fratribus prohibitum eſt, tàm habere redditus, quàm ea, quæ ad naturam redditus accedunt, à quo non diſtat immobilia obtinere; prout certum eſt ex obſervata diviſione redditus in formalem, & virtualem.

Redditus formalis eſt *jus, ſeù actio ad aliquid annuatim recipiendum*, ſivè ſit in pecunia, ſivè in grano, vino, vel oleo.

Virtualis verò, & per æquipollens *eſt, qui ad naturam redditus appropinquat*, ut ſunt legata perpetua, oves, boves, apiaria, & columbaria, quæ fructum aliquem reddunt: hæc omnia Fratribus prohibentur; nàm aut mendicitatem tollunt, aut quamdam certitudinem de fructu recipiendo

piendo præbent. Quæ ſunt contra ſtatum profeſsionis, quam emittunt. Quoniam Sanctus Franciſcus ab eis abſtulit rerum proprietatem, ut relinqueret certam mendicitatem, & de incerto viverent. Conſequentèr eſſe contra Regulam apertiſsimè dignoſcitur, quid quid aliquid certi inducit, aut mendicitatem tollit.

5. Ideò nedum Fratribus prohibetur jus, & proprietas circa prædicta, verùm etiam uſus ſimplex abſque ullo jure, vel dominio. Non enim omnium rerum uſum eis licet habere, ut ibi declaravit Nicolaus §. *Præterea loca*. Et in ſpecie loquendo de uſu in agris, &c. patet per hæc in allegato textu Clementis. *Sicut & poſſeſſiones, vel earum etiam uſum*. Et Sac. Congregatio ab Urbano VIII. præpoſita conſultationibus Fratr. Minor. de Obſervantia 15. *Junii* 1628. decrevit eſſe ex ipſorum *Conventibus tollendos omnes abuſus, qui Regulæ Sancti Franciſci adverſantur: primùm abdicent*, ut ait textus, *à ſe, & eorum Conventibus, non ſolùm piſtrina, ac bona omnia immobilia, quæ alicubì contrà Regulæ puritatem, & declarationes Nicolai III. & Clementis V. extrà, vel intrà ſepta Monaſteriorum detinent, ſed etiam cenſus perpetuos, &* lega-

legata annua, ut poſt Conſtiutionem Injuncti nobis Urbani VIII. ſub. 51. *Bullar. tom.*4. & dicam *tit.*3.

6. Neque poſſunt Syndici Apoſtolici, etiam conſiderati, ut tertia perſona, dominium, vel uſum poſſeſsionum in ſe recipere, ut redditus annuos Fratribus tribuant. Hoc enim eis inhibetur à dicta Congreg. ubi ſupra. *Inhibemus, ne Syndicus in ſua perſona hujuſmodi annuos redditus recipiat diſtribuendos ipſis Fratribus*. Et S. Congregatio R. Fabricæ in Æſina legati ſub 26. Novembris 1692. cenſuit: *Franciſcanos Obſervantes, qui prætendebant retinere ſtabilia nomine Syndici, eſſe incapaces ad ità retinendum*. Vide *tit.* 3. *conſil.* 3.

Incapacitas Fratrum ad illa eo titulo relicta, in eo fundatur, quòd dictorum ſtabilium dominium, & proprietas eſſet apud Fratres; cùm non eſſet apud Sedem Apoſtolicam, ut eſt certum ex dictis, neque apud ipſum Syndicum, apud quem non eſt dominium rerum ipſis Fratribus mòdo illicito legatarum, cùm ad hunc effectum eis non ſit ab Apoſtolica Sede datus, ſed ut nomine ipſius recipiat eleemoſinas pecuniarias pro neceſsitatibus Fratrum oblatas, eaſque in ipſorum neceſsi-

ceſsitates expendat, & alia agat juxtà dicenda infra de Syndico.

Propterea ſtabilia cenſentur unicè facta contemplatione Fratrum, ut ipſa locent, & poſſideant: quod repugnat puritati paupertatis, quam profitentur; maximè, quia per certitudinem annui redditus liberantur à ſollicitudine petendi eleemoſynas oſtiatim pro victu, & veſtitu: conſequenter eorum mendicitas relevatur; & in fraudem paupertatis, ac ad eludendam legem prohibentem, ſimilis modus retinendi ſtabilia aſſumitur. Ideò cautè legendus Felix *tom. 1. exam. confeſſ. par. 2. num.* 1196. ſcribens apud Syndicos redditus prohiberi, *non quia paupertas Fratrum lædatur, ſed ne apud ignaros redditus per interpoſitam perſonam retinere videantur*. Nàm Sac. Congregatio abſolutè declaravit Fratres eſſe incapaces: non alia planè ratione, quàm quia ſimilis modus non compatitur cum altiſsima ipſorum paupertate, & repugnat obſervantiæ Regulæ, ut eadem conſideravit.

7. Sed quid, ſi *Fratribus relinquatur ager, vel domus*?

R. Si *Teſtator exprimat in legando modum, ſecundùm quem Fratribus* (*eorum con-*

conditione inſpecta) recipere non liceret, ut, ſi legaret Fratribus vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel ſimilia verba in ſimilibus proferret, aut modos ſimiles in relinquendo ſervaret: à tali legato, & ejus receptione per omnem modum Fratres abſtineant: ut declaravit Nicolaus ubi ſupra §. *Ad hæc*.

Sic *verò modum licitum Fratribus in legando Teſtator expreſſerit*, ut ſi diceret: *lego pecuniam pro Fratrum neceſsitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam, & ſimilia, ad hoc, quòd per certam perſonam, vel perſonas idoneas diſtrahantur, & pecunia de rebus ipſis accepta in ædificia, vel alia Fratrum neceſſaria convertatur*; poſſunt relicta, vel ab hæredibus Teſtatoris, vel Syndico Apoſtolico vendi, erogando pretium in Fratrum neceſsitates.

Neque tunc opus eſt ad vendendum conſenſu, & beneplacito Apoſtolico, prout de neceſsitate exigitur in alienatione rerum Eccleſiarum, & Monaſteriorum juxta *Extravag. Ambitioſæ, &c. de reb. Eccleſ. non alienand.* & quantùm ad Regulares reperitur etiam interdictum à S.C.C. ut dixi *Off. Cur. Eccleſ. cap.45. nu.3.* Quæ jura non ligant Fratres Minores, dum

dum per Syndicum domum, vel agrum ſibi modo licito relictum alienant, prout declaravit S. C. C. 12. *Auguſti* 1625. ut ibi notavi, & conſentit Lantuſca *theatr. verb. bona temporal. num.* 7. Ratio eſt, quia bona hæc non ſunt incorporata Monaſterio propter incapacitatem, quam habet Sed, vel dominium eſt apud Sedem Apoſtolicam, cùm ſint modo licito pro Frattibus legata: vel remanet apud concedentem, donec domus v.g. vendatur, quæ de ipſius licentia venditur, & ceſſat dominus eſſe, venditione ſecuta. Vide *tit.* 4. *conſil.* 1. *n.*. . .

8. Quod intelligitur paritèr, ſi legatum abſolutè relinquatur, non facta expreſſione modi liciti: nàm Nicolaus ubi ſupra §. *Si verò* declarat, quòd ſub modo licito Fratribus intelligatur eſſe relictum;ità quòd *nec legans merito, nec Fratres ipſi effectu relicti fraudentur*. Quod deciſum refert Fagnanus *in* 2. *ad cap. In præſentia num.* 53. *de probat.* & Pignattellus *tom.* 3. *conſult.* 16. *num.* 3. ac Petra *comment. ad conſtit.* 3. *Honorii III.* ut infra *S.C.C. cenſuit tàm legatum rerum immobilium factum Fratribus Ord. Min. de Obſervantia, quàm inſtitutionem hæredis factam ſub modo licito, bona nempè, ut vendantur, & pretium convertatur in ne-*

neceſſitates Eccleſiæ, validum eſſe. Idemque eſſe, ſi modus non fuiſſet adjectus: cum ſemper ſub modo licito legatum, & relictum illis factum intelligatur.

Cœterùm, ſi domus relicta non ſtatim venderetur, ſed locationi traderetur percipiendo annuas ſolutiones, tunc amplius vendi non poſſet, ſed eſſet ad eundα Sedes Apoſtolica, *ut 9. Septembris* 1628. declaravit eadem Sacra Congregatio ab Urbano negotiis Fratrum Minorum prępoſita *diſt.* 4. *in reſponſ. ad* 4. ut infra *tit.* 3. *conſil.* 1. § 4.

9. Difficultas eſt. An valeat legatum pro infirmaria?

Circa hoc variant Doctores. Negant Fagnanus in 2. *ad cap. In præſentia num.* 56. *de probat.* Caſtropalaus *to.* 3. *art.* 15. *diſp.* 3. *punct.* 9. *num.* 59. Aliique apud Petram *cit. ad conſtit.* 1. *Honorii III. ſect.* 4. *num.* 38. Affirmant Portel. *dub. Regul. verb. Legatum num.* 7. Diana *Coord. tom.* 7. *tr.* 1. *reſol.* 233. apud quem alii plures. Qui poſſunt ad concordiam vocari, conſiderando, quòd negantes loquuntur de legato facto in abſtracto, hoc eſt, ſinè expreſſione taxationis uſus, in quem deberet præſtatio legati erogari. Affirmantes verò intelligunt

gunt de legato in concreto, hoc eſt, facto, ut præſtationes erogentur in determinatos uſus pro infirmis. Ità Rota coram Emerix in *Turritana legatorum an.* 1695. *&* 1696. probavit valere legatum pro Syndonibus infirmorum. Et S. C. Concilii apud Lantuſcam *Theatr. Regul. v. legatum num.* 5. Cenſuit licere Fratribus (de Ara-Cœli) *annuam panis præſtationem* (pro infirmis) *titulo dumtaxat eleemoſynæ recipere ad præſcriptum decreti Congregationis Fabricę* 14. *Februarii* 1633. Ea lege, ut dicta præſtatio in alium uſum, & cauſam ab ipſis non convertatur; & in caſu tranſgreſſionis voluit Teſtator, ut donatio mille ſcutorum (quæ erat ſors principalis) & omne commodum annuæ ſolutionis ſcutorum triginta (quæ ex ſorte percipiebantur) caducaretur, & devolveretur ad Hoſpitale Conſolationis. Vide Nicol. *floſ. v. legatum num.* 4.

10. Pręmitti tamen debet à Fratribus proteſtatio ſolemnis (cujus formulam damus infra *tit.* 3.) ſibi nullum jus competere ad conſecutionem illarum præſtationum annuarum; & ceſſante ex parte Fratrum quavis inſtantia, etiam per implorationem ſimplicis officii Judicis ad

illas recipiendas; cùm eas ſolum recipere valeant ab hæredibus, vel executoribus ſpontè dantibus, non tamquam debita, ſed per modum ſimplicis eleemoſynæ, ut ibi Rota.

11. In utroque legato tàm Em. Patres, quàm Rota ponderarunt, quòd legata ipſa non reſpiciebant neceſſariam ſubſtentationem, & alimoniam infirmorum, ſed ipſorum potius majorem curam, & ſolatium, quàm, quæ aliàs illis præſtari poſſet per eorum Conventus, & eleemoſynas oſtiatim quæſitas; & proinde ex ſpeciali natura eorumdem legatorum, & motivo pietatis erga pauperes infirmos cenſuerunt ſubſiſtere.

12. Nec relevat, ſi ſors principalis eſſent reinveſtita in locis montium, vel aliqua re ſtabili, dummodò ſors principalis non ſit infirmis, vel Fratribus, aut Conventui relicta, ſed ſolùm annua præſtatio ſit ex illa percipienda à gravatis à Teſtatore ad ſpecificos uſus infirmorum, prout diſpoſitum fuit ex enunciatis legatis: in quibus ſortes, ut ſupra, reinveſtitæ ſtabant ſolùm loco cautionis pro ſecuriori, & commodiori eorum ſatisfactione, ut ponderavit Rota ubi ſupr. in *prima deciſione n.7.*

13. Non

13, Non poſſunt Fratres retinere ſtabilia eis relicta cum onere celebrationis Miſſarum: prout declaravit S. C. C. quæ ſub 24. *Auguſti* 1659. *Cenſuit Fratres Conventus de Ara-Cœli non eſſe capaces legati bonorum ſtabilium, etiam ſub onere Miſſarum; & proinde fuiſſe locum ſubſtitutioni Fratrum Conventualium SS. duodecim Apoſtolorum.* Quæ paritèr, propoſito dubio: *an, facto legato ſcutorum mille pro Miſſa perpetua dd. Fratribus, poſſent iſti eam ſummam convertere in fabricam Conventus, & ſibi accollare onus Miſſarum? Die* 13. *Novembris* 1697. reſpondit: *negativè; quia erogatio dictorum ſcutorum mille deberet fieri in ſtabilibus, quæ Fratres habere non poſſunt.* Prout aliàs declaravit Sac. Congregatio Epiſcoporum in una Lucana *die* 26. *Martii* 1677. in hunc ſenſum: Sac. Congreg. &c. *ſæpius declaravit Fratres Min. de Obſerv. S. Franciſci, quamvis, attenta diſpoſitione Clementinæ* (Exivi) Clement. V. & conſtit. Nicolai III. (Exiit) *ſint incapaces obtinendi cenſus perpetuos, & bona ſtabilia, poſſe tamen per viam puræ, & ſimplicis eleemoſynæ recipere, quidquid ab executoribus ultimarum voluntatum eis traditur pro celebratione Miſſarum, pro ornamento Eccleſiæ, aliiſque neceſſariis procurandis juxta*

doctrinam S. Bonaventuræ relatam in conſtit. ſan.mem.Urban.VIII. incipient. Sacroſanctum Apoſtolatus, &c. ut dixi *Off. Cur. Eccleſiaſt. cap.*30. *num.*13. & refero *tit.*3.

14. Ipſis tamen non prohibetur habere hortos, prout expreſsè in dicta Clementina §. *Licèt* ibi: *Licèt verò non ſolùm ſit licitum, ſed, & multùm conveniens rationi, quòd Fratres, qui in laboribus ſpiritualibus orationis, & ſtudii ſedulò occupantur, hortos, & areas habeant competentes ad recollectionem, & recreationem ſui, & interdùm ad ſe ipſos poſt labores hujuſmodi corporalitèr deducendos; nec non ad habenda neceſſaria hortalitia pro ſeipſis. Habere autem hortos aliquos, ut colantur, ac olera, & alia hortalitia pretio diſtrahantur, nec non, & vineas repugnat ſuæ Regulæ.* Ideò, quia habere hortos, & vineas, hoc poſtremo modo appropinquat ad naturam proventuum, eis nullatenùs conceſſorum, ea in eum effectum nullatenus habere poſſunt, ut notat Gloſſa ibi. Siquidem, etiam hac ratione horti appellantur exceſſivi, pro quibus ad Pontificem, habitus fuit recurſus, ibi §. *Ad noſtrum*, ut de remedio provideret, & declaravit, ut *ſupra*.

Habere autem in hortis paucas vites, *vulgo*

vulgo pergole, ad percipiendam uvam pro Fratrum uſu, non cenſetur eis vetitum; cùm intèr hortalitia reputentur; ſicut nec colligere fœnum in illis, ac ſeminare ibi hordeum pro jumento Conventus: Sed nunquàm poſſunt habere pratum, etiam Conventui unitum ad vendendum aliis fœnum.

Sic eis non licet habere hortos Conventui non unitos juxtà doctrinam S. Bonaventuræ in Apologetico, quam obſervari mandavit eadem S. Congr. Fratrum Minorum negotiis præpoſita, ibi. *Cùm aſſeratis vos ſecundùm Regulam, & profeſſionem veſtram nullos debere recipere proventus redditum, ſeù poſſeſſiones, exceptis domibus, in quibus habitatis, videmini tranſgreſſores Regulæ veſtræ in eo, quòd recipitis domos, vel areas, non contiguas veſtis areis, in quibus habitatis: eodem enim modo, ſi hoc licet, poteritis, etiam vineas recipere, & agros, & manſos* (hoc eſt, fundos, undè quis ſe, & ſuos ſuſtentare poſſit cenſu; ideſt, annuo redditu) *& ſimilia quæque recipere*.

In idem reſcripſit Congreg. Rev. Fabricæ, ut infra. *Molto Reverendo mio amatiſſimo. Per parte de' Minori Oſſervanti di S. Franceſco d'Offida è ſtato rappreſentato à*

queſta Sac.Congregazione, che il Capitano Alfonſo Paolini, per il biſogno, che tenevano d'augmentare il loro orto, gli laſciò certo ſito à quello contiguo col peſo d'una Meſſa la ſettimana. E perche à detti Padri è permeſſo ritenere ſimili orti per gl'erbaggi neceſſarj: non ſolo non li prohibirete, ma operarete ancora colla voſtra autorità, che detti Padri godino il beneficio di detto legato, facendoli dalli eredi conſegnare detto orto laſciatoli. Roma 2. Novembre 1641. Il Cardinal Lante. Andrea Getti Economo.

15. Et licèt nutrire unum, vel alterum porcum, unam, vel alteram ovem ad mactandum pro rationabili ſublevamine, vel congrua neceſſitate, non ſit illicitum, nec mendicitati,neque incerto victui Fratrum præjudicet, eis tamen repugnat nutrire oves, boves, equos, & habere apiaria ad fructificandum, & vendendum; vel, etiam in numero, & quantitate, ut mendicitas notabilitèr offendatur: cùm ſit contrà Regulam: capite enim 6. S. Franciſcus præcipit: *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tamquam peregrini, & advenæ in hoc ſæculo in paupertate, & humiltate famulantes, vadant pro eleemoſyna confidentèr.*

16. Ad-

16. Advertas non poſſe Fratres uti conceſſione facta à Sixto IV. *conſtit. Dum fructus uberes*, poſſidendi bona immobilia, ſuccedendi ab inteſtato, & qua poſſent inſtitui hæredes, utpote deſtructiva puritatis Regulæ; & contraria Declarationibus Nicolai, & Clementis, ac proinde revocata ab Urbano VIII. *conſtit. ſacroſanctum* 51. *in Bullar. to.* 4. & Innoc. XI. *conſtit. Sollicitudo ſub* 20. *Novembris* 1679. & contra proteſtationes præmitti ſolitas in Capitulis Generalibus ſuper obſervantia Regulæ juxtà Declarationes Nicolai, Clementis, & Innoc. XI. ut in Victorien.

CONSILIUM V.

An Fratres Minores, poſſint inſtitui hæredes?

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit hæres, & undè appellatio proveniat?*

2 *Fratres Minores non poſſunt inſtitui hæredes.*

3 *Nec in minima portione.*

4 *Etiam appoſita conditione, quòd pretium erogetur in neceſſitates Conventus, & Eccleſiæ.*
5 *Hæres tenetur obligationibus defuncti.*
6 *Diverſitas intèr legata particularia, & ſucceſſiones.*
7 *Quando modus licitus vitietur, adjecto illicito.*
8 *Neque hæredes inſtitui poſſunt Fratrum Eccleſiæ.*
9 *Quarum rerum dominium ad Fratres ſpectantium ſit apud Romanum Pontificem?*
10 *Teſtamentum, in quo Fratres Minores inſtituuntur hæredes, eſt nullum.*
11 *Non caducatur legatum particulare illis relictum cùm onere Miſſarum.*

1 Hæredes, ut in *l. de hæreditate §. Pater, ff. de caſtrenſi peculio* pro dominis accipiuntur, ſicut hereditas pro dominio uſurpatur *l. 1. §. 1. ff. ſi es, qui teſtamen.* Ideò quicumque hæres inſtitutus dominium, & jus per hæreditatem conſequitur, & ità eſt ſibi illud in bona hæreditatis affixum, ut ſeparari nullàtenus ab ipſius perſona poſſit: ab hæro enim hæreditas dicitur: quippè qui eâ jure legitimo dominium noſcitur poſſidere,

dere, ut ſcripſit Caſſiodorus in *Pſalm*.78.

2. Proindè cùm Fratres Minoritæ ſint ex vi ſuæ Regulæ omninò incapaces cujuſvis juris civilis, dominii, proprietatis, & poſſeſsionis bonorum temporalium, ſivè ſint domus, agri, prata, vineæ, oliveta, & ſimilia: ſivè redditus annui, cenſus, cambia, & loca montium, quæ intèr immobilia ex Clementina *Exivi* §. *Cumque annui redditus*, ab jure reponuntur: ex hoc tamquam antecedente innegabili, ex *d. Clementina & cap. Exiit de verb. ſignif. in* 6. per regulas neceſſariæ illationis ſequitur incontrovertibilitèr ipſorum inidoneitas ad ſucceſſiones in bonis, tàm per viam indirectæ inſtitutionis, quàm per viam ſubſtitutionis, & fidei commiſſi: prout expreſsè declaratur in dicta Clementina §. *Cupientes*, ibi: *quia igitur in ſucceſſionibus tranſit, non ſolùm uſus rei, ſed & dominium ſuo tempore in hæredes, Fratres autem præfati nihil ſibi in ſpeciali acquirere, vel eorum Ordini poſſunt, etiam in communi: declarando dicimus, quòd ſucceſsionum hujuſmodi, quæ, etiam ex ſui natura indifferentèr ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia ſe extendunt (conſiderata ſui puritate voti) nullatenus ſunt capaces: Nec licet eis*

valo-

valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quòd præſumi poſſet hoc in fraudem fieri, quaſi ſub modo, & forma legati ſibi dimitti facere, vel ſic dimiſſa recipere, quin potius iſta ſic fieri ab ipſis ſimpliciter prohibemus.

3. Quæ diſpoſitio nedum evincit eos eſſe incapaces, ut in totum, verùm etiam, ut in quacumque parte, etiam minima, hæredes inſtituantur: quia ſemper vi tituli hæreditarii retinerent dominium rei relictæ: nàm aptiſſimè verificaretur in ea parte eſſe hæredes, ut advertit Fagnanns *in 5. ad cap. Nimis prava de exceſsibus Prælat. num. 33.* & Petra *comment. ad conſtit. 5. Honorii III. ſect. 4. num. 9.*

Cœterùm ponderandum eſt, textum per illud, vel *tantam earum partem, &c.* non improbare, quin valeant legata particularia facta (domus, vineæ, &c. ad vendendum per idoneas perſonas, vel Syndicum Apoſtolicum (etiam in pecunia pro unica vice Syndico præſtanda pro Fratrum neceſſitatibus; ſed prohibet dumtaxat, ne tota, vel portio hæreditatis titulo legati palliata relinquatur: eſſet autem locus ità præſumendi, ſi quantitas pecuniæ legata, eſſet adeò exorbitans, & exceſ-

& exceſſiva, ut jure id appareret actum in fraudem, hoc eſt, eſſe relictam hæreditatem in totum, vel partem veſtitam qualitate legati. Nec de fraude eſſet dubitandum, ſi diſpoſitio à Teſtatore conciperetur: *inſtituo Fratres Minores hæredes meorum bonorum in totum, vel in partem; & quatenus aliqua cauſa, vel titulo eis repugnet hæredes inſtitui, ipſis jure legati eadem bona, vel pro medietate relinquo.* Ubi verò non adeò explicitè, nec tali expreſſa conditione loqueretur, prudentia Judicis ad conjecturas pro judicio recurrat, & pronunciet id eſſe intentum, quod eſt, penſatis circumſtantiis, veriſimilius. Videatur decretum S. C. C. quod refero *offic. cur. Eccleſiaſt. cap.30. num.31.*

Difficultas eſt. An poſſint inſtitui hæredes hac lege, ut bona hæreditaria per executores à Teſtatore nominatos, vendantur, & pretium erogetur in reparatione Eccleſiæ, Conventus, & ornamentis ſacris.

4. R. Negativè. Diſpoſitio enim Teſtatoris in hoc caſu ſuſtineri non poteſt, nec titulò inſtitutionis, neque jure legati, ut ibi expreſsè *dicta Clementina*, & ſemper reſiſtit incapacitas dominii, quæ eſt

eſt in Fratribus. Qualitas enim hæreditaria ſecum illud trahit in perſonam hæredem; & in eam transfert jus, tùm activum, tùm paſsivum, propter quod Fratres dicerentur domini, & tenerentur ad plura arctiſſimæ eorum paupertati contraria.

5. Hæres enim ſuccedit in univerſum jus defuncti, quem repræſentat cum omnibus ſuis obligationibus, *l. hæres ff. de uſu cap.* teneturque omnibus obligationibus, & actionibus ex contractibus, vel quaſi provenientibus; quibus tenebatur defunctus, *l. ex contractib. ff. de obl. & act.* Propter quod tenetur, etiam ultra vires hæreditatis, ſi inventarium non confecerit, ut in *Auth. de hæred. & falcidia* §. *Hinc nobis.* Et poteſt conveniri actione perſonali, quatenus non poſſideat, *l. 1. C. de hæred. action.* Teneturque de evictione pro re vendita per executorem teſtamenti, ut ſcribit Bartolus in *l. alio de alimen. & cibar. legat.* & plura alia ſunt in ſequelam ad hæreditatem, quæ repugnant ſtatui dd. Fratrum. Quos S. Franciſcus voluit ab his curis, litigiis, & ſollicitudinibus eſſe alienos, prout expreſsè allegata Clementina §. *Amplius: nullo modo debent hujuſmodi voti, & Re-*

& Regulæ profeſſores ſe talibus curis, & litigioſis actibus immiſcere, ut teſtimonium habeant ab iis, qui foris ſunt: & puritati ſatis faciant voti ſui, ac evitetur per hoc ſcandalum proximorum. Idcirco ipſi ſuccedere non poſſunt; nec in minima portione, neque itàut debeatur illis æſtimatio hæreditatis, ut poſt Card.Zabarellam advertit Fagnanus *in 5. ubi ſupr. num.34.*

De quo non eſt amplius locus dubitandi, & ſecuris ad radicem difficultàtis fuit admota à S.C.C.quæ in caſu, in quo Teſtator inſtituerat hæredes dd. Fratres, adjecta clauſula, quòd ſi forſan aliquo modo eſſent incapaces hæreditatis, tunc bona redirent Monaſterio pro augumento Fabricæ, & alimentis Fratrum: *Cenſuit ſimplicitèr reſpondendum, Fratres eſſe incapaces. Quid autem faciendum eſſet de hæreditate, non eſſe Congregationis definire, ſed adeundos Judices ordinarios*, apud allegat. *num.*45.

6. Nec refragatur, quod eadem S.C. ut diximus *Conſilio præterito nu.* 8. cenſuit *inſtitutionem hæredis factam ſub modo licito, bona, nempè ut vendantur, & pretium convertatur in neceſsitates Eccleſiæ, validam eſſe*: Quia inſtitutio in dicto decreto non percutit Fratres, ſed aliam perſonam, cui

Teſta-

Teſtator commiſit, ut rem aliquam particularem pro neceſsitatibus Fratrum legatam venderet, & in ipſorum neceſsitates pretium converteret; & quævis alia interpretatio eſſet violenta, & nimis probaretur: nimirum, eſſe capaces cujuſcumque hæreditatis, cùm decretum dicat cenſeri factam ſub modo licito: quod verificari nequit, niſi in legato particulari per dicta *d. conſilio num.* 7.

7, Conſideranda eſt diverſitas, quæ ponitur intèr legata particularia, & ſucceſſionem hæreditariam; quantùm ad illa ſub modo licito facta Fratres, ſunt capaces, ut notavimus *num.* 3. & eſt evidens ex *cap. Exiit*. Circa verò ſucceſſiones nequaquàm: nàm textus Clementinæ allegat. *n.* 2. excludit ſimplicitèr capacitatem ipſorum; præſertim ponderando dictionem *Nullatenùs*, quæ, cum ſit univerſalis negativa, idem importat, ac *nullo modo*, efficitque, ut Fratres ſint incapaces ſucceſsionis in quacumque, etiam minima portione. Quid enim opus fuiſſet eam diſtinctionem de modo licito adhibere in Legatis, & ſucceſsionem ſimplicitèr prohibere, ſi tàm Legatorum, quàm ſucceſsionis eſſent capaces, ubi modus licitus utrobique eſſet adjectus? Qui-

Quinimò negandum eſt ipſis Fratribus poſſe modo licito hæreditates, vel ipſarum portionem relinqui: nàm ubi hæredes inſtituerentur, modus licitus vitiaretur propter incapacitatem dominii, & jurium, quæ in ipſos deberent tranſire.

Neque obſtat, quòd inſtitutio Fratrum modo licito contineat duos modos: unum, ut ſint hæredes: alium, ut bona vendantur, & pretium convertatur in neceſsitates Fabricæ, & Conventus: & licèt quoad primum non valeat, debet tamen valere quantùm ad ſecundum: ſicut valeret, ſi Teſtator, omiſſo primo, diſpoſuiſſet de ſecundò. Ex duobus enim modis expreſsis, expreſsio illiciti non vitiat alium licitum, ut dixit Rota in *Turritana legatorum coram Emerix anno* 1695. *num.*7.

Hoc quidem non obſtat: nàm, ut ait Baldus, ſecundus modus venit conſecutivè, & acceſſoriè ad primum. Ideò, deſtructo antecedente, deſtruitur, quod eſt conſequens. Et ex quo inſtitutio eſt pro non ſcripta, modus etiam pro non ſcripto intelligitur ex *l.*1. §.*in* 1.*C.de caduc. tollen.*Eſtque ſenſus Rotę *loc.cit.*ubi tenuit illicitum non vitiare modum licitum, ſi

ab ju-

ab jure non improbetur; at modus ille ſecundus in dicta Clementina improbatur per declarationem, quòd Fratres non poſsint recipere valorem hæreditatum, etiam ſub modo, & forma legati.

Sed quid *dicendum de ipſorum Eccleſiis, an ſint capaces, ut hæredes inſtituantur?*

Affirmat Bartolus in *tr. Minoritar. lib.* 1. *diſt.*4. hac ratione ductus, quòd bona hæreditaria non ſint Fratribus relicta, ſed eorum Eccleſiæ, & ideò per eam acquiſita Romanæ Eccleſiæ, de cujus dominio ſunt Eccleſiæ Fratrum Minorum.

8. Quæ ratio infringitur à Baldo in *Auth. Ingreſsi C. de Sacroſ. Eccleſ.* cùm non poſsit procedere de Eccleſia materialitèr, ſumpta pro ædificio, & parietibus; ſub quo titulo, cùm ſit quid inſenſatum, nec capere, nec velle poteſt, nec eſt medium ſufficiens ad aliquid acquiſitione civili acquirendum Eccleſiæ Romanæ: minuſque poteſt eidem Sedi acquirere, ſi ſumatur formalitèr, & ſignificativè; quoniam hac forma dicit Collegium Fratrum Minorum, quod eſt organum inhabile ad alteri acquirendum propter impedimentum Regulæ. Undè idem Baldus ſuper hoc conſultus *conſil.*416. *in* 4.*volum.* hiſce con-

concluſit: *Ridiculum eſt dicere, non poteſt relinqui Fratribus, ſed poteſt relinqui Eccleſiæ,* ut dicit Bartolus: *hoc enim, quid aliud eſt, niſi verba ſacra cavillari, & mentem juris lacerare?*

A qua opinione Bartolus ſubindè receſsit in *l.* 1. *n.* 5. *C. de conduct. & Procurat. lib.* 11. hæc ſcribens. *Si legatum relinquitur Eccleſiæ S. Franciſci, illud legatum eſt nullum, ſicut ſi relinqueretur Fratribus de S. Fanciſco, licèt tenuerim contrarium in libello Minoritarum*; & movetur per Gloſs. ibi, quæ exponit *domum*, hoc eſt, *illos de domo*, apud Fagnan. *in* 2. *ad cap. In præſentia de probat. num.* 62.

9. Ulterius, ad inſtitutionis ſubſiſtentiam concurrit expreſsè reſiſtentia juris in *d. cap. Exiit*, in quo Nicolaus III. ſpecificans, quarum rerum dominium ſpectantium ad Fratres Minores pertineat ad Romanum Pontificem §. *Ex quibus*, ait.

Primò, *dominium omnium utenſilium, & librorum, ac eorum mobilium præſentium, & futurorum, quæ, & quorum uſum facti ſimplicis Ordini, vel ipſis Fratribus licet habere*: quod repetit dicta Clementina §. *Proinde.*

Secundò. *Locorum conceſſorum* (ad habitandum) *ſi concedentes in conceſſione, & oblatione nihil ſibi reſervaverint*.

Tertiò, *Eccleſiarum, & Oratoriorum ad Eccleſiam deſtinatorum, ac Cœmæteriorum*. Ubi adnotatione dignum, nullam fieri de bonis Eccleſiarum præfatorum Fratrum expreſsionem. Et inde certò conſtat de mente S. Franciſci per Pontifices declarata: quæ planè fuit, ut nec Eccleſiæ, neque Conventus Fratrum bona immobilia poſsiderent.

Sed quæritur: ad quem ſpectarent bona titulo hæreditatis Fratribus, vel eorum Eccleſiis relicta?

10. Doctores apud Fagnan. in *d. cap. In præſentia nu.*42. concordant Teſtamentum eſſe nullum, in quo Fratres Minores inſtituerentur hæredes, niſi adſit cohæres; & hæreditas defertur venientibus ab inteſtato; nàm cum ipſi ſint incapaces tituli, & inſtitutionis, perinde eſt, ac ſi homo mortuus, & non ens inſtitueretur. Quod procedit, etiam de hæreditate relicta ipſorum Eccleſiæ, cùm ſemper inſtitutio videatur directa ad Fratres ex *n.*8.

Quæ paritèr videtur fuiſſe ſententia Rotæ in memorata *Turritana Legatorum deciſ.*

deciſ.2. §. *Nec turbat*,ubi dixit, quòd tamquàm defectiva in ſubſtantia corruunt,& caducantur ad commodum hæredis legata facta, etiam ſinè onere perpetuo, ut ſi legetur ager, ſeù cenſus ad fruendum, poſsidendum, vel locandum; quia tunc apparent facta ſola contemplatione ipſorum Fratrum, vel ſub unico fine, ut illis acquirantur.

11. Non caducatur verò legatum relictum caudatum onere Miſſarum; quoniam quamvis in ordine ad Fratres nullum remaneat, itàut nullum eis jus tribuat ad illius conſecutionem, adhuc onus adimpleri debet ex parte hæredis, vel executoris. Quod adeo verum eſt, ut in hujuſmodi legatis, non obſtante incapacitate Fratrum, intrent facultates Rev. Fabricæ S. Petri: quod ſanè non eveniret, ſi ea eſſent omninò nulla, & caduca, proùt habetur in *compend. privilegior.d.Fabricæ*, apud Veſpignanum ibi: *Declaramus hujuſmodi*(legata, & relicta)*quæ à principio perſonis incapacibus facta ſunt, ſivè ex poſt facto incapaces ſunt redditæ, non ad hæredes gravatos, ſeù aliàs obligatos expectare, ſeù ut caduca ab eis vindicari poſſe, ſed ad Fabricam ipſam, ne dum in vim inſtitutionis, ſed*

 etiam

etiam ſubſtitutionis, & fidei commiſsi: proùt etiam, quæ fortè ex quacumque cauſa à legatariis ipſis incapacibus recuſata, & non acceptata fuerunt, ac recuſantur, & non acceptantur. Ubi obſervandum diſpoſitionem non loqui de Fratribus inſtitutis hæredibus, ſed legatariis, quibus alii hæredes gravarentur, ut rem legatam cum onere Miſſarum annuarum traderent, ut ſignificat clauſula non *ad hæredes gravatos*. De qua re ſermo redibit *tit.3.conſ.*1. ubi diſtinguimus Legata directè Fratribus, vel hæredibus facta.

CONSILIUM VI.

An liceat Fratr. Minoribus contractus civiles, ſeù civilitèr obligatorios celebrare?

SUMMARIUM.

1 *Civiles contractus cur Fratribus Minoribus illiciti?*

2 *Fratres Minores nequeunt in rigore emere ad 6.*

Digitized by Google

7 *Neque in rigore vendere ad* 8.
9 *Licet Fratribus, urgente neceſſitate, aliqua mendicare, ut vendantur.*
10 *Quid interſit inter has res, & pecuniam, ad* 13.
14 *Nequeunt Fratres vendere Capellas, & Sepulturas.*
15 *Licitè retinent Lanificia pro uſu Religioſorum.*
16 *An poſſint donare, & dona accipere?*
17 *Poſſunt ſuis Operariis victum in partem mercedis tribuere.*
18 *Declarationes circa Conſtitutionem Clementis VIII. de largitione munerum.*
19 *An licentia tacita ad donandum ſufficiat?*
20 *Pœnæ contra tranſgreſſores in hac materia taxatæ.*
21 *An Fratribus Minoribus liceat res Conventus in alias commutare? ad* 24.
25 *Fratres Minores nequeunt eſſe executores Teſtamentorum.*
26 *Praxis ſervanda in commutatione rerum.*
27 *Fratribus prohibitum eſt mutua contrahere.*
28 *Dopoſita pecuniarum eis ſunt interdicta.*
29 *Nequeunt ſub pignore res Conventus conſtituere.*
30 *Actionis juridicæ ſunt incapaces.*

31 *Nequeunt fideiubere.*

32 *Aut legales quietantias, & receputas facere, ac debita contrahere.*

33 *Sæcularium ſcholas regere nequeunt.*

1 DUBIUM nullum eſt, non licere Fratribus Minoribus paciſci cum ullo, civili, & legali obligatione, cùm hæc ſemper ſupponat intèr paciſcentes. I. Capacitatem dominii, vel acquirendi, vel transferendi. II. Poſſe rem juridicè defendere contra quemcumque invaſorem. III. Poſſe rem in judicio, & extrà repetere à retentore.

Circà quæ ſunt ipſi ex Regula inhabilitati; & inde immiſceri non poſſunt contractibus cum jure, & legali obligatione connexis; & quatenus ſe ingerant, tamquàm non effecti reputantur; cùm in ipſorum ſtipulationem concurrant perſonæ, quæ ſui juris non ſunt, nec habent velle, aut nolle in materia ſonante proprietatem, dominium, & actiones juridicas. Quibus generalitèr ſuppoſitis, nonnulla quæſita ſubnectuntur,

Quæritur I. *An Fratribus Minoribus liceat emere?*

2. R. Negativè, proùt emere in rigore ac-

re accipitur ; quia ità emere importat pecuniâ ſibi dominium alicujus rei acquirere, ſeù civilitèr ſe obligare ad pretium per ſe, vel per alium ſua auctoritate dandum pro re, quæ emitur. Quod Fratribus Minoribus non licet ; quibus juxta ſuæ paupertatis puritatem nullius rei dominium, ſed nudus tantùm uſus facti conceditur.

3. Dictum eſt *emere in rigore*, quoniam illis vetitum non eſt emere in lato ſenſu, proùt emere dicit. I. Pretium naturali judicio æſtimare, & de eo abſque ulla civili obligatione cònvenire. II. Fidelitate naturali ſe exhibere paratum ad procurandam ſolutionem per idoneas perſonas, ut ex textu in *cap. Exiit* §. *Cæterum*, ibi. *Poſſunt tamen ipſi pro ſatisfactione facienda pro eorum neceſſitatibus, quæ pro tempore occurrerent (ceſſantibus eleemoſynis, de quibus ſatis fieri commodè tunc non poſſet) citra cujuslibet obligationis vinculum, dicere, quòd per eleemoſynas, & alios amicos Fratrum ad ſolutionem hujuſmodi faciendam intendant fidelitèr laborare*. III. Actu eâ formâ ſolutionem procurare rogando pro ſolutione facienda.

4. Quo caſu emptiones rerum, quæ

pro ipſis, vel ad eorum utilitatem fiunt, non à Fratribus fieri cenſentur, nec eorum auctoritate, ſed à donantibus ſolutionem; vel Syndico Apoſtolico. Nec res Fratribus acquiruntur, ſed dominis ſolventibus: & quatenus dominio ſe ſpolient, Romanæ Eccleſiæ, cui per Syndidicum, etiam dominium acquiritur, relicto Fratribus ſimplici uſu facti.

5. Et indè conſtat omnem actum in contractu emptionis, qui nullam dicit obligationem civilem, & legalem, proprietatem, aut uſum pecuniæ Fratribus licere; non omnibus autem, ſed Miniſtris, Guardianis, & de horum commiſſione aliis. Nec ſemper, ſed pro caſibus neceſſitatis dumtaxat.

6. Ideò tolli debent abuſus, non verò fovendi ſcrupuli. Sciendumque eos peccare. I. Qui conventione civilitèr obligatoria de pretio rei paciſcuntur.

II. Qui velut domini emunt.

III. Qui ſchedulas civilitèr obligatorias (*vulgò paghero*) præſtant.

IV. Qui ſolutionem ſua auctoritate mandant.

V. Qui terminis, & verbis dominium,& proprietatem ſonantibus ſcandalosè

loſè utuntur, eſtò in mente benè ſentiant.

Quæritur II. *An iiſdem Fratribus liceat vendere?*

7. R. Cùm vendere in rigore nihil aliud ſit, quàm rem aliquam in alterius dominium, & proprietatem transferre, accepto pro illa pretio pecuniario in dominium, iiſdem non licet in hoc ſenſu vendere, propter incapacitatem dominii, & juris transferendi, & recipiendi pecunias.

8. Cœterùm in venditione illis liciti ſunt omnes actus, qui nullum jus, vel pecuniæ receptionem includunt. Ità licitè poſſunt naturali judicio rem æſtimare, & velut de pretio rei naturalitèr abſque obligatione convenire; ſicut poſſunt rogare, ut res per perſonas idoneas vendantur. Ratio eſt, quia hujuſmodi actus jus aliqnod in re, vel in pecuniis non important. At non omnibus id permittitur, ſed Miniſtris tantùm Generali, & Provincialibus, aliiſve, quibus illi hoc committunt, ex *d. cap. Exiit* §. *Quia verò libros*.

Quare, cùm quædam mobilia (qnorum dominium ad Eccleſiam Romanam pertinet) quibus tàm Ordo, quàm Fratres utuntur, expedit, ut pro Fratrum neceſſita-

ſitatibus, æſtimato pretio vendantur, per Syndicum Apoſtolicum vendi debent, à quo recipienda eſt pecunia, & expendenda in rem licitam, cujus uſum Fratribus licet habere, ut in terminis declarat Nicolaus §. *Si verò res*.

Diximus *quorum dominium ad Eccleſiam Romanam pertinet*; quia ſi concedentes dominium ſibi reſervaſſent, ad eos de illis ſpectaret diſponere, neque abſque eorum licentia poſſent per Syndicum vendi.

Paritèr, ſi Fratribus legetur domus, ager, vel vinea, ut per idoneas perſonas vendatur, ſi ligans perſonam non nominavit, venditio eſt à Syndico facienda. Vide *conſil.4. num.7. & 8.*

Similitèr per Syndicum, poſita vera neceſſitate, vendi poſſunt, quæ Fratribus in funeralibus, vel aliàs offeruntur, & in res Fratribus utiles eorum pretium ab ipſo eſt convertendum, prout expreſsè in Clementina *Exivi* §. *Circa equorum*.

Difficultas eſt, an liceat Fratribus res aliquas mendicare, ea intentione, ut per Syndicum vendantur, & eorum pretium in neceſſitates ipſorum erogetur? Et eſt idem ac querere; deſunt plura Conventui neceſſaria, licet ne Fratribus

gra-

granum v. g. mendicare, ut vendatur, & de ejus pretio neceſſaria à Syndico comparentur?

9. Nonnulli negant: contrà quos affirmamus juxta Declarationes Nicolai, & Clementis. Ille §. *Ad hæc quia*, declarat valere legatum factum pro Fratribus ſub conditione, ut vendatur, & pretium per perſonas idoneas in licitos, & neceſſarios Fratrum uſus expendatur. Clemens verò conformitèr ad hæc diſpoſuit §. *Circa equorum*. Verùm non abſolutè eis licet, ſed in caſibus ſolùm præſentis, præteritæ, & imminentis neceſſitatis. Nam in hoc caſu poteſt fieri recurſus ad amicos ſpirituales, ut pecuniis neceſſitati provideant: ergo potiori ratione ad res, quæ pecunia non ſunt.

10. Undè multum intereſt intèr res hac via adeptas, & pecuniam. Etenim pecunia eſt id, *quo res emitur, aut, pro qua res venditur*; *ſeù, eſt inſtrumentum publicum politica auctoritate Principis inſtitutum ad res emendas, & vendendas*. Res verò, quæ mendicatione procuratur, vel recipitur, eſt id, quod venditur, vel emitur. Deindè, uſus pecuniæ eſt omninò Fratribus interdictus, ut ibi Nicolaus §. *Ad Majorem*, & Cle-

Clemens §. *Verùm etiam*. Hujuſmodi verò rerum, ità mendicatarum uſus non eſt Fratribus prohibitus, niſi ſit, vel ſuperfluus, vel nimis pretioſus, vel curioſus. Hinc, grano mendicato eo animo, ut vendatur, poſſunt licitè uti in ea quantitate ipſis neceſſaria. Sed de hoc aliàs.

Dices. Nicolaus §. *Inſuper* declarat Fratribus non licere utenſilia, aut alia *ad ullam ſuperfluitatem, divitias, ſeù copiam, quæ deroget paupertati, vel ad theſaurizationem, vel eo animo, ut ea diſtrahant, ſivè vendant, recipere; nec ſub colore providentiæ, in futurum, nec alia occaſione.*

11. R. Et nos hoc concedimus. Neque dicimus eis licere ea mendicare, cùm vera neceſſitate non premuntur, & ad copiam ſolùm, ac ſuperfluitatem quærunt. Sicut eis illa mendicare eſt interdictum, animo, ut ea diſtrahant, hoc eſt, ut per ſe, & ſua auctoritate ea vendant: hoc enim modo Fratres diſtrahere non poſſunt.

Quòd verò hic ſit ſenſus Pontificis, conſtat ex eo, quòd ut ſæpè diximus, poſtea permittit acceptare domos, agros, vineas, ea lege, ut per perſonas idoneas vendantur. Quod ſimplicitèr non liceret,

ret, ſi omnium rerum receptio eo animo, ut vendantur, cenſeretur Fratribus interdicta.

12. Advertendum eſt, quòd ſi concedentes dominium ſibi retinuerunt, vendi, aut diſtrahi ſinè eorum auctoritate, & voluntate non poſſunt, ut dictum eſt à *n.*8. Si verò dominio ſe ſpoliarunt, cùm hoc ſit apud Sedem Apoſtolicam, ut ait Nicolaus §. *Quia verò libros, & alia mobilia, quorum dominium (cum non ſint dominii aliorum) ad præfatam Eccleſiam ſpecialitèr ſpectare dignoſcitur*, de ipſius facultate diſtrahuntur.

13. Nec obſtat quod §. *Inſuper* idem Pontifex non acceptet dominium eorum, quæ recipiuntur, eo animo, ut vendantur. Quoniam hoc accipiendum eſt de iis, quæ accipiuntur, ut diſtrahantur ad ſuperfluitatem, & copiam. Qua ratione non diſtrahuntur ea, de quibus procedit quæſitum, quia, ut ſupponitur, verè neceſſaria ſunt, ſi non in ſe ipſis immediatè, in iis ſaltèm, quæ per illorum pretium acquiruntur.

An autem poſſint Fratres vendere Capellas, vel Sepulturas?

14. Negativè reſolvitur juxtà decretum

tum S.C.ab Urbano VIII. negotiis Fratr. Minor. præpoſita, quæ 14. *Junii* 1628. præcepit obſervari diſpoſitionem Congregationis Generalis dd.Fratrum Romæ habitæ 17.*Maii* 1603. ibi. *Statuitur,ut deinceps nulla inſtrumenta publica fiant à Fratribus capitularitèr congregatis, nec quocumque alio modo ſe habentibus, in quibus transferatur dominium, & proprietas alicujus Capellæ, & Sepulturæ, cum hoc omninò ſit contra Regulam,& noſtro repugnet Inſtituto:nàm quomodo aliquis dat, quod non habet?*

Si *tamen occaſio ſe obtulerit, in qua oporteat ſatisfacere devotæ fidelium voluntati, id fiat per modos noſtræ Regulæ congruentes.*

Supponit hic textus dari modos congruentes noſtræ Regulæ, qui in conceſſione ipſa obſervari debeant. Hujuſmodi verò, ut notavi *Off. Cur.Eccleſiaſt.cap.*44. *nu.*25. ſunt, quod nullus intercedat mercatus, vel venditio, nullaque in pactum deducatur ſolutio, aut obligatio civilis ſuperaddatur, ſed concedatur dumtaxat titulus honorificus, ac ſimplex facti uſus, fabricandi, ornandi, ac ſepeliendi. Poterit tamen Syndicus per modum eleemoſynę recipere pro Fratrum neceſſitatibus, ſi devotus quidquam ſpontè dederit: Vide ibi.

15 Re-

15. Retinent licitè iidem Fratres intra Clauſtra Conventuum lanificia ad effectum fabricandi pannum pro Fratribus induendis: ſed inhabilitantur ad pannum per ſe ipſos vendendum. Syndico tamen poteſt à venientibus ad Religionem pretium conferri, & ipſe licitè recipit pro ipſorum veſtimentis. Etenim, facta per Definitorium acceptatione, ex tunc jus eos fingit ad Ordinem initiativè pertinere, quantùm ſaltèm ad qualitatem veſtium, nè ſint in illis cum profeſſis ætherogenei.

An verò idem poſſit pannum aliis vendere? Reſolutio pendet à circumſtantia veræ neceſſitatis in ordine ad induendos Fratres, cui occurri minimè valeat, aut eleemoſynis conſuetis, vel, adhibitis, etiam diligentiis, per recurſum ad amicos ſpirituales, Miniſtris in eum finem commiſſum à Regula *cap.* 4. In caſu admitterem, ex mente etiam, ſaltèm præſumpta S. Franciſci, ex eodem capite: & facit textus in *d. cap. Exiit* §. *Quia verò libros*, ibi: *Et alia mobilia, quibus tàm Ordo, quàm Fratres utuntur, interdùm contingit, ſeù expedit vendi ... Ordinamus, & volumus, quòd talis pecunia, ſeù pretium recipiatur, & expen-*

expendatur in rem licitam per Procuratorem? Res autem maximè licita eſt, ac expedit planè, ut per eum, quando aliàs aditus non pateat, ea panni diſtractione, pro Fratrum indumentis neceſſaria conquirantur: ſervatis tamen omnimodè regulis, de quibus *tit.3. cap.*1. §.11.*nu.*89. præſenti quoque articulo proportionabilitèr accomodandis. Sed, *qui ſtat, videat, nè cadat* laxitati facilis.

Quæritur. III. *An iiſdem Fratribus liceat donare, & dona recipere?*

16. R. Negativè, ſivè extra, ſivè intra Ordinem; quia donare in rigore importat tranſlationem dominii, vel juris in alterum: ſicut donum recipere includit dominium rei in ſe recipere. Utrumque autem, ut ſæpè diximus, Fratri Minori repugnat.

Cœterùm intra Ordinem de legitima auctoritate Superiorum, ad quos ſpectat, poſſunt Fratres donare, quæ ipſorum uſui licita ſunt. Ratio eſt, quia hæc donatio intra Ordinem eſt ſolùm tranſlatio rei quoad ſimplicem uſum facti; & de iis, quæ Superioribus in adminiſtrationem intra Ordinem data ſunt, poſſunt iſti per ſe, vel per alios diſponere.

Verùm

Verùm abſque licentia, hæc etiam dare infert proprietatem in uſu ipſo rei.

Licet paritèr Fratribus Minoribus, accedente legitima auctoritate Superiorum, ex conceſſione Romani Pontificis vilia, aut parum valentia extra Ordinem dare. Ità Nicolaus §. *De vilibus*, ibi. *De vilibus, aut mobilibus, aut parum valentibus liceat ex præſenti noſtra conceſſione Fratribus (pietatis ſeù devotionis intuitu, vel pro alia honeſta, & rationabili causa) obtenta ſuper hoc prius Superiorum ſuorum licentia, juxtà quod intèr Fratres in Generali, vel Provincialibus Capitulis, tàm de ipſis rebus vilibus, quàm parum valentibus, & earum valore, quàm præfata licentia, ſcilicet à quibus, & qualitèr ſit habenda, extiterit ordinatum, intra, & extra Ordinem aliis elargiri.*

Quia verò textus loquitur de rebus mobilibus, & vilibus, ac parùm valentibus, ſequitur non poſſe Fratres, nec de licentia Superiorum res immobiles, vel magni valoris, ſivè intra, ſivè extra Ordinem dare.

At difficultas eſt. *An Fratribus liceat ſuis operariis victum præſtare in partem mercedis?*

17. R. Eſt certùm ipſis Fratribus non

licere cum operariis in pactum civili obligatione deducere victum dandum in partem mercedis, cùm Fratres ſimilis obligationis ſint incapaces.

Solis Syndicis licet hujuſmodi conventiones, & pacta celebrare. Nàm illis licet bona uſibus Fratrum conceſſa vendere: ergò etiam in mercedem operariis Fratrum tribuere; cùm eadem, imò potior ratio eſſe videatur.

Fratribus verò ſolùm licet ex quadam æquitate, & gratitudine naturali in mercedem operariis granum, victum, & ſimilia tribuere.

Dices. Quo jure, vel nomine ſimilia darent, cùm nomine proprio dare non poſſint, ex quo in illis nihil juris retineant?

R. Dant nomine, & voluntate Eccleſiæ, ac dominorum. Quoniam donantes talia præſumuntur dirigere in utilitatem Fratrum. Ità, qui dant granum, & cibum Fratribus, dum aliàs expreſsè non loquuntur, non cenſentur ità illa reſtringere ad Fratres, ut, qui cum Fratribus laborant, ex illis comedere non poſſint. Præſumptio enim eſt, quòd dent modo magis Fratribus utili.

18 Ad-

18. Advertant Fratres in donationibus ſervandam eſſe Conſtitutionem *Religioſæ Congregationis Clem. VIII. 28. Bullar. to.3.* cum Declaratione Urbani VIII. *Nuper* 158. ibi *tom.4.* & in hac §.1. habetur. *Declarat munera à Religioſis utriuſque ſexus tribui poſſe ex cauſis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ, ejuſque conſervationis erga ipſam Religionem, & Conventum, aliiſque cauſis ex ſui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modeſtè tamen, ac diſcretè: & dummodò id non fiat, niſi de Superiorum localium licentia; ac etiam cum conſenſu majoris partis Conventus, ſi talis conſenſus de jure, vel ex Conſtitutionibus, ſeù conſuetudinibus cujuſque Religionis reſpectivè, in hujuſmodi caſibus requiratur.*

Conſenſum verò Conventus in §.3. *ejuſdem Conſtitutionis* (Clementis) *ad leviora exculenta, aut poculenta, ſeù ad devotionem, & religioſitatem pertinentia, munuſcula largienda, &c. requiſitum, intelligi debere de conſenſu, aliàs à jure requiſito, & ubi concurrit ambitionis ſuſpicio: qua ceſſante, nec in his requiri licentiam Superioris in ſcriptis in* §. 4. *ejuſdem Bullæ requiſitam, ſed ſufficere licentiam, etiam oretenùs eiſdem conceſſam declarat.*

Munera verò à Regularibus(contra Conſtitutionem Clementis) *ultra valorem decem ſcutorum recipientes, exceptis rerum medicinalium, ſeù devotionis muneribus, ante factam reſtitutionem non abſolvat Major Pœnitentiarius, nec mandet abſolvi. Infra verè prædictum valorem, nonniſi facta arbitrio ipſius Majoris Pœnitentiarii, ſeù per eum eligendi Confeſſarii eleemoſyna, quæ in beneficium Religionis, ſeù Conventus, cui de jure facienda eſſet reſtitutio, ſi cautè fieri poteſt, erogetur, abſolvat,ſeù mandet abſolvi*: proùt expreſsè Innocentius XII. *Conſtit.Romanus Pontifex edita anno* 1692. *ſuper facultatibus Majoris Pœnitentiarii*.

19. Hìc obſervandum non ſufficere licentiam tacitam, ſi in Religione adſit ſtatutum præcipiens, ut licentiam expreſsè petatur, & obtineatur, ut apud Minores videtur neceſſarium ex allegato textu *num.*16. Quarè in Religionibus, in quibus viget conſuetudo, quòd Religioſi aliqua recipiant, retineant, aut donent ſinè expreſſa licentia Superioris, & Superior conſuetudinem non revocat, cùm facilè poſſit,nec prohibet,Religioſi excuſantur à peccato proprietatis ratione licentiæ tacitæ, ut per Pelizarium *de Monialib.*

*nialib.ſect.1.cap.4.num.63.*Maſtrium *Theol. Moral. diſp.4. q.1. num.44.*

Verùm hæc licentia tacita non habet locum in diſtractionibus rerum Monaſterii, propter quæ Monaſterium grave damnum pateretur; ut, ſi Calicem à Sacriſtia alienes: ſi parvula furta ad quantitatem adeò notabilem perveniant, ut Conventui gravitèr judicio prudentum præjudicetur. Neque illa juſtificat donationes immobilium, & mobilium pretioſorum, cum hoc ſit alienare: Regularibus etiam aliundè prohibitum ex alibi dictis.

Quantitas verò, pro qua donanda Superior poſſit, tàm ſibi, quàm aliis licentiam concedere, remittitur arbitrio prudentum, conſideratis circumſtantiis: verùm ſemper attendendum eſt, ne gravitèr Monaſterium lędatur. Apud Minores, quæ ſint vilia, & parum valentia debent in Capitulis Generali, & Provincialibus declarari, ut dicto textu.

20. Pœnæ, quas incurrunt donantes ſinè licentia, ſunt ex præjacta Conſtitutione Clementis: *privatio ipſo facto vocis activæ, & paſſivæ, & inhabilitas perpetua ad dignitates, & officia: privatio item omnium*

dignitatum, graduum, munerum, & officiorum, quæ quis poſſidet. Vide infr. *tit.2. conſil. 3. num. 23*.

Quæritur. *An Fratribus Minoribus liceat res aliquas commutare?*

21. Eſt certum non poſſe, ſi quæſitum procedat de commutatione civili, qua res pro alia re, æſtimato pretio, cum obligatione juridica, & legali utrinque præſtatur. Etenim hujuſmodi commutationis genus ſupponit in perſonis commutantibus dominium, vel jus in rebus: dominii autem, & juris Fratres ſunt incapaces.

22. Poſſunt verò, inſpecta commutatione, ut importat utrinque ex qualitate, & naturali gratitudine rerum communicationem. Nam in hoc ſenſu nullum jus, & dominium dicit ex parte Fratrum, ſed tantùm uſum ſimplicem.

Neque relevat, quòd videantur rem ſuis uſibus datam transferre in dominium illius, cum quo commutatur. Nàm dominium, quod in altero ſequitur, non habetur ex uſu Fratrum, ſed ex interpretativa voluntate concedentis. Qui enim eleemoſynam largitur, intendit, ut recipiens illa utatur modo ſibi commodo, &

con-

convenienti; conveniens autem aliquando eſt, ut pauper det panem ſibi datum, & accipiat vinum, vel quidpiam aliud neceſſarium.

23. Undè poſſunt res mobiles, cùm expedit, ac Generalis, vel Provinciales expedire judicant, per Syndicos, etiam extra Ordinem cum rebus neceſſariis commutari. Ità literalitèr declaratio Nicolai in *d. cap. Exiit* §. *Quia verò libros*, ibi. *Quia verò libros, & alia mobilia, quibus tàm Ordo, quàm Fratres utuntur, quorum dominium* (cum non ſint dominii aliorum) *ad præfatam Eccleſiam ſpecialitèr ſpectare dignoſcitur, interdum contingit, ſeù expedit vendi, vel etiam commutari: Fratrum utilitatibus, & eorum conſcientiis providere volentes, eadem auctoritate concedimus, ut commutatio talium rerum, & ad eas res, quarum uſum Fratribus licet habere, de Generalium, & Provincialium Miniſtrorum in ſuis adminiſtrationibus conjunctim, & diviſim auctoritate procedat. Quibus etiam de diſpoſitione uſus talium rerum concedimus ordinare.* Illud de *auctoritate* importat de conſilio, non verò, quòd per ipſos fiat venditio, vel commutatio. Ubi lex reſtrictè loquitur non eſt extendenda. Nec dicatur

Superiores eſſe talis auctoritatis incapaces. Nàm auctoritas ibi non importat habere dominium, vel jus in rebus, quæ commutantur, ſed dicit, Pontificem illis impertiri facultatem, ut poſſint per Syndicum, res non utiles in alias utiles commutari; in caſu Syndicus eſt miniſter, cujus miniſterio Papa utitur ad transferendum dominium rei commutatæ in alterum: quemadmodum, cùm dat facultatem donandi vilia extrà Ordinem, dominium, quod in hujuſmodi donationibus transfertur in recipientes, non à Fratribus datur, ſed ipſi purè miniſterialitèr ſe habent, quorum miniſterio Papa utitur ad illud transferendum.

Quòd, ſi inſtetur, hac ratione licitum Fratribus erit miniſterialitèr vendere, & emere.

25. R. Intèr hæc, & donare apertum diſcrimen eſt. Emptio enim, & venditio fieri non poſſunt ſinè pecunia, cujus etiam uſus, & formalis contrectatio eſt ipſis Fratribus prohibita, ut in *d.cap.Exivi §.Verùm etiam*. Propterea ibi Clemens V. interdixit eis, ne acceptarent executiones Teſtamentorum: non quatenus ſint per ſe ex Regula prohibitæ, ſed quia, ut ait tex-

textus: *Conſiderata ſui puritate ſtatus, debent ſibi ſcire interdictum, quòd hujuſmodi executionibus, & diſpoſitionibus ſe exponant: cum hæc ſæpius abſque litigio, & contrectatione, vel adminiſtratione pecuniæ nequeant expediri*. Ubi tamen permittit conſilium dare: *Cùm* (ſequitur textus) *ex hoc ipſis circa bona temporalia, nulla juriſdictio, ſivè actio in judicio, ſivè diſpenſatio tribuatur*. Contrectatio autem, & uſus pecuniæ non intervenit in donatione. Quin etiam, licet Fr. Minori ſimplicitèr tradere emptori rem à Syndico venditam, & commutatam, etſi ex ejus miniſteriali traditione ſequatur dominium in emptore, & commutatario: non alia de cauſa, quàm, quia ex traditione Frater nihil juris exercet.

26. Hinc pro praxi ſequitur. Primò: Poteſt Generalis in Ordine commutare, quæ ſunt data uni Provinciç cum iis, quæ data ſunt alteri.

Secundò. Poſſunt Provinciales, quæ ſunt data uni Conventui, alteri applicare, & ab altero accipere, quæ ipſi conceſſa erant: niſi obſtet expreſſa prohibitio donantis. Ratio eſt, quia hìc potius datur commutatio uſus, quàm rei: & quæ Ordini dantur, cenſentur in adminiſtratio-

tionem Superiorum intra Ordinem dari, dummodò aliud explicitè non habeatur, & non ſint oblata pro determinata neceſſitate juxta dicenda *tit.3. conſil....*

Tertiò. Licet Guardiano de licentia Generalis, vel Provincialis commutarè ea, quæ abundant in ſuo diſtrictu cum aliis, quibus abundat alter Guardianus in ſuo. Hinc poteſt unus filum, lanam, &c. cum panno commutare, granum pro oleo, &c. Dixi *de licentia eorumdem*, quia textus de illorum auctoritate vult eſſe faciendam commutationem.

Caveant itaque Fratres, ne aliqua ſinè licentia Generalis, vel Provincialium reſpectivè commutent; & eradicentur abuſus, ſi qui ſint, quòd Quæſtores eleemoſynarum ſinè illa res mendicatione quæſitas, cum aliis rebus commutant.

An verò *poſſint Fratres aliqua mendicare, vel procurare ea intentione, ut cum aliis,* extrà Ordinem per Syndicum comutent?

R. Poſſe, aliis eleemoſynis ceſſantibus, modò vera, & rationabilis neceſſitas urgeat, ex obſervata Regula à Nicolao præfinita §. *Inſuper: ut in omnibus appareat, quò ad dominium omnimoda abdicatio, & in uſu neceſſitas.*

An

An autem *liceat Fratribus mutuum contrahere?*

25. Negativè dicitur de mutuo juridico, & politico, in hoc enim dominium rei à mutuante transfertur in mutuatarium: & ego dans mutuò, de meo facio tuum. Incapax verò eſt Frater Minor frigidæ illius voculæ *meum, & tuum*. Hinc Nicolaus §. *Cæterum* ait: *dicimus in primis, quòd Fratres ipſi à mutuis contrahendis abſtineant, cùm eis mutuum contrahere (ipſorum ſtatu conſiderato) non liceat.*

Undè gravitèr peccat, qui per ſyngraphas, vel hypothecas ſe obligant. Item, qui per Syndicum pro ſe, vel nomine Conventuum ſpondere faciunt. Deteriori verò modo operatur, qui per ſe, vel Syndicum Fratrum nomine pecunias mutuò confert. Fratribus enim in pecuniis, nec ſimplex uſus facti eſt permiſſus.

Dictum eſt *de mutuo juridico, & politico*, quia in hoc obligatio contrahitur, & dominium transfertur; ſecùs evenit in mutuo largè ſumpto, quod ideò Fratribus licitum eſt: Et ſic explicatur: Ceſſant conſuetæ eleemoſynæ, & neceſſitas occurrit: in caſu licet Fratri Minori rogare Benefactorem, ut velit rem neceſſariam ſol-

ſolvere, & ipſe ſpondet, quod procurabit fidelitèr, quòd ab amico ſpirituali pecunia ſoluta reddatur. Hìc nullum dominium, vel receptio, aut uſus pecuniæ intervenit reſpectu Fratrum, ſed ſolùm procuratio anticipatæ ſolutionis à benefactore, cum fideli propoſito poſtea reprocurandi ſatisfactionem. Quare hìc apparet duplex recurſus; prior ad ſolutionem anticipatam rei; poſterior pro ſolutione anticipatæ ſolutionis.

28. Inepti omninò ſunt ad pecuniam in depoſitum tradendam, vel recipiendam, proùt in terminis dixit Clemens in *d. Cap. Exivi* §. *Quapropter*. Hìc enim prętcr obligationem de reſtituendo intervenit, etiam pecunia, cujus etiam uſus eſt Fratribus interdictus, ut dictum eſt.

29. Nec valent oppignorare res Conventus. Siquidem hoc reputatur ſpecies alienationis vetita ex *cap. Ambitioſæ*, dixi *Off. Cur. Eccleſiaſt. cap.*45. *num.*15. Etenim res in pignus tradita obligatur in ſecuritatem debiti, adeòut ſi alitèr ſatisfieri non poſſit, creditor ex illo ſibi ſolvit. Propterea omnes Regulares egent licentia Sac. Congreg. Conc.

30. Nulla ſimilitèr actio in judicio illis

illis convenit, ut inquit Nicolaus *loc. cit. d.§.Cæterum*. Et Clemens ibi §. *Ex talibus: cum dicti Ordinis profeſſores* (ait) *pro nulla re temporali poſſunt in judicio convenire*.

31. Minuſque eis licet cautiones prę-ſtare, vel fideiubere, cùm hoc obligationem ad ſolvendum importet in fidejuſſore, ſi debitor principalis non ſolvat.

32. Tandem inhabiles ſunt ad contrahenda debita, & quietantias legales, ac civiles faciendas. Nàm hæc ſupponunt capacitatem dominii cum obligatione juridica. Quæ non poſſunt eſſe in Fratre, adeò altiſſimæ paupertatis profeſſore. Vide *tit.4. conſil.2.*

33. An verò *poſſint Fratres regere ſcholas puerorum, & ſæcularium, ſivè in Conventu, ſivè extrà?*

Attendendum eſt expreſsè prohiberi per Statuta generalia *c.5.* §.1. *n.* 7. Quatenùs verò Superior General. putet ſe poſſe Statutum declarare, videat, nè quidquam inducat contrarium puritati Regulæ, ac obſervet: an initum fuerit pactum de mercede recipienda ludimagiſtro debita: & in caſu conventionis omninò abſtineat. Superiores dati ſunt in ædificationem, non in deſtructionem: & noverint

ſecun-

ſecundùm jura nullam eſſe diſpenſationem, vel interpretationem, legitima cauſa non exiſtente.

Sed *quid, ſi incolæ loci mercedem offerrent in eleemoſynam Syndico Conventus tradendam pro neceſſitatibus Fratrum?* In Caſu inſpicienda eſt circumſtantia veræ neceſſitatis, cui aliàs ordinariis eleemoſynis non poſſit occurri. Sed hypoteſis in partibus Chriſtianorum non de facili admittitur, quidquid ſit in illis Infidelium; in quibus urget paritèr neceſſitas procurandi ſalutem ſpiritualem proximi per inſtructionem puerorum, in rebus quoque noſtræ Fidei, præceptis Eccleſiæ, &c. Videantur allegata *Statut. cap.* 12. §. 19. pro pueris Terræ Sanctæ, & Sanctoro *Coment. cap.* 5. §. 14.

CONSILIUM VII.

An liceat Fratribus Minoribus facere proviſiones tritici, vini, & olei?

SUMMARIUM.

1 *FratresMinores non debent tentare Deum.*
2 *Uſus facti Fratribus conceſſus in neceſſariis.*
3 *Uſus facti jus in utendo non importat.*
4 *Triplici via poſſunt Fratres ſuis neceſſitatibus provi dere.*
5 *Quo caſu poſſint Fratres cibaria aſſervare?*
6 *An Fratribus ſit datum præceptum laborandi manualitèr.*
7 *Fratribus non eſt interdictum mendicare.*
8 *Fratres non poſſunt pactione civili convenire de mercede operum elaboratorum.*
9 *Syndicus poteſt ea vendere.*
10 *Non debent relinqui Conventus, qui abſque proviſione victualium vivere non poſſunt.*
11 *De novo verò fundari non debent.*

TEM-

TEmpore Concilii Viennenſis de hac re ſcrupuloſa quæſtio intèr Fratres movebatur. Aſſerentibus nonnullis, ſimiles proviſiones Fratribus non licere,eaſque repugnare puritati Regulæ: fuit conſulta Sedes Apoſtolica, ad quam, examine deducto, Clemens V. in *Clementina Exivi de verb. ſignif.* litem ad ſerenandas Fratrum conſcientias decidit, ut infra conſtabit.

1. Undè ſciendum à S. Franciſco fuiſſe Fratribus injunctum, ut eſſent omninò alieni à quovis jure, proprietate, & dominio rerum temporalium; verùm præſumi nullatenus debet, quod eos in tali ſtatu voluerit conſtituere, ut deberent tentare Deum, & carere neceſſariis ad vitæ ſuſtentationem. Sic enim, nec ejus intentio impleta, neque ab ipſo adinventus modus vivendi receptus, probatuſque fuiſſet, dicente Nicolao III. in *cap. Exiit de verb. ſignif. in 6. §. Et quidem*: *Nulla prorſus poteſt eſſe profeſſio, quæ à ſe uſum neceſſariæ ſuſtentationis excludat.*

2. Ideò, ex quo Fratres à ſe abdicent, tàm cujuſque rei dominium, quàm uſus proprietatem, non inde ſequitur, quin uſus

uſus facti, excepto in pecuniis, eis ſit in rebus, tàm in neceſſariis ad vitæ ſuſtentationem, quàm ad officiorum ſui ſtatus executionem conceſſus, prout iiſdem eſſe omnimodè licitum, dixit Nicolaus *ubi ſupr.*

3. Neque hinc Fratres conſtituuntur, etiam quantùm ad uſum capaces proprietatis: Siquidem, prout ibi Pontifex declaravit, quod *facti eſt tantùm, in utendo præbet utentibus nihil juris.*

4. Debent planè Fratres ſe ipſos committere divinæ providentiæ in vivendo, *ſed non ità, ut viam contemnant humanæ proviſionis,* ut eſt textus in *d.§.Nec quidquam. Propterea ſuſtentari poſſunt, debentque, vel, de iis, quæ offeruntur liberalitèr: vel, de iis, quæ mendicantur humilitèr: vel, de iis, quæ conquiruntur per laboritium; qui triplex vivendi modus in Regula providetur expreſsè,* ut ibi Nicolaus. Et in horum ſupplementum, & ſubſidium Sanctus Pater providit de recurſu ad amicos ſpirituales, ut dicam *tit. ſequen.*

5. Hinc, cùm experimento probatum ſit, omnia neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem non poſſe quotidianis mendicationibus acquiri, & ſit credibile inveniri

non poſſe, licet Fratribus congregationes frumenti, vini, & olei facere, proùt declaravit idem Clemens §. *Et idcircò*, ibi: *Et idcircò non ex timore levi relaxare ſe debent ad congregationes, & conſervationes hujuſmodi faciendas: ſed tunc tantùm, cùm eſſet multùm credibile ex jam expertis, quòd non poſſent vitæ neceſſaria alitèr inveniri. Hoc autem Miniſtrorum, & Cuſtodum ſimul, & ſeparatim in ſuis adminiſtrationibus, & Cuſtodiis (cum Guardiani, & duorum de Conventu loci Sacerdotum, & antiquorum in Ordine Fratrum conſilio, & aſſenſu) duximus judicio relinquendum: eorum ſuper hoc ſpecialitèr conſcientias onerantes.* Quod confirmat Joannes XXII. *Extravag. Quorumdam de verb. ſignif.* §. *Nos de prædictorum.*

Ubi conſtat tres conditiones neceſſarias ad hujuſmodi proviſiones faciendas requiri.

Prima eſt, ut non ſit timor levis, ſed experientiâ conſtet alitèr res neceſſarias inveniri non poſſe.

Secunda, ut neceſſitas judicetur à Miniſtris, & Cuſtodibus, accedente Guardiani, & duorum Diſcretorum conſilio.

Tertia, ut proviſiones non faciant ad copiam, & ultrà neceſſitatem: nec tolla-

tollatur mendicatio quotidiana.

Ideò gravitèr peccant, qui temporibus meſſis, & vindemiæ in tanta abundantia vinum, & granum colligunt, eaque in cellariis, & granariis reponunt, ut non ad ãnum ſolùm, ſed ad annos etiam, ſibi provideant, adeòut poſſint ſinè quotidiana mendicatione ſuſtentari. Super quo præcisè eo tempore Fratres zelantes paupertatem, conquerebantur, ut in littera patet §. *Ad Noſtrum*.

Dices. Ex intentione Sancti Patris ſimiles conſervationes non ſunt Fratribus permiſsæ; etenim eis præcepit, ut neceſſaria ad ſuſtentationem per laboritium acquirerent: nàm *cap.* 5. *Regulæ*, dicitur: *De mercede verò laboris pro ſe, & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant*.

Propter verba hujus textus, & illa poſita in Teſtamento à S. Franciſco: *Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alii Fratres, volo, quòd laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem*, nonnulli putant à S. Patre fuiſſe generalitèr Fratribus præceptum, ut opere manuali laborarent.

6. Verùm, omiſſo, quòd Fratres ad ob-

obſervantiam Teſtamenti non tenentur, proùt declaravit Gregorius IX. *d. cap. Exiit* §. *Cæterum ſanctæ*, dicimus non alia intentione fuiſſe à S. Inſtitutore Fratribus laboritium commendatum, quàm *propter bonum exemplum, & ad repellendam otioſitatem*. Otium enim pulvinar Diaboli eſt, & multorum malorum origo. Ideò, ſublato otio, præceptum non obligat. Et propterea Nicolaus III. *cap. Exiit* §. *Continetur*, declarat: *quòd, conſideratis verbis prædictis* (quòd Fratres laborent) *& forma, ſeù modo loquendi, ſub quibus Fratres ad hujuſmodi exercitium inducuntur, non videtur ea fuiſſe inſtituentis intentio, quòd vacantes ſtudio, vel divinis officiis, & miniſteriis exequendis, manuali labori, ſeù operationi ſubjiceret, vel ad hoc illos arctaret*.

7. Undè eis non videtur abſolutè preceptum, ut in manuali laboritio ſe exerceant; minuſque mendicare eſſe prohibitum aſſerimus, ſed ſuis indigentiis poſſunt indifferentèr ſubſidium præſtare, vel per liberalitèr à fidelibus oblata, vel per mercedem laboritio debitam, vel per humilem mendicitatem. Hinc Sanctus Pater *cap. 6. Regulæ* Fratribus injunxit, *vadant pro eleemoſyna confidentèr*. Et quamvis

vis mendicatio videatur adjecta in ſupplementum, & ubi alii modi oblationum liberalium, & mercedis laboris deficerent: cùm illud de mercede laboris ponatur *cap.* 5. & illud de mendicando *cap.* 6. & in Teſtamento hæc ſint: *Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad menſam Domini petendo eleemoſynas oſtiatim*, tamen de voce non eſt certandum:nàm Nicolaus *ubi ſupra* in ſecundo loco modum providendi neceſſitatibus ponit humilem mendicationem.

Quinimò, ut advertit Hugo de Dina *cap.4. lib.7. q.unic.* ordinariæ mendicationes Fratrum, non tàm ſunt mendicationes, quàm humiles, quaſi petitiones mercedis titulo multorum obſequiorum, quæ populo præſtantur in Concionibus, & aliis ſpiritualibus exercitiis.

8. Ubi verò Fratres operibus manualibus occuparentur, ignorare non deberent, ſe non poſſe civili, ſeù politica pactione paciſci de mercede ſui laboris (etiam ſpiritualis) quia Fratres ſunt incapaces cujuſcumque juris politici ad quamcumque rem, & ità etiam ad mercedem; ac inhabiles ſunt ad illam recipiendam, vel, ut jure aliquo politico

debitam: humilitèr tamen, & per modum eleemoſynæ ad illam recurrere, & accipere non prohibentur, dicente S. Franciſco *d. cap.5. De mercede verò laboris pro ſe, & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant præter denarios, vel pecuniam, & hoc humilitèr, ſicut decet ſervos Dei, & paupertatis ſanctiſſimæ ſectatores.*

9. Ex intelligentia textus debent Fratres eſſe alieni à quavis civili conventione, & jure circa ipſa opera, poſſunt tamen à Syndico vendi, & ab eo exactum pretium in neceſſitates Fratr. converti. Ratio eſſe videtur, quia hujuſmodi opera ſunt ſub dominio Pontificis, cui Fratres, tamquam filii parenti acquirunt, ideò ejus intentio præſumitur eſſe, ut ex *d. cap. Exiit* §.*Quia verò libros*, quòd opera filiorum diſtrahi pro veris, & certis eorumdem neceſſitatibus ab eo poſſint, quem ipſe conſtituit, ut illorum indigentiis provideret. Neque Fratres laboritio intenti, animo etiam, ut à Syndico opera vendantur, reputantur pecuniam intendere, ſed ſolùm mentem dirigere, ut congruè neceſſitates releventur; ſicut, dum recurrunt ad amicos ſpirituales pro ſolutione rei neceſſariæ per pecuniam

facien-

facienda, non cenſentur conſentire in pecuniam, ſed ſubſidium dumtaxat ſuæ neceſſitatis recipere.

Monendi ſunt Fratres privati, quòd nec laborare debent ſinè Superiorum commiſſione, nec cum Syndico agere, vel ſe ingerere in operum venditione; cùm apud Superiores tantummodò ſit onus ei ſignificandi per ſe, vel Religioſos à ſe deputatos neceſſitates Fratrum, quibus debeat per pretium ex venditione receptum occurrere.

Sed dubium eſt: *nonnè melius eſſet Fratribus Conventus relinquere, in quibus non poſſint ſinè talibus Congregationibus vivere, quàm de illis eſſe ſolliciti?*

10. R. Negativè. Nam, ſicut S. Franciſcus poſitivè præcepit Miniſtris, & Cuſtodibus, *ut pro neceſſitatibus infirmorum, & Fratribus induendis*, (& ad alias extendit Clemens §. *Cùm etiam*, *ceſſantibus eleemoſynis*, vel liberalitèr oblatis, vel mendicatione acquiſitis) *recurrant ad amicos ſpirituales*, nec hujuſmodi recurſus infert Regulam in ſua puritate non ſervari, cùm non ſit diſpenſatio, ſed modus à S. Fundatore poſitivè demandatus: ſic non eſt contra puritatem obſervantiæ

Regulæ tales congregationes procurare; maximè, quia id contineri cenſetur ſub diſpoſitione illa, *vadant pro eleemoſyna confidentèr*. Propterea ubi nequeunt Fratres ſinè illis vivere, non tenentur Conventus relinquere, vel ſcrupulis agitari, niſi locum mutarent: exceſſus tamen, & fraudes vitentur, & Sedes Apoſtolica in caſu conſulatur.

11. Ubi ageretur de nova Conventus fundatione, ſi locus eſſet talis naturæ, ut non poſſent de dietim (intellige in ſenſu morali, non mathematicò) mendicato vivere, deberent Fratres à fundatione ceſſare, etiam ſi Communitas annuam præſtationem favore novi Conventus ſponderet. Nàm in facti contingentia (me Curiæ Secretario) non ſemel Sac. Congregatio Epiſcoporum licentias ad ſimiles fundationes denegavit, requirens, ut Fratres authentica documenta producerent, ſignificantia poſſe Fratres de ordinariis quæſtuationibus commodè in loco ſuſtentari. Quinimò, ubi talia à Cōmunitatibus obſervavit relicta, commiſit, ut prius à Definitorio ſolemnis proteſtatio illis exhiberetur, de qua *tit.3. conſil.1.num.4.* in qua proteſtaretur, ſe in illis

illis præſtationibus nihil juris habere, ſed velle ex precariò acceptis neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ, proût decet, providere. Undè Religioſi præſtationes taxatas à Communitate, nonniſi per viam eleemoſynæ recipere poſſunt; proût ex ſequentibus, etiam patet eis eſſe dandas.

Sac. Congregatio Boni Regiminis 12. Auguſti 1651. reſcripſit. „ Ficulle
„ al Podeſtà. Comanda la Sagra Con-
„ gregazione mentre ſia vero, che nell'
„ ingreſſo de' PP. Cappuccini in coteſto
„ Luogo dal publico Conſiglio foſſero
„ per loro ſoſtenramento aſſegnati per
„ limoſina ſcudi 59. l'anno, gli ſi conti-
„ nui conforme al ſolito tale ſuſſidio ca-
„ ritativo, onde Voi le concederete la
„ facoltà opportuna, operando, che in
„ tal conformità ne ſegua l'effetto.

Item, die 26. Aprilis 1678. „ Cam-
„ pagna al Governatore. La Sagra Con-
„ gregazione ſenza attendere la riſolu-
„ zione preſa dal publico Conſiglio del-
„ la Communità d'Anagni, havendo
„ ordinato, che ſi continui à ſommini-
„ ſtrare il ſolito ſuſſidio di 40. ſcudi an-
„ nui à quelli Frati Cappuccini, che con
„ tal'aſſegnamento furono ricevuti dalla

Com-

„ Communità ſuddetta, così ſi conten-
„ terà d'ordinare, che ſegua.

Item, 10.Maii 1692. Cùm inſtitiſſet Communitas Valentani habere Fratres Minores de Obſervantia apud dictam S.Congregationem, ut ſibi permitteretur ſubſidium pro illis tribuere, reſcripſit, ut ſequitur. „ Viterbo al Governatore. E'
„ ſtata, &c. per il di cui effetto s'è con-
„ tentata la medema S. Congregazione,
„ che poſſa la predetta Communità in
„ conformità della riſoluzione del Con-
„ ſiglio ſomminiſtrare ſcudi 50. per una
„ ſol volta, da pagarſi in cinque anni
„ colli ſopravanzi della Tabella in ogn'
„ anno la rata; & altri 50. ſcudi annui
„ in ſuſſidio caritativo per pietanza, e
„ veſtiario de' Religioſi, che vi dimore-
„ ranno da pagarſi 25. ſcudi in ogni ſe-
„ meſtre. Onde V.S. ne potrà conce-
„ dere la neceſſaria licenza „ apud de Luccia *diſſert.de legatis num.*252. *& ſequen.* Vide infra *tit.3. conſil.*1. §.6. *num.* .'.

Verùm, cùm Fratres ſunt in dominio Infidelium, & Hæreticorum, ubi via quæſtuandi redditur impoſſibilis, neque poſſunt neceſſitates veræ eleemoſynis quotidianis reparari, à Sac. Congr. per- mit-

mittuntur tot redditus ſufficientes ſuſtentationi eorumdem, proùt Sac. Congr. interrogata, occaſione erectionis Conventus in Moſcovia in loco, in quo aderant Schiſmatici, ſub 27. *Maii* 1645. reſpondit: *dd. Fratres poſſe recipere per viam ſimplicis eleemoſynæ.* Urbanus verò VIII. *conſtit. Cupientes* 23. *Septembr.* 1625. conceſſit, quòd Fratres exiſtentes in Terris Infidelium, abſque conſcientiæ ſcrupulo retinere valerent bona immobilia, Nicol. *Floſc. v. Obſervantes à n.* 10. Quod quidem accipiendum eſt, ſi Fratres eleemoſynis precariò quæſitis vivere non poſſint.

CONSILIUM VIII.

An Fratres Minores teneantur ad uſus arctos, & pauperes?

SUMMARIUM.

1 *Fratres Minores ex vi Regulæ ad uſus pauperes tenentur in Regula expreſſos.*

2 *Votum paupertatis eſt indifferens ad uſus pauperes, & non pauperes.*

3 Cir-

3 *Circa veſtimenta Fratres uſum pauperem ſervare debent.*

4 *Quid veniat appellatione calceamenti?*

5 *Undè attendenda ſit vilitas veſtimentorum?*

6 *Veſtimenta Fratrum non debent ad riſum provocare.*

7 *Judicio Superiorum remittitur qualitas habitus.*

8 *An plures Tunicæ, ſtaminea, & induſia Fratribus ſint permiſsa?*

9 *Quæ neceſſitas cenſeatur ſufficiens, ut Superior poſſit in pluralitate Tunicarum diſpenſare?*

10 *Quandò ſufficiat licentia tacita?*

11 *Loco Tunicæ interioris poteſt deferri Tunicella.*

12 *Novitiis præter veſtimenta à Regula præfinita laneæ particulæ concedendæ non ſunt.*

13 *Pileus non eſt contra Regulam.*

14 *In geſtatione bireti, quid obſervandum?*

15 *Fratres extra caſum neceſſitatis non poſſunt equitare.*

16 *Circa res ſibi necesſarias debent Fratres ſervare uſum moderatum.*

ORDO

ORdo Fratrum Minorum olìm in factiones dividebatur propter controverſiam, quæ moleſtè Fratres torquebat. Plures erant opinionis, quòd ſicut quòad dominium habent ex voto abdicationem arctiſſimam, ità ex vi ſuæ profeſſionis ad uſus arctos, ſtrictos, & pauperes tenerentur, utpotè ex Regula obligati ad arctiſſimam paupertatem. Alii ex adverſo pro veritate certantes, aſſerebant Fratres ex vi profeſſionis ad uſus alios pauperes non teneri, quàm ad expreſſos in ipſa Regula, concordantes quò ad cœteros ad uſus moderatos ligari.

1. Hæc poſterior ſententia fuit canonizata à Clemente V. in *Clementina Exivi de verb. ſignific.* §. *Ex præmiſſis*, per hæc. *Volentes itaque conſcientiarum prædictorum Fratrum providere quieti, & his altercationibus finem dare, declarando dicimus, quòd Fratres Minores ex profeſſione ſuæ Regulæ ſpecialitèr obligantur ad arctos uſus, ſeù pauperes, qui in ipſorum Regula continentur; & eo obligationis modo, ſub quo continet, ſeù ponit Regula dictos uſus. Dicere autem, ſicut aliqui aſſerere perhibentur, quòd hæreticum ſit tenere uſum*

uſum pauperem includi, vel non includi ſub voto Evangelicæ paupertatis, præſumptuoſum, & temerarium judicamus.

2. Per hęc ultima ſilentium Clemens impoſuit, tàm iis, qui nimiùm verboſi appellabant hæreticos aſſerentes uſum pauperem includi in voto paupertatis, quàm aliis, hęreticitatem impingentibus, illis, qui ſuſtinerent non includi, ſicut enim homo formalitèr non includit eſſe album, quia poteſt eſſe homo, & non eſſe albus: & non excludit, quia poteſt eſſe homo, & eſſe albus: indifferens enim eſt, ut ſit albus, & non albus; ità votum paupertatis componitur cum uſu paupere, & ſtat ſinè illo uſu. Quoniam eſſentialitèr verè pauper eſt, quicumque nullum prorſus jus, & dominium in re, & ad rem habet, ſivè uſum pauperem ſervet, ſivè non.

Quòd Fratres abſolutè ad uſus pauperes non teneantur, ſed ad illos dumtaxat à Regula præfinitos, fuit ſententia S.Bernardini Senenſis in Epiſtola directa, ult. Julii 1440. ad Familiam Italiæ, ibi: *Non tenentur Fratres ad alium arctum uſum rerum, quàm, qui in Regula particularitèr exprimitur, ut ſatis patet per Clementem V. in*

in ſua Declaratione §. Ex præmiſſis. Quinimò ut claret ex Declaratione Nicolai III. §. Porro ſecundùm Regulam, & omnimodam veritatem moderatus uſus rerum ad vitæ ſuſtentationem, & officiorum ſui ſtatus executionem (præterquam, quod de pecunia dicitur) *conceſsus eſt Fratr ibus*.

Uſus verò arcti, & pauperes, ſivè penurioſi, qui in Regula exprimuntur, & ad quos Fratres ex obligatione ſuę profeſſionis tenentur, ſunt.

3. I. Ut habeant duas Tunicas, unam cum Capucio, & aliam ſinè Capucio ex *cap.2. Regulæ*. De qua re Innocentius XI. in *Conſtitutione Sollicitudo Paſtoralis* declaratoria nonnullorum ad Regulam pertinentium hæc ſunt: *Fratres de corpore Obſervantiæ tenentur ad non utendum pluribus veſtimentis, quàm illis, quæ Regula præſcribit, nempè, una Tunica cum Capucio, & alia ſinè Capucio, Chorda, & femoralibus: nàm aliud quodvis veſtimenti genus ultrà prædicta (excepto Mantello ab initio Religionis licito) ut induſia, ſeù Camiſiæ, Sudariolæ, Tunicellæ, & ſimilia ſunt contra Regulam, niſi adſit vera neceſſitas excuſans à præcepto, per Prælatum approbata*.

4. Ex *eodem cap.* ut incedant nubis pedibus,

dibus, vel ſinè calceamentis, hoc eſt, ut ibi declarat Innocentius, *abſque aliquo, quod pedem cooperiat, cujuſcumque illud materiæ ſit, niſi adſit vera neceſſitas à Prælato approbanda*. Hinc ſandalia, vel calepodia non prohibentur, cùm pedem non cooperiant, ſed ſint in ipſius tutelam.

III. Ex *eodem*, ut ſervent vilitatem in veſtimentis: *Vilitatem autem veſtium*, ait textus in *Clementina Exivi* §. *Præterea, tàm habitus, quàm interiorum Tunicarum, illam intelligi debere dicimus; quæ ſecundùm conſuetudinem, vel conditionem Patriæ debeat, quantùm ad colorem panni, & pretium vilitas meritò reputari: non enim quòad regiones omnes poteſt determinatus unus modus in talibus aſsignari. Hujuſmodi etiam vilitatis judicium Miniſtris, & Cuſtodibus, ſeù Guardianis duximus committendum, eorum ſuper hoc conſcientias onerantes: ità tamen, quòd ſervent in veſtibus vilitatem*.

5. Vilitas itaquè attendi debet in pretio, & colore. Quia verò color cinereus, & naturalis lanarum eſt magis accommodatus vilitati, magiſque Religioni pauperum conformis, non ſunt panni conquirendi artificialis coloris. Undè licet veſtimenta ejus generis eſſe non debeant,

beant, ut veritas, & curioſitas in illis appareat, ſed ſolùm humilitas, & paupertas; tamen nec ità vilibus, & rudibus uti debent, ut horrorem inducant, & riſum provocent, & ad deridendum videntes extimulent.

6, Ideò coercendi ſunt, & ad limites decentiæ revocandi, qui licentiâ eis factâ in Regula repeciandi veſtes abutuntur, animum, & manus ad monſtruoſas repeciationes convertentes, quæ riſui potius, & admirationi inſerviunt, quàm devotionem Religioni concilient; & ſtomachum movent potius, quàm ædificent.

Abuſus, & corruptelæ à nonnullis inductæ circa varias veſtimentorum formas referuntur, & improbantur à Joanne XXII. *Extravag.Quorumdam §.Clemens*: Et ſub pœna excommunicationis præcipitur Fratribus, ut habitus inuſitatos, & cœteris difformes ad mandatum Generalis deponant.

7. Ubi non Fratribus particularibus committitur judicium de qualitate veſtimentorum, *quantæ longitudinis, quantæ latitudinis, quantæ groſsitiei, vel ſubtilitatis, qualis formæ, qualiſve figuræ debeant eſſe*; ſed, tàm exterioris habitus, quàm interioris

rioris

rioris Tunicæ qualitas, & forma reſervatur diſpoſitioni Superiorum; qui adverſus præſumentes novitatibus Ordinem dividere, procedere debent ſalutaribus remediis compeſcendo animoſitatem.

8. Cùm itaque Tunica à tuendo corpore appelletur, ut quis poſſit tertiâ Tunicâ uti, vel ſtaminea, ſudariola, ſeù induſia deferre, debet adeſſe neceſſitas cum Superioris licentia; & major neceſſitas requiritur pro uſu lineorum, quàm laneorum, ut ex terminis patet. Undè ſi quis, vel lineis, vel laneis ultra conceſſa uteretur, peccaret mortalitèr, niſi parvitas temporis excuſaret.

Neceſſitas verò non debet eſſe extrema, ſed moralis, & rationabilis, propter quam poſſit Superior prudentèr moveri ad concedendam diſpenſationem; ſuper quo nec levis eſſe debet, neque difficilis, ſed, penſata qualitate neceſſitatis, utatur facultate à lege ſibi attributa.

9. Neceſſitas ſufficiens ad diſpenſandum à Superiore ſuper Tunicarum numero, vel uſu induſiorum, & ſtamineorum, cenſetur eſſe infirmitas Fratris, intolerantia frigoris, debilitas, & ſenectus. Item, prudentèr præſumitur ſufficiens

ciens ad diſpenſandum cum aliquibus Sacerdotibus in ſtamineis mundities in habitu, nè celebraturi ſacras veſtes ſordibus repleant. Sicut ad concedendos habitus, etiam mutatorios, judicatur idonea, ſi Fratres ſordidis quibuſdam exercitiis implicari debent, quæ ſinè mutatoriis, non niſi magna inhoneſtate impleri poſſunt.

10. Licentia debet eſſe expreſſa, quæ, etiam à Guardianis poteſt concedi, juxta *d. Clementinam §. Propterea*. Et eſt expreſsè petenda; ſi verò Prælatus ſit abſens, ſufficit præſumpta, & tacita.

Dices. Opus licentiâ non eſt, cùm Julius II. facultatem conceſſerit utendi tertiâ Tunicâ, vel ſtamineis.

Contra. Conceſſio Julii fuit revocata ab Urbano VIII. *Conſtitut. Sacroſanct.* 51. *Bullar. tom.*4. & Innocentius XI. ubi ſupra annullat, & caſſat omnes diſpenſationes, conceſſiones, & conſuetudines, ſi contrà expreſſa in Conſtitutione reperiantur. Quod, etiam advertit Sanctoro *comment. in ſtat. cap.*2. *ſtat.*72. *propè initium,* qui ſcripſit poſt Conſtitutionem Urbanam.

11. Poteſt quis loco Tunicæ interioris uti Tunicellâ, vel ſtamineis, proùt

notat idem Sanctoro; apud quem plura videri poſſunt.

12. Curent Provinciales tollere abuſus, ſi qui ſint, concedendi Novitiis præter veſtimenta à Regula *cap.2.* conceſſa, ſtaminea, vel laneas particulas: cùm hac conceſſione agant, quòd ipſi erroneè putent ſibi ea eſſe licita: & illis etiam, facta profeſſione, uti poſſe deducant. Propter quòd Superiores eſſe participes reatus, cujus indulgentia origo eſt, & radix, patentiſſimum notetur.

Ponderandum hic eſt, neminem Fratrum abſolvi ab obligationibus Regulæ, eſtò de illis in ſpeciali tempore novitiatus expreſsè non cogitaverit, aut inſtructus minimè fuerit, vel, viderit apud aliquos non ſervari. Quoniam, quoties quis vovit abſolutè ſtatum Fratrum Minorum, optima præſumptio eſt, quòd voluerit vovere obligationem ſtatus eorumdem, & à Regula inductam. Enim verò intendens principale præſumitur voluiſſe paritèr acceſſorium, maximè cum illo connexum.

Ad hæc ponderabis vota conſtitutiva Religioſi obligare, & ligare ſecundùm intentionem Fundatoris, & approbationem

nem Regulæ à Sede Apoſtolica, adeòut non ſit in libertate voventium particularium vim obligativam reſtringere, & per extortas ſpeculationes limitare.

Conſtat autèm à S. Franciſco inſtitutam, præſcriptamque quantitatem veſtimentorum, ut proindè hic intret Regula in *d. Clementina* §. *Porrò, quod expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum.* Proindè, qui vovet ejus Regulam, ad præfinitam veſtimentorum menſuram à ſua voluntate compellitur.

Nec poteſt allegare ignorantiam, vel praxim in contrarium; quia, quod eſt *per accidens*, non variat, quod eſt *per ſe.* Quando ignorantia foret invincibilis, à peccato excuſaret; ſed hæc in Ordine quantùm ab obſervantiam Regulæ non admittitur; cùm ferè nullus ſit, qui in anno probationis de ea non receperit inſtructionem, vel poſteà, auribus non percipiat à zelatoribus profeſsionis, vel in Expoſitoribus non legat, aut, apud Doctores non noverit, quòd verba votorum Religionum ſunt intelligenda, non ad ſenſum particularis intentionis voventis (proùt aſſeritur de votis particularibus) ſed ad ſenſum Regulæ à Fundatoribus datæ, & ab

ab Apoſtolica Sede approbatæ. Quæ ratio dicitur generalis ad omnia præſcripta in Regula ex Caramuele *Theol. Regular. n.*651. Videas *tit.ſequen. conſ.*2.*n.*52. §.3.

13. Uti galero non eſt contrà Regulam, quia intèr veſtimenta non computatur, ſed tantùm intèr itinerantium communia remedia, ad Solis æſtum, & pluvias cohibendas. Caveant tamen, qui illo utuntur, nè curioſitatem, & vanitatem foveant. Sciant in omnibus à Fratre Minore ſervandam eſſe Regulam S. Bonaventuræ in *cap.* 2. *regul.* ibi: *Quæcumque ſunt in uſu verorum pauperum, ſunt juxtà paupertatis Regulam menſuranda*.

Quod diximus de galero, procedit de ſecundo capucio, ſeù vulgò Italicè *Capparuccia*, quod in itinere geſtatur ad propulſandas aeris incommoditates: ſed hìc quoque abſit curioſitas, & neceſsitas petat. Conſulat quiſque honeſtati Religioſæ, & ædificationi hominum hujus Sæculi, ut ad neceſſaria præbenda faciliùs moveantur: iiſque utatur, quæ maximè congruunt ſtatui humili Fratrum Minorum.

14. Neque Regulæ repugnat deferre bireta, vel almutias; ſed in uſu eſt adhiben-

benda cautela, dicente Hugone de Dina. *S. Franciſcus dictas, ut ferunt, almutias, nullatenùs extra Caputium publicè ferri ſinebat: aliàs almutiæ oſtentio ſignare faſtum, vel impudentiam ſolet*: Pondera verba, & illis non utaris, niſi egeas, & caputio ſuperimpoſito, ac ejuſdem coloris cum veſtimento.

Satagant Prælati, ut in Conventibus, ubi non ſunt, erigantur Communitates, prò pannis, tùm lineis, tùm laneis, uſibus Religioſorum conceſsis, ut hac forma impediant proprietatem; & tranſgreſsionibus Fratrum ſe opponant; ac ſervent regulam traditam à D. Auguſtino in *Regula ad Servos Dei num. 8. Veſtes veſtras*, ait, *in unum habeatis ſub uno cuſtode, vel duobus, vel, quot ſufficere potuerint ad eas excutiendas, nè à tinea lædantur. Et ſicut paſcimini ex uno cellario, ſic induamini ex uno veſtiario*. Et infra *n. 9. Indumenta veſtra ſecundùm arbitrium Præpoſiti laventur*.

15. IV. Ut pedibus, & non equo iter faciant. Equo enim uti non poſſunt ex *cap. 3. Regulæ*, niſi infirmitas, vel neceſſitas judicio Superiorum probata excuſet, ut ibi Innocentius, & nos *infr.*

V. Ut victum non ex redditibus, &

 bonis

bonis ſtabilibus, aut pecuniarum uſu habeant: hæc enim important providentiam certam in futurum repugnantem ſtatui altiſsimæ Fratrum paupertati.

16. Cœterùm ex Regula abſolutè non arctantur ad penurioſos uſus circa omnia, aliàs non poſſent pro victu aliud aſſumere, quàm panem, & aquam, & eorum habitatio deberet eſſe in ædibus ex luto, paleis, & viminibus fabricatis; his enim poteſt homo in rigore vivere, & ſe ab æſtu,& frigore tueri. Quis autem hucuſque hoc dixit? Profectò id fuit ab intentione S. Inſtitutoris alienum, & declaravit Nicolaus in *cap. Exiit* §. *Nec per hoc*, ubi: *Neceſſariarum rerum, tàm ad vitæ ſuſtentationem, quàm ad officiorum ſui ſtatus executionem (excepto, quod de pecunia infra ſubjungitur) moderatus uſus, ſed ſecundùm eorum Regulam, & veritatem omnimodam conceſſus eſt Fratribus*. Undè ad arctos uſus ex præcepto tenentur, quos Regula præſcribit: reliquos relinquens ſub conſilio, & devotione Fratrum.

17. Moderatus verò uſus cenſetur, qui eorum ſtatui eſt conveniens, hoc eſt, à quo abeſt curioſitas, & pretioſitas, & in quo humilitas, & paupertas relucet.

Ideò

Ideò idem Nicolaus §. *Inſuper* eis injungit, nè ulla, quorum uſus eis eſt conceſſus, quærant, & recipiant ad ſuperfluitatem, copiam, & theſaurizationem.

18. Clemens verò ubi ſupra §. *Hinc eſt*, circa Eccleſias, & ædificia hæc habet: *Volumus, quòd ubique in ſuo Ordine deinceps temperatis, & humilibus ædificiis ſint contenti, nè huic tantæ paupertati promiſſæ, quòd patet oculis, contrarium foris clamet.*

19. Quantùm verò ad paramenta, & vaſa Eccleſiaſtica ad divinum cultum ordinata, ſubdit: *Sufficere debent eis vaſa, & paramenta Eccleſiaſtica decentia in numero, & magnitudine ſufficentia competentèr. Superfluitas autem, aut nimia pretioſitas, vel quæcumque curioſitas in his, ſeù aliis quibuſcumque non poteſt ipſorum profeſsioni, vel ſtatui convenire: cùm enim hæc ſapiant theſaurizationem, ſeù copiam, paupertati tantæ quò ad humanum judicium derogant manifeſtè: Quapropter præmiſſa ſervari à Fratribus volumus, & mandamus. Nàm Deus ſibi per ea non vult ſerviri, quæ ſuorum ſervitorum ſtatui, & conditioni repugnant*; ut ibi textus. Hæc memoriæ mandentur, & levitati nonnullorum dicti Ordinis ſint in remedium; qui curare debent, ne, etiam humano

mano judicio damnentur, proùt ibi obſervat Gloſs. *verb. Quamvis*.

20. Subindè tamen Leo X. *Conſtitut. merentur 6. Bullar. tom.* 1. declaravit Fratres ipſos de Obſervantia ſolùm eſſe cuſtodes, & non poſſeſſores, tùm amplorum Conventuum, tùm ornamentorum pro divino vultu, quæ reſpectivè pietas Principum, vel aliorum pro illis ædificat, & concedit; illiſque decrevit abſque ſuæ profeſsionis macula, & violatione uti poſſe: cùm nec illis eorum relevetur paupertas, vel commoditatibus cedant. Sed ſolùm uſum facti habeant, proprietas verò ſit apud Sedem Apoſtolicam, ſinè cujus ſpeciali mandato alienari non poſſunt. Dùm verò Fratres in illis habendis ſe ingerunt, vel ea ſtudiosè procurant, peccant: Leo enim loquitur de pretioſis, quorùm donatores ſunt Principes, qui, non ſecundùm quod congruit paupertati Fratrum, ſed ſecundùm eorum conditionem, ait, *& domos conſtruunt, & ornamenta piè erogant*.

TITU-

TITULUS II.

Eleemoſynæ pecuniariæ.

CONSILIUM I.

Quid in Regula S. Franciſci veniat appellatione pecuniæ.

SUMMARIUM.

1 *Quid veniat appellatione denarii?*
2 *Vſus monetæ à principio non extitit.*
3 *Moneta undè dicatur?*
4 *Subſtantialia ad legitimitatem monetæ.*
5 *Monetæ ex corio, vel ligno, an fuerint legitimæ?*
6 *Moneta non debet eſſe informis.*
7 *A quo monetæ appellentur pecuniæ?*
8 *Duplex uſus monetæ?*
9 *Appellatione pecuniæ in Regula Fratrum Minorum non venit, quidquid poteſt numerata pecunia æſtimari.*
10 *Nec, quod recipitur animo, ut vendatur.*

11 *Probatio ex* cap. Exiit, *ad* 14.
15 *Quæſtus pecuniæ Fratribus interdictus.*
16 *Poſſunt Fratres in mercedem laboris recipere cibaria, non verò pecuniam.*
17 *Merces debet eſſe labori æqualis.*
18 *Poſſunt Fratres laborare pro pretio.*
19 *In fraudem paupertatis recipiuntur, quæ copiam ſapiunt.*
20 *Poſſunt Fratres res pro rebus reddere.*
21 *Qui cenſeatur pecuniam formalitèr recipere?*
22 *Dictio*, vel, *non ſemper inter diverſa ponitur: ſed ejus ſignificatum à mente diſponentis reſtringitur.*

CUM in textu *cap.* 1. Regulæ Fratrum Minorum hæc ſint: *Præcipio firmitèr Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per ſe, vel per interpoſitam perſonam*: dubitari ſolet de ſignificato pecuniæ, & denarii, an idem ſit.

Difficultas non levia in Ordine excitavit litigia, in factiones ex diverſitate opinantium diviſo; de quo ſatis, cùm ad rem præſentem non faciat, ſed inſtitutum no-

noſtrum ſit falcem ad radicem ſcrupulis feracem admovere, examinando hìc, an pro eodem accipiantur in Regula denarii, & pecuniæ? An verò diverſa ſignificent! Hoc nos conabimur aperire.

1. Reſolutioni præmittimus rem apud omnes certam, nimirum, appellatione denarii formalitèr venire monetam ex certis metallorum ſpeciebus auctoritate Principis, vel alterius habentis jus Principis inſtitutam, vel cuſam; aut brevius; *eſt inſtrumentum formale contractus emptionis*. Ità apud Romanos, teſte Calepino, denarius erat nummus argenteus: ſic dictus, quòd pro decem aſſibus, ſeù dipondiis, hoc eſt, decem quadrantibus, vel duobus *bajocchis* in ſolutionem cederet, ut ex Tirino *tom.* 1. *comment. in ſcrip.Prologomena de monetis*. Et in *Amaltea Onomaſt.* appellatur, nummus continens decem æra, hoc eſt, decem quadrantes Romanos, apud Annat. *apparat. ad Theol. lib.*2. *art.*13.

2. Quarè prima ætate adhuc inductus non erat uſus monetæ *l.*1. *ff. de contr. empt.* ſed tunc in uſu tantùm erat permutatio rerum, ſic, ut res pro re ſolùm daretur. Tamen, quia humanæ neceſſitates hoc

hoc commercio expleri non poterant, nec ſemper eveniebat, ut unus abundaret rebus, quibus alter indigebat, ut aptiori titulo poſſet humanis neceſſitatibus provideri, factum eſt, u t publica auctoritate quædam metallorum fruſtula nomine, vel ſigillo Principis ſignarentur, & taxarentur in rerum pretium.

3. Quæ metalli materia auctoritate publica ſignata dici cœpit moneta, à monendo. Primò, quia ſubditos monet auctoris, & Principis: ac obedientiam præſtandam illi eſſe, cujus figura, vel imago monetæ, vel nummo incuſa eſt, ut docemur illo *Matth.* 22. *oſtendite mihi numiſma cenſus, cujus eſt imago hæc?* Secundò, quia Princeps per eam monet de valore, & æſtimationem oſtendit, ut probat Gonzalez *in* 2.*tit.*24. *cap.*18. *num*.7.

4. Verùm, ut moneta ſit legitima, hæc ſubſtantialia debet continere. I. Materiam, & pondus; quatenus moneta debet habere intrinſecum valorem metalli, ut ſcribit Caſſiodorus *lib.* 7. *epiſt.* 32. *omninò monetæ debet integritas quæri, ubi vultus noſter imprimitur, & generalis utilitas invenitur.*

5. Nec obſtat, quòd apud diverſas

Na-

Nationes fuerint monetæ ſignatæ in ligno, corio, vel ſimili materia vili, ut refert Seneca *lib.* 5. *de benef. cap.*14. nàm ſimiles monetæ, ut optimè advertunt ſcribentes apud alleg. Gonzalez *num.* 11. Populi, & temporum neceſſitatibus exigentibus, fabricatæ, non monetæ, ſed pignoris tantùm naturam præſeferebant, ac jure pignoris retinebantur, donec legitima, & juſta pecunia cuderetur.

6. II. Debet moneta non eſſe informis, ſed forma publica authorizata. Forma verò in hoc ſtat, ut ſit, vel nomine, vel ſigillo, aut imagine Principis ſignata, aut alio ſigno à Principe publico commercio reddita. Forma enim eſt conſtitutivum monetæ; adeòut, eſtò quis non cogatur recipere maſſam argenteam, æneam, vel auream, ut pretium rei venditæ, adſtringitur tamen metallum publica Principis auctoritate cuſum, & ſignatum pro pretio accipere; ſicut creditor tenetur pro ſolutione ſui debiti monetam recipere, ſi legitima ſit, *leg. debitorem ff. de ſolut.* non verò maſſam ipſam metalli rudem, & informem, cùm aliud pro alio recipere nullatenus cogatur. A ſignatura itaque, & ſigno Principis

cipis valor, & æſtimatio monetæ exprimitur; diciturque formâ ipsâ publicâ quantitatem, hoc eſt, æſtimationem monetæ præſtare. Undè Juris-conſulti in nummis non corpus, ſeù materiam ſpectarunt, ſed quantitatem, ſeù valorem ex forma, & ſigillo deſumpſerunt.

7. Quia verò in particulis metalli imago pecudis, ſeù ovis incudebatur, ab hoc pecunia appellata eſt, ut per Ovidium *lib.*5. *Faſtorum*; & plures exponentes locum Geneſ.*cap.*33.*verſ.*19. Tametſi autem pecunia in lato verborum ſenſu omnia bona fortunæ ſignificet, ut ait Auguſtinus *de diſcipl. chriſt. cap.*6. *quidquid homines poſſident in terra, pecunia vocatur. Ideò pecunia, quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant. A pecore pecunia vocatur*; attamen in ſenſu proprio, & ſecundùm communem loquendi modum idem eſt ac moneta, & denarius, ſeù pretium, quod datur pro re empta, ipſo etiam Auguſt. conſentiente *lib.*4.*de Civit. c.*21. ibi: *Prius ærea pecunia in uſu eſſe cæpit, poſt argentea*: & in *Pſal.*83.*n.*3. *nec immeritò ipſa pecunia rotunda ſignatur, quia non ſtat.*

8. Uſus verò pecuniæ, & denariorum triplex eſt. Primus, ut ſit menſura, & pre-

& pretium rerum vendendarum.

Secundus, ut, ubi, mutua non eſt rerum indigentia, pecunia ſit loco permutationum.

Tertius, ut, quò res difficultèr importari, aut exportari poſſint, neceſſitatibus pecunia ſuccurrat.

Varias monetæ ſpecies refert, & ſignificata exponit Macri *Hierolexicon*. De quibus, eſtò non adeò fuſius agunt paritèr Tirinus, & Annatus locis ſuprà laudatis. Ad quos remiſiſſe ſufficiat. Nobis ſat eſt pro reſolutione articuli adnotaſſe denarios, & pecuniam ſecundùm communem uſurpationem in modo loquendi inter homines eſſe ſynonima, & pro eodem accipi, ac ſub ratione monetæ comprehendi.

9. Propterea reſolvendo dubium dicimus, in Regula Fratrum ſub nomenclatura pecuniæ non venire, quidquid numerato nummo poteſt æſtimari; aliàs Fratres recipere minimè poſſent cibos, veſtes, medicamenta, & quidquid aliud, vel eis liberalitèr offertur, vel ipſi humili mendicatione requirunt. Quoniam hæc hujus generis ſunt, ut poſſint numeratâ pecuniâ diſtrahi, & acquiri.

10. Minuſquè Regula per pecuniam, quam ſtrictiſſimè prohibet, res illas potuit intelligere, quæ recipiuntur intentione, ut vendantur, vel commutentur; cùm ſecundùm modum loquendi, ſignificatum pecuniæ non extendatur ad id, quod eo fine recipitur. Ità in communi hominum acceptatione pecunia formalitèr non ſunt, neque appellantur, niſi valdè impropriè, merces mercatorum, eſtò ex illis in venditione pecuniæ lucrum reportetur.

11. Hoc totum redditur manifeſtum. I. Ex *cap. Exiit de verb. ſignif.* ubi Nicolaus III. §. *Nè per hoc*, declarat poſſe Fratres habere uſum rerum neceſſariarum ad ſuſtentationem vitæ, & executionem ſuorum officiorum, ab uſu verò pecuniæ debere eſſe omninò alienos: propterea eſt notiſſima diſtinctio inter illa, & pecuniam.

12. II. Ibi §. *Si verò modum*, declarat licitum eſſe Fratribus recipere domum, vel agrum eis relicta, ut per idoneas perſonas vendantur, & per illas pecunia in Fratrum neceſſitates erogetur; quod eis minimè permitteretur, ſi domus, vel ager legatus eſſet, vel pecunia formalitèr repu-

reputaretur. Nàm uſus, & civilis pecuniæ contrectatio ex eodem §.*Ad majorem*, eſt Fratribus omnimodè interdicta, quibus tamen ad tempus non eſt prohibita acceptiorei ea conditione legatæ. Dixi ad tempus, quia debet mens Teſtatoris, quàm primùm adimpleri, nè fraus fiat paupertati, & numquàm locari poſſunt.

13. §.*Quia verò libros*, agens Nicolaus de commutatione mobilium (quibus tàm Fratres, quàm Ordo utuntur) dum expedit illa commutari in alia Ordini utilia, concedit, ut ſimilium commutatio fiat auctoritate Generalis, & Provincialis, ut diximus *tit.prior.conſil.6*. Ergò ipſæ res commutabiles pecunia formalitèr non ſunt; aliàs nulla auctoritas circa eas Miniſtris conveniret, ſicut nullam habent in pecuniarum diſpenſatione.

14. IV. §. *Quòd ſi*, declarat Fratres licitè uti re empta ab amico ſpirituali, vel ab ipſius Subſtituto per pecuniam ab eo ipſi traditam. Et §.*Poſſint, illis indulget, ut poſſint perſonam illam exhortari, ac inducere, quod fidelitèr in re commiſſa ſe habeat. Ità tamen, quod ab omni ejuſdem pecuniæ adminiſtratione, ſeù diſpenſatione Fratres abſtineant omnimodè*.

15. Ampliùs. Clemens V. rem confirmat in *Clementina Exivi eod. tit.* §. *Enim.* Quò omnem pecuniæ quæſtum illis declarat eſſe ſimplicitèr interdictum. Quibus tamen alias res mendicare, ex Regula conceditur. Quinimò idem Clemens §. *Rurſus* eis permittit facere cibariorum proviſiones, ubi experti ſunt quotidianis mendicationibus neceſſaria non poſſe colligere. Ex quo eſt apertiſſimum diſcrimen inter pecuniam, & res, quæ pecuniâ vendi poſſunt.

16. Illud itidem conſtat ex intentione S. Inſtitutoris, qui in *cap.* 5. *Regulæ*, hæc poſuit: *De mercede verò laboris pro ſe, & ſuis Fratribus neceſſaria corporis recipiant, præter denarios, vel pecuniam.* Hìc indiſtinctè accipiuntur denarii, & pecuniæ: quas Sanctus Pater non vult à Fratribus recipi, quibus tamen permittit, ut in mercedem laboris accipiant granum, vinum, lanas, & ſimilia. Ideò hęc formalitèr non veniunt appellatione pecuniæ, nec Fratres per illorum receptionem reputantur recipere pecuniam pro formali.

17. Nec relevat opponere, quòd hæc non recipiuntur æſtimato pretio; nàm

nàm æqualitatem debent ſervare cum opere; aliàs non forent vera merces, & pretium laboris: proùt appellantur à S. Franciſco in ſuo Teſtamento: ibi: *Et quando non daretur nobis pretium laboris*. Undè pecunia quidem non ſunt, benè verò pretium laboris per naturalem æquitatem.

18. Ex his. I. Colligitur. Quòd poſſunt licitè Superiores committere Fratribus pictoriæ, ſcriptoriæ, aut ſcrinariæ artis peritis, ut imagines pingant, libros ſcribant, vel ſcrinia fabricent, ea etiam intentione, ut per Syndicum vendantur, & pecunia recepta ab eo in neceſſitates Fratrum, & non aliàs expendatur.

Dices. Non licet Fratribus intendere pecuniam: quod enim non licet habere, nec licet deſiderare.

19. R. Si hoc urgeret. Nec liceret Fratribus recurrere ad amicos ſpirituales pro neceſſitatibus Fratrum. Quod tamen eis à Regula indulgetur: nec tunc intendunt pecuniam, ſed ſolùm rem in ſua ſpecie neceſſariam. Per hoc ultimum reſtringitur licentia laborandi, vel quidquam recipiendi ad copiam, & theſaurizationem. Nè enim fraus fiat paupertati,

tati, ſemper debet adeſſe vera neceſſitas; tùm, ut Fratres pro mercede in manuali opere occupentur, tùm, ut quæſtuationes ſuſcipiant.

20. II. Habetur, quòd Superior Conventus licitè committit Fratri induſtrio, ut quærat herbas medicas, & vegetabilia; & ſubindè, ut confectiones, & pharmaca componat, ut ea tradat Aromatario loci, qui pro infirmis Fratribus dederat medicamenta ad valorem triginta aureorum; nàm hoc quid aliud eſt, quàm anticipatè ab Aromatario recipere pretium laboris, vel, eidem loco nummorum pro exhibitis medicamentis alia pharmaca reddere? Hoc profectò Fratribus per Regulam non prohibetur; ſicut neque inhabiles redduntur, nè mercatori tradenti pannum pro veſtimentis Fratrum dent pro illius pretio lanas humili mendicatione acquiſitas. Etenim numquàm reputantur pecuniam conferre, vel ipſam civilitèr contrectare.

21. Undè conſtat neminem realitèr, & in effectu cenſeri pecuniam formalitèr recipere, niſi, qui denarios, nummoſque recipit; proùt ſunt formale inſtrumentum emptionis rerum; vel, quatenus

tenus ſunt particulæ metalli publica au-ctoritate pro pretio rerum inſtitutæ; ſivè hoc, vel alio nomine in individuo juxtà diverſitatem Regionum nuncupentur.

Contrà reſoluta difficultas movetur ex ipſa natura dictionis *vel*, appoſitæ in textu, *denarios*, vel *pecuniam*, quæ, cùm ſit alternativa, ponitur inter diverſa, & eſt diſjunctiva, diſtinguens tàm ſenſum, quàm verba, proùt Doctores ſcribunt. Propter quòd neceſſe eſt, ut ly *pecuniam* in textu ſit quid diverſum à *denariis*, & importet, quidquid poteſt numeratâ pecuniâ æſtimari; non verò id, quo ſolent uti homines, cùm opportunum eſt, pro pretio rerum emendarum.

22. Verùm hæc non obſtant in noſtro caſu; cùm ex lectura, tùm textus Regulæ, tùm Declarationum Nicolai, Clementis, & Innocentii XI. *Sollicituddo*, pro eodem uſurpantur denarii, & pecunia; & proindè licet ex ſua natura dictio *vel* ponatur inter diverſa, tamen limitationem recipit ab intentione diſponentis, adeòut ab illa dignoſcendum ſit, an ponatur diſjunctivè, an potius expoſitivè, & inter ſynonima; ut à ſimili dicitur de dictione *ſeù*, quæ in Trident. *ſeſſ.* 7. *cap.* 10.

de Ref. ibi: *Dimiſſorias, ſeù Reverendas*, ponitnr declarativè, ut per Fagnan. *in* 1. *ad cap. Inter cæteras de reſcript. num.* 30. ſed non litigemus de voce, ubi littera ſatis apertè loquitur; & vitentur incommoda ſuperiùs expreſſa, quæ de neceſſe haberentur, ſi vocula illa *vel*, diverſa in textu allegato percuteret.

Fateor Ordinem in prioribus ætatibus conſueviſſe denarios à pecuniis diſtinguere. Tamen non indè novitate notabimur; nam pro noſtra ſententia ſunt Doctores, & conſonant Declarationes Pontificum.

CONSILIUM II.

Quot ſint præcepta in Regula Fratrum Minorum?

SUMMARIUM.

1 *Præcepta formalia ſex.*
2 *Quid ſuſpectum conſortium?*
3 *Præcepta inhibitoria duo.*
4 *Habentia vim præcepti quinque.*
5 *Æquipollentia duodecim.*

6 *Fra-*

6 *Fratribus, an ex vi Regulæ ſit prohibitum bigare? ad* 15.
16 *Litteralis expoſitio, quæ? ad* 18.
17 *Cauſæ ad equitandum, quæ? ad* 20.
21 *Fratres vilibus indui debent: ubi curioſo, ſuperfluo, & pretioſo.*
22 *De præcepto jejunii, ad* 27.
28 *An Fratres in jejuniis Regulæ teneantur abſtinere à lacticiniis? ad* 29.
30 *Opinio Felicis.*
31 *Conſuetudo, quando cenſeatur obligatoria?*
32 *Ponitur vera ſententia, ad* 34.
35 *Opinio Felicis reprobata, ad* 36.
37 *De officio Clericorum, & Laicorum, ad* 39.
40 *Alia præcepta æquipollentia.*
41 *Qui poſſint ad Ordinem recipere? ad* 42.
43 *Recipiendi ad Ordinem diligentèr à Definitorio examinandi, ad* 46.
47 *An Provincialis ſuffragetur ſuper idoneitate Novitii exiſtentis in Novitiatu, ad* 49.
50 *Definitoribus præſentibus alii non ſubrogantur.*
51 *Fratres Minores non obligantur ad omnia conſilia Evangelica.*
52 *Recipiendus ad Ordinem inſtruendus de præceptis Regulæ.*

53 De

53 *De quibus examinandus emiſſurus profeſſionem?*

54 *Agitur de diſpenſatione in præceptis Regulæ, ad* 66.

QUONIAM in Regula Fratrum Minorum cum præcepto de non recipiendis pecuniis, nonulla alia ponuntur graviter obligatoria, ideò priuſquam ad peculiares difficultates, quæ excitari ſolent circa eleemoſynas pecuniarias deſcendamus, notitiam de numero præceptorum, quæ in Regula exprimuntur, præmittimus, utpotè omnibus neceſſariam.

In Regula itaque præter tria ſubſtantialia Religionis vota, alia viginti quinque præſcribuntur obligantia ad obſervantiam, adeòut in eorum tranſgreſſione peccatum mortale committatur. Sex ſunt præcepta formalia: duo inhibitoria: quinque habentia vim præcepti: & duodecim æquipollentia preceptis; à nonnullis tamen uſque ad 40. ſine utilitate numerantur, cùm ad minorem numerum per nos expreſſum reduci poſſint; Marchant. *qq. proe. in Reg. q.*2.

§. I.

§. I.

Præcepta formalia.

1 PRæcepta formalia ſunt. *De non recipiendis denariis, vel pecuniis per ſe, vel per interpoſitam perſonam*, ex cap. 4. *Regulæ.*

II. *De obedientia præſtanda Miniſtris*, *cap.* 10.

III. *De non habendis ſuſpectis conſortiis*, *& conſiliis cum mulieribus*, *ex cap.* 11.

2. Suſpectum verò conſortium appellatur, quod poteſt ſuſpicionem generare in alio de impudicitia, vel immunditia carnali, etiamſi ipſa conſortia, & conſilia per ſe mala non eſſent, & forent ab impudicitiis aliena. Satis enim eſt, quòd ſint nata ſuſpicionem generare, & occaſionem incontinentiæ præbere, ut ex Regula prohiberi cenſeantur, ad præſcriptum Sacrorum Canonum, *cap. Pervenit il* 1. *cap. In decima* 18. *quæſt.* 2.

Quarè ſuſpectum conſortium etiam diviſim reddunt. I. *Locus*, ut, ſi ſolitarius, vel obſcurus eligatur.

II. *Tempus*, ut nocturnum, aliàs importunum.

III. *Modus*, ut converſatio cum ſola.

IV. *Ge-*

IV. *Geſtus*, ut nimia propinquitas ad fœminam.

V. *Actus*, ut verba diſſoluta, aſpectus fiixi, tactus manum, & joci nimis familiares.

VI. *Ætas*, tàm mulierum, quàm Fratris.

VII. *Frequentia* converſationis, & colloquiorum.

VIII. *Diffamatio*, tàm Mulieris, quàm Fratris.

IX. Acceptio xeniorum, & donorū.

X. Admonitio Prælati de abſtinendo à converſatione cum Muliere ſinè fructu, quæ probationem complet.

Quatenùs verò monitus prætendat ſe purgare, & probare, quòd fœmina, cum qua habet familiaritatem, eſt honeſta, & ipſe non tractat cum ea, niſi de rebus ad ſalutem pertinentibus, non debet Prælatus purgationem admittere, ſed cogere ad obedientiam, & in caſu contumaciæ punire. Canones enim allegati, & Regula fundantur in præſumptione, quòd talis converſatio indecens ſit, & eam inhoneſtam fingunt propter periculum incontinentiæ, & ſuſpicionem mali.

Sciant Fratres ſe datos in aliorum exem-

exemplum, atquè adeò ex vi Regulæ oportere, ut abſtineant non ſolùm à malis, ſed ab his etiam, quæ habeant ſpeciem mali, ex *Clement. Exivi de verb. ſignif. §. Amplius cùm*, & *cap. Cum ab omni de vit. & honeſtat. Cleric.* ac poſſunt ſuſpicionem immunditiæ generare.

IV. De non ingrediendis Monaſteriis Monialium, *ibi*. Appellatione Monaſterii veniunt clauſtrum, domus, & officinæ interiores, in quibus Moniales regularitèr vivunt, ex *cap. Exiit §. Nos utique eod. tit. in 6.*

V. *Quòd Fratres non fiant compatres virorum, vel mulierum, ibi.* Compaternitas, quæ ex Regula prohibetur, eſt illa, quæ contrahitur tenendo infantem in Baptiſmo, vel Confirmatione. Poſſunt tamen Fratres in caſu neceſſitatis baptizare.

VI. *Quòd Miniſtri petant à Sede Apoſtolica Cardinalem Protectorem, cap.* 12.

Hæc appellantur pręcepta formalia, quia apponitur expreſsè verbum, *præcipio*, ut conſtat ex textu; quod eſſe obligatorium ad obſervantiam rei præceptæ nullus eſt, qui dubitet.

§. II.

§. II.

Præcepta inhibitoria.

3 PRæcepta inhibitoria ſunt.

I. *De non diſtedendo poſt profeſſionem à Religione, cap.2.*

II. *De non appropianda ſibi aliqua re; cap. 6.*

Hæc à S.Franciſco fuerunt in Regula expreſſa inhibitoriè, & ſub inhibitione prohibita; ideò Fratres ex intentione ipſius ad ea obſervanda gravitèr tenentur, ut declarat Nicolaus III. in *d. cap. Exiit §. Quem intellectum.*

§. III.

Præcepta habentia vim præcepti.

1 PRæcepta habentia vim præcepti ſunt.

I. *De parendo ſucceſſoribus S. Franciſci.*

II. *De recurſu Fratrum ad Provinciales pro abſolutione à reſervatis in Religione, c.7.*

III. *De habendo unum Miniſtrum Generalem, cui teneantur obedire, cap. 8.*

IV. *Quòd, in ſufficiente depoſito, alium Miniſtri, & Cuſtodes eligant, ibi.*

V. *Quòd*

V. *Quòd Provinciales, & Cuſtodes teneantur ire ad Capitulum Generale.*

Hæc omnia ponuntur in Regula ſub verbo *teneantur*, de cujus natura eſt obligationem ad actum imponere, proùt declarat Clemens V. *Clementina Exivi d. tit.* §. *Ut autem, hæc* ibi. *Ordo communitèr ſenſit, tenet, & tenuit ab antiquo, quòd ubicumque ponitur in Regula hoc vocabulum, teneantur, obtinet vim præcepti, & obſervari debet à Fratribus ſicut tale.*

§. IV.

Præcepta Æquipollentia.

5 EA verò, quæ, vel ex vi verbi, vel ratione materiæ ſunt æquipollentia præceptis, hìc noto ex *Clementina* §. *cit.*

I. *De non habendo plures tunicas, quàm unam cum Capucio, & aliam ſinè Capucio, ex cap. 2.*

II. *De non portandis calceamentis*, ibi. Appellatione calceamenti venit, quidquid totum operit pedem ex alibi dictis, ex Innoc. XI, Conſtit. *Sollicitudo.*

III. *De non equitando* extrà caſum neceſſitatis. Neceſſitas verò eſt à Superio-

re

re probanda; & extenditur, etiam ad infirmitatem, proùt ibi Innocentius declaravit.

6. An autem ex vi verborum Regulæ in *d.cap.3.* ſit Fratribus prohibitum *bigare*, vel *quadrigare*? Videtur reſpondendum negativè. Etenim in commmuni modo loquendi, & ſecundùm veritatem vocabuli *equitare non importat*, utcũque equis trahi, proùt bigæ, & quadrigæ trahuntur; alióquin nec Fratres poſſent vehi navibus, & cymbis, quas in fluminibus equis trahi experimur; ſed equitare in rigore grammaticali dicit equo, vel alio jumento vehi, vel illis inſedendo iter facere.

Quotquot ſunt pro opinione, quòd Fratribus ex vi Regulæ, & verbi *equitare* non ſit interdictum bigis, & quadrigis uti ad itinera facienda, adhuc tradunt eis aliis titulis prohiberi, niſi rationabilis neceſſitas premat: tùm ad vitandum ſcandalum, quod veriſimilitèr imminet; tùm ratione expenſarum, pro quibus recurrendum eſt ad pecuniam. Hinc S.Bonaventura *in addit. ad cap. 3. Regulæ*, recenſito præcepto, quòd Fratres non poſſint equitare, ſubdit; *& per conſequens*, *nec*

nec bigare, nec quadrigare, quæ majoris ſunt ſumptus.

7. Nihilominus putamus, bigantes, & quadrigantes, niſi neceſſitas excuſet, peccare contrà prꝗſcriptum de non equitando; quod ex conſequenti, inquit Seraficus Doctor, infert prohibitam bigationem, & quadrigationem. Quamquàm enim attendendo ad] ſenſum grammaticalem *equitare*, idem non ſit, ac bigare, & quadrigare, adhuc tamen reſpiciendo intentionem S. Inſtitutoris àmbigendum non eſt, quòd bigans, & quadrigans delinquant contrà Regulam in transgreſſione illius præcepti.

8. Veròſimile non eſt, quòd S. Franciſcus voluerit Fratribus illud commodum ad iter opportunum prohibere, vulgaribus etiam hominibus commune; data poſteà libertate, ut illis inſtrumentis uterentur, quę regularitèr à Magnatibus, Nobilibus, & Divitibus in uſum itineris eliguntur. Equo eos noluit uti, ut quos pauperes, & humiles, inſtituit, pedibus humilium, & pauperum more itinera agerent. Quæ hinc occaſio præſumendi, quod eorum electioni commiſerit rhedas, currus, & vehicula? Nullus eſt,

 qui

qui de inſubſiſtentia præſumptionis non judicet.

9. Hinc reſolutivè procedendo, dicimus in ſenſu à S. Patriarcha intento ſub præcepto de non equitando comprehendi,& prohibitionem quadrigandi, & bigandi: & hic ſanè valet regula *à minori ad majus*. Minus autem eſt eo præcepto expreſsè interdictū; idcircò & majus per æquipollens vetitum eſſe cenſendum.

10. Ponderandum eſt, proùt communitèr Canoniſtæ, quòd legis mens magis eſt attendenda, quàm verba, ut ex *l. ſcire ff. de legib.* quæ verò fuerit mens, & intentio illius præcepti, omnibus conſtat: quod eſtò dirigatur expreſsè ad cohibendam equitationem, interpretandum tamen à fortiori eſt, etiam quadrigas,& hujus generis arte facta eſſe vetita; ità enim mens,& legis intentio ſervatur, ut patet ex terminis.

Dices. Regula communis inter Doctores eſt, ad ſenſum *regulæ* 49. *jur. in* 6. quòd lex odioſa non ſit extendenda; præceptum allegatum odioſum eſſe patet, quia inducit peccatum mortale in æquitantes: ideò extendi non debet ad bigan, tes, &c.

11. Reſp.

11. Reſp. Quamvis regularitèr non admittatur extenſio legis ultrà naturalem verborum proprietatem; tamen extenſio tunc eſt neceſſaria, quando niſi lex extenderetur, redderetur eluſoria; ità Doctores, quos allegat, & ſequitur Diana *coord. tom. 9. tr. 1. reſolut.* 128. & conſtat ex *cap. Si Civitas de excom. in* 6. In quo Interdictum Civitatis, & Caſtri extenditur ad ſuburbia, *nè vilipendi valeat ſententia Interdicti*. Ad quod facit alia regula *ibi* 84. *in ordine*. *Cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*. Ubi Gloſſa conſiderat, quòd, cùm aliquid prohibetur, habito principalitèr reſpectu ad prohibitum, non ad viam, vel modum, quo prohibetur, tunc ſufficit prohibitum una viâ, vel modo, ut ad id in ejus fraudem aliâ viâ, vel modo admitti non debeat.

12. Conſtat autem, ſi præceptum de non equitando, non extenderetur ad prohibendum iter facere, tùm cum rhedis uno, duobus, vel pluribus equis tractis; tùm ſuper mulis, aſinis, vel camelis, tale præceptum eluderetur, quoniam Fratres in fraudem illius aliis in itinere, equis neglectis, uterentur.

13. Ulterius, lex quoque pœnalis tunc extendenda eſt ad alium caſum, ſi eadem ratio in eo, etiam militet, ut notavit Gloſſa in *cap. Si poſtquam de elect. in 6. verb. mente* Etenim ubi eſt eadem ratio, & omnimoda ſimilitudo, debet eadem eſſe juris diſpoſitio, etiam in pœnalibus; tunc enim non dicitur propriè fieri extenſio, ſed quædam declaratio, per Gloſſam in *cap. Sæpè de tempor. ordi, &c. verb. Italicæ*, ibi. Concordant Doctores, quos ibi cumulat Diana, aſſerentes, quòd ubi eſt eadem ratio, ibi idem eſt caſus formalis ex mente juris, licet non ſit eadem materia. Eadem verò ratio prohibitionis intrat, ſivè equo, ſivè rheda, ſivè mulo, vel ſimili animali iter peragatur.

14. Quinimò, dato etiam dictum præceptum, proùt conſideratur pœnale, non eſſe extendendum, tamen titulo, quo latum eſt in favorem obſervantiæ Regulæ, & animarum, eſſe extendendum indè patet, quòd etiam lex pœnalis extenditur, dum in favorem animarum lata eſt, ut probant Hoſtienſis in *cap. penult. qui filii ſint legitimi*. Et Fagnanus *in 1. ad cap. Nè innitaris de conſtit num.* 223. Illud autem præceptum eſſe à Sancto Patriarcha datum

tum in favorem animæ nefas eſt dubitare.

Inſtatur. Ità diſcurrere, aliud non eſt, quàm gloſſare Regulam à S. Franciſco in ſuo Teſtamento Fratribus prohibitum.

Inſtantia non urget: non enim Fratres tenentur ſub mortali ad Teſtamentum S. Fundatoris, proùt declaravit Nicolaus §. *Cæterùm Sanctæ*.

14. Verùm, ut objecto ſatisfiat, non gravamur adnotare, expoſitionem aliam eſſe *Grammaticalem*, *Litteralem* alteram. Grammaticalis aliud non dicit, quàm nudum ſenſum verborum, & dictionum, proùt verbalitèr ſonant: quæ ab aliis appellatur *Littera Donati*, *ſeù Priſciani*, qui Grammaticæ Principes fuerunt. Sæpè ſenſus *Grammaticales* eſſe falſos probant Expoſitores Sacræ Sripturæ; ad quos remittimus Lectorem. Et hoc etiam in noſtris terminis verificatur: Nàm in Regula dicitur: *Regula, & Vita Fratrum Minorum hæc eſt: ſcilicet, D.N.J.Chriſti Sanctum Evangelium obſervare*. Hæc grammaticalitèr uſurpata ſunt falſa; quoniam Fratres non tenentur totum Evangelium obſervare, ſed in iis tantùm, quæ in textu Re-

gulæ ſpecificantur, ut idem Nicolaus declaravit §.*Quem intellectum*.

16. *Litteralis* verò expoſitio prætèr ſonum, & ſignificatum materiale verborum reſpicit, ſeù includit intentionem dicentis: quæ proindè deſcribi ſolet: *quæ ità verborum, & dictionum ſignificationem attendit, ut à Legislatoris, & Regulæ Datoris intentione non recedat, ſed potiſſimùm eam reſpiciat, & declaret*. Etenim, ut docent Juriſperiti: *anima legis eſt intentio Legislatoris*. Et Hyeronimus ſcripſit. *Nec putemus in verbis Scripturarum eſſe Dei Evangelium, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis*.

15. Hinc expoſitiones illæ, & interpretationes interdicuntur, quibus,vel pura Authoris Regulæ intelligentia! alteratur, vel ejus intentio in diſtortos ſenſus trahitur; reprobaturque eorum conatus, qui intentionem Fundatoris non attendunt, ſed reſpicientes privilegia relaxativa puræ obſervantiæ, ea conſcribunt parùm, vel nihil textui congrua; non verò vetari cenſentur expoſitiones Litterales, per quas ſincerus verborum Regulæ ſenſus, puraque Fundatoris voluntas, & in-

intentio ſimplicitèr, & ingenuè manifeſtatur. Cujus generis eſt noſtra, de qua hucuſque ſumus loquuti.

18. Remanet nunc reſpondere paritati de ratibus, & cymbis equis, & aliiſvè animalibus tractis, cur ſub eo præcepto non complectantur, benè verò currus, & rhedæ; ſuper quo dicimus patens diſcrimen reperiri, & non ęquari cymbas cum rhedis; quoniam *per accidens* eſt rates, & naves animalibus trahi: lex autem non conſiderat, quæ ſunt *per accidens*, ut communitèr dicitur; etenim *per ſe* remis, & velis moveri petunt; quando currus, & rhedæ *per ſe* animalibus ad motum exercentur, & agitantur.

Hæc digreſſio videbitur prolixior; ſed, neceſſitate premente, factum eſt, ut quorumdam hallucinatio in hac facti ſpecie ex integro removeretur.

19. Ideò ad alia redeuntes: circà idem de non equitando præceptum reſolvimus, neceſſitatem ad equitandum, vel alio utendum animali in itinere faciendo, debere eſſe manifeſtam. Hæc verò ſuboriri poteſt. I. Ratione prolixi itineris ex obedientia aſſumendi. II. Titulo loci, & temporis; ut, ſi flumen pedibus

tranſiri non valeat; vel copia nivis iter præpediat. III. Occaſione negotii urgentis brevì expediendi, adeò ut quis pedeſter ambulans, vel loco præſens eſſe nequeat, cùm oportet, vel, nonniſi gravi detrimento. Semper tamen præſupponenda eſt cauſa legitima, quæ neceſſitatem inducat. Quarè ſi quis, vel ſola recreatione, aut ex mera libertate ſe itineri committat, eſt tranſgreſſor præcepti, ſi equo utatur.

Advertendum, quòd ſi neceſſitas ſit urgens, & cogens, nec poſſit haberi præſentia Superioris pro licentia obtinenda, ex præſumpta illius licentia iter equo peragi poteſt. Regularitèr neceſſitas debet ex Innocentio à Prælato approbari.

20. Quantùm ad infirmitatem. Cauſa ſufficiens, ut infirmus equo ad iter utatur, eſt, dum ad locum habitationis, vel infirmariam debet accedere, aut reverti, aut, dum debet aerem mutare; vel opus eſt exercitio, vel recreatione ad ſalutem corporalem conducente.

21. IV. *Quod Fratres vilibus induantur, ex cap.* 2. Judicium vilitatis Superioribus reſervatur, ut dictum eſt *tit. præt. conſil.* 8. *num.* 4.

Di-

Diſtinguendi ſunt termini, *ſuperfluum, curioſum, & pretioſum*. Superfluum, ideſt, quo ſublato, reliquum commodè ſufficit ad uſum moderatum: ut, ubi duo habentur, ſi unum ſufficit, alterum ſuperfluit. Pretioſum eſt, quod ultrà valorem rei ſufficientis ad uſum moderatum, quæritur: ità, ubi ſufficit lampas ſtamnea, procuratur argentea; & ubi ſufficit pannus valens 10. quæritur valens 20. Curioſum eſt, quod fit ad delectationem immoderatam ſenſuum; ut picturis ornare ædificia, cellas, &c. Veſtimentis colorem alium addere, quàm lanis naturalem.

Modò. In rebus, quarum uſum penurioſum teneremur habere, ut vilitatem veſtium, tunc,quod excedit à prædicta vilitate, dicitur pretioſum, aut ſuperfluum reſpectu talis uſus ſtricti. In rebus autem aliis, quarum uſum penurioſum non tenemur habere, ſed uſum moderatum, id ſolùm, quod excedit numerum, qualitatem, aut convenientem quantitatem ad uſum moderatum, eſt ſuperfluum, pretioſum, aut curioſum; non verò, quod excedit numerum, & quantitatem requiſitam ad uſum penurioſum. Ut

Ut autem uſus aliquis reſpectu noſtri ſit, & verè cenſeatur moderatus, ſunt conſiderandæ circumſtantiæ locorum, perſonarum, & temporum v.g. tempore infirmitatis, aut Feſti, vel carniſprivii lautior, & abundantior uſus reputatur moderatus, qui alio tempore eſſet ſuperfluus.

22. V. *Quod debeant jejunare à Feſto Omnium Sanctorum, uſque ad Nativitatem Domini, & in ſextis feriis & cap.3.*

Hìc obſervandum, quòd ſi Nativitas Domini Noſtri Jeſu Chriſti occurrat in feria ſexta, Fratres non liberantur eo die à præcepto jejunii; nàm tenentur ex Regula qualibet ſexta feria jejunare. Et ſequitur ex textu in *cap.Explicari de obſervatione jejunii*, in quo Honorius III. decrevit eſſe omnibus licitum carnes manducare, ſi Nativitas, feriâ ſextâ occurrit, exceptis, *qui voverunt, & qui regulari obſervantia adſtricti ſunt abſtinere*, ut dixi *Caut.Confeſſ. lib.1.cap.16. num.19.* Ideò relinquendus eſt Sanctoro *comment. in ſtat. ſtat.13.cap.5. verſ.attamen*, alitèr ſentiens.

Petitur. I. *An Fratres teneantur jejunare ſextis feriis, quæ ſunt ab Epiphania uſque ad communem Quadrageſimam?* Dubium

exci-

excitatur à nonnullis,ex quo Regula non importet præceptum jejunii, ſed in libertate Fratrum relinquat jejunare Quadrageſimam, vulgò *Benedicta*, quæ complectitur quadraginta dies ab Epiphania numerandos; adeòque in ſextis feriis in ea occurrentibus jejunium non imponat, ſed ſolùm in aliis, quæ occurrunt extra tempora ibi enumerata, hoc eſt, extra Adventum, & Quadrageſimam communem, quæ in Regula cum Benedicta fuerunt expreſſa; proùt eſt ſenſus verborum: *aliis autem temporibus non teneantur, niſi ſexta feria jejunare.*

25. Reſp. Affirmativè. Nàm licèt Fratres non teneantur ad jejunium *Benedictæ*, præcepto tamen ligantur ad illud in ſextis feriis, etiam eo tempore occurrentibus. Ratio eſt, quia verè continentur ſub dictione diſcretiva *aliis*: Et ſenſus eſt: extrà Adventum, & Quadrageſimam communem (in quibus, etiam tenentur) debent ſexta quaque feria, etiamſi *Benedictam* non ſervent jejunare. Quinimò ſi dictio *aliis* deberet excludere ferias ſextas Benedictæ, viderentur excluſa, etiam jejunia Quatuor temporum, & Vigiliarum, quæ occurrerent extrà Adventum,

Qua-

Quadrageſimam, & ferias ſextas. Nàm textus ait: *aliis autem temporibus non teneantur, niſi feria ſexta jejunare.* Quod tamen eſt falſum, ut in allegata *Clementina* §. *Deinde*, ibi: *Deindè, cùm duobus temporibus adnotatis in Regula, ſcilicet, à Feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini, & maximè Quadrageſimam, in quibus jejunare tenentur in eadem Regula: aliis autem temporibus non teneantur, niſi ſexta feria jejunare: & ex hoc voluerunt aliqui dicere, quòd dicti Ordinis Fratres non tenentur, niſi ex condecentia ad alia jejunia, quàm ad iſta. Declaramus debere intelligi non teneri ad jejunium aliis temporibus, præter quàm in jejuniis ab Eccleſia conſtitutis: non eſt enim veriſimile, quòd, vel Inſtitutor Regulæ, vel etiam Confirmator abſolvere, ipſos intenderit à ſervandis illis jejuniis, ad quæ de communi ſtatuto Eccleſiæ obligantur cæteri Chriſtiani:* ideò ex vi Regulæ tenentur, etiam ad jejunia non expreſſa in Regula.

Petitur II. *An Clerici expreſsè Profeſſi ante 21. annum completum teneantur ad jejunia Regulæ?*

24. R. Affirmativè. Quoniam per profeſſionem ſe obligarunt ad obſervanda jejunia in Regula præcepta; proùt generali-

ralitèr quilibet ante 21. annorum non excuſatur ab obligatione jejunii, ſi propria voluntate ad id ſe voto adſtrinxit.

25. Hoc totum dicitur, etiam de ſenibus, vel agentibus annum ſexageſimum (in quo regularitèr ſenectus accidit) qui à lege jejunii liberantur, niſi ſani ſint, & robuſti. Verùm ſi voto, vel profeſſione ſe jejunio ligarunt, major neceſſitas petitur, ut ab onere jejunandi ſint exempti; ſimilis requiritur in Fratribus eſtò ſenibus, ut liberi ſint ab obligatione jejunii in Regula præſcripti; nàm textus Regulæ habet: *tempore manifeſtè neceſſitatis non teneantur Fratres jejunio corporali*. Neceſſitas verò ex Hugone de Dina dicitur *manifeſta*; *quando indigenti, vel diſcreto cuilibet, & maximè Prælato dubia non exiſtit*.

26. Neceſſitas excuſans haberi poteſt, vel ratione ætatis, aut infirmitatis, & debilitatis, & aliquando ratione laboris, ut Lecturæ, Concionis, Confeſſionum audiendarum, Diſputationis, & ſimilium; ſed debet conſtare, an labor ſit compoſſibilis cum jejunio; quod præſumitur, ſi ex precedentibus laboribus, quis expertus ſit laſſitudinem, & debilitatem virium, pro-

propter quod minus aptus effectus eſt ad Concionem, vel Confeſſiones audiendas ſequenti die. Non enim debet quis ab iſtis operationibus ſibi conſuetis, & incommodum proximi exhibitis abſtinere, ut jejunet; jejunium enim alia opera pietatis impedire non debet.

27. Verùm, ubi quis voluntariè prædicat, vel, ideò à Superiore miſſus, quia mitti petiit, ab jejunio non excuſatur, ut ex Sylveſtro dixi *loc.cit. Cautelæ num.7.* ibi videas.

Petitur. *An Fratres in jejuniis Regulæ debeant abſtinere ab ovis, & lacticiniis?*

28. Reſp. Hoc eſt certum, conſuetudinem ab omnibus acceptam abſtinendi ab ovis, & lacticiniis in Quadrageſima eſſe obligatoriam, & ſub mortali ſervandam, ex *cap. Denique 4. diſt.* Et decreto Alexandri VII. qui 32. propoſitionem intèr alias damnavit, quæ aſſerebat: *Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.* Et nedum prohibentur ova, & lacticinia diebus jejunii, ſed etiam diebus Dominicis, tunc occurrentibus ex *alleg. cap.* Nàm pro illo tempore dies Dominici ſunt dies Quadrageſimæ, *cap. Quadrageſi-*

geſima diſt. 5. de conſecrat. ubi præſcribitur omnibus diebus Quadrageſimæ eſſe jejunandum, exceptis Dominicis diebus. Undè conſtat dies Dominicos eſſe dies Quadrageſimę, aliàs ineptè exciperentur.

29. Hinc obſervant Doctores, quòd diſpenſatus ad lacticinia, non eſt ſolutus à lege jejunii Quadrageſimalis. Nàm, ut ex Sanchez ait Portel. *dub. Regul. verb. jejunium addit. num.* 8. abſtinentia ab ovis, & lacticiniis in Quadrageſima dicit diſtinctum præceptum ab illo jejunii; ideò frangens jejunium cum lacticiniis in Quadrageſima, duo peccata committit, quia operatur contra duo præcepta: unum præcipiens unicam commeſtionem, & alterum abſtinentiam à lacticiniis. Quinimò, cùm hoc ſecundum præceptum ſit negativum, quatenus præcipit, nè lacticinia comedantur, totiès quis peccat, quotiès lacticinia comedit; nàm, poſita prima commeſtione, ſemper eſt potens illud præceptum implere; ſed fracto jejunio per repetitam commeſtionem eſt impotens, ut eo die amplius ſervet præceptum affirmativum de unica commeſtione.

30. Felix *examen Confeſſar. to.* 1. *par.* 3. *n.* 2856.

n.2856. reſolvit Fratres Minores in jejuniis extra Quadrageſimam, hoceſt, Adventus, feriæ ſextæ, & Vigiliarum non obligari ad abſtinentiam ab ovis, & lacticiniis.

Probat. I. Quia poteſt cum lacticiniis ſtare jejunium Eccleſiaſticum Quatuor temporum, & Vigiliarum; cùm in diverſis Regionibus obſervetur, eorum uſu adhibito: ergò Fratres ex jure communi Eccleſiæ non tenentur abſtinere ab ovis, & lacticiniis in jejuniis extra Quadrageſimam.

II. Nec tenentur, ait, conſuetudine, quia, ut hæc obliget, debet conſtare, quòd fuerit introducta cum animo ſe obligandi ſub mortali. De quo motivo non conſtat; ſed motivum introductionis fuit ſolus fervor devotionis; quem etiam *num.* 2872. allegat fuiſſe rationem, cur fuerit introducta conſuetudo in Religione abſtinendi à lacticiniis in Dominicis Adventus, in quibus non jejunatur; & indè poſſet quis in ejus ſententia, tàm in dictis Dominicis, quàm in diebus præfatis jejunii extrà Quadrageſimam licitè veſci ovis, & lacticiniis.

31. Pro reſponſione notetur, quòd, eſtò

eſtò talis conſuetudo non ſit generalis pro tota Eccleſia, negari nullatenus poteſt, quin in multis Eccleſiæ partibus ſervetur, & vigeat abſtinentia ab ovis, & lacticiniis in jejuniis, etiam extrà Quadrageſimam.

Item, quòd conſuetudo præſumitur eſſe generalitèr obligatoria, ſi concurrant. Primò, ſi ſit immemorabilis. Secundò, ſi ſit de re gravi, & communitèr ſervetur à Populo, vel Communitate; quia non ſolet populus uniformitèr convenire in ea ſervanda, niſi, quando ſe obligatum ſentit. Tertiò, ſi viri timorati malè ſentiant de his, qui non ſervant conſuetudinem; vel communitèr populus ſcandalizatur. Quartò, ſi Prælati, & Superiores puniant violantes conſuetudinem.

32. Ideò dicendum cum Sanctoro *comment.cap.3.ſtat.13. v.quæro 2.* non poſſe Fratres in jejuniis Adventus, & feriæ ſextæ veſci ovis, & lacticiniis in locis, in quibus adeſt conſuetudo illa non comedendi; eſtò enim abſtinentia ab illis non ſit in recto de intrinſeca ratione jejunii, pertinet tamen ad illius finem, eſtque illius circumſtantia in obliquo, & maxi-

mè in ordine ad magis macerandum corpus,quod in jejunio intenditur.Hinc Azorius apud Dianam *coord. to.4.tr.6. reſol.56. n.1.* tradit voventem jejunare extrà Quadrageſimam debere ſervare jejunium, quomodo Civitas ſervat jejunia Vigiliarum, & Quatuor temporum.

Concordat Marchant in *cap.3. Reg. tit.3. qu.2.* reſolvens jejunia Regulæ ſervanda eſſe juxtà morem Patriæ, & jejunantium communem formam; ſuper quo allegat quatuor Magiſtros cum Hugone de Dina, ſcribente: *Forma Eccleſiæ eſt, ut jejunans, detracto prandio, cœna contentus, à carne animalium, & omnibus, quæ ſementinam ab ea trahunt originem, ſcilicet, lacte, caſeo, & ovis abſtineant. De ovis tamen, & lacticiniis pro aliquo tempore conſuetudo variat Regionum Eccleſiæ approbata; ubi hæc ſunt honeſta pro Patria, homines offenduntur, cum reſpuimus vilia, ſumptuoſa recipimus.... Ubi à lacticiniis abſtinent jejunantes, ſcandalum eſt, ſi nos morem Patriæ violamus. Mos Eccleſiæ, ſivè Diœceſis, in qua ſumus, eſt ſervandus.... Debemus ergò in jejuniis ſecundùm morem jejunantium uti.*

33. Quare, ſi mos Patriæ, & jejunantium communis conſuetudo ſit in

jeju-

jejuniis, etiam extra Quadrageſimam, abſtinere à lacticiniis, & ovis, iſtis quoque Fratres, non infirmi, uti non debent in illis, etiam Adventus, & feriæ ſextæ. Et quatenus non abſtineant, mortalitèr peccant, & novitatem inducunt. Ideò debent ſolitum ſervare, ponderando regulam à S. Auguſtino ſtatutam *epiſt.* 52. *ad Januarium cap.* 5. ibi: *Mutatio conſuetudinis, etiam, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

34. Nec obſtat Diana *loc.cit. reſol.*59. ubi dixit conſuetudinem alicujus loci non obligare Regulares ad jejunia. Nàm intelligitur, eos non teneri quoad vim coactivam (quatenus per Rectores loci puniri non poſſunt;) benè verò, ut partes Communitatis ſe toti conforment; propter quod ibi *reſol.*4.*nu.* 2.dixit. Quòd, ſi in aliqua Civitate, vel loco recepta ſint generali conſuetudine nonnulla jejunia, ea quoque obligant Regulares. Eſtò enim Regulares ſint exempti à conſuetudinibus Provinciæ præjudicantibus eorum libertati, non tamen, ſi conſuetudo ſit ſpiritualis, nec ſit contraria libertati Eccleſiæ, ut ſunt dies feſti,& conſuetudo abſtinendi ab ovis, & lacticiniis in diebus jejunii.

35. Hinc patet opinionem Felicis non valere in locis, in quibus eſt conſuetudo abſtinentiæ ab illis: Nec dubitare permittit, quòd ea fuerit intentio S. Patris, qui Ordinem ſuum propè Romam inſtituit, ubi nefas eſt ova, & lacticinia in jejuniis quibuſcumque adhibere.

Nec urget ratio, primò adducta. Quoniàm eſtò ſervaretur unica commeſtio, adhuc peccaretur cõtra præceptũ de non comedendis lacticiniis in diebus, in quibus ſunt ſervanda jejunia Regulæ. *v. n.* 29.

Neque ſecunda concludit per dicta *num.* 31.

36. Quantùm verò ad uſum lacticiniorum in Dominicis Adventus, advertendum eſt conſuetudinem Religionis cum requiſitis *d. n.* eſſe, ut non aſſumantur in illis. Et maximè probatur ex Conſtitutionibus Capituli General. Interamnen. *c.* 3. *art.* 2. apud Orbẽ Seraph. *to.* 3. *de jejunio*, ubi hęc ſunt. *Ad hanc autem Quadrageſimam* (Adventus) *jejunandum, Fratres ſunt obligati modo, quo cæteri Chriſtiani ad illam communem, obligantur; ut lacticinia in ea comedere nequeant*. Adeòque, & in illis Dominicis abſtinere coguntur, cùm, ut diximus, Fideles illis non utantur in Dominicis Quadrageſimæ.

37. VI.

37. VI. Præceptum æquipollens eſt: *Quòd Clerici faciant Divinum Officium ſecundùm ordinem S. Romanæ Eccleſiæ, ex cap.3.*

An petitur. *An Laici teneantur ſub mortali recitare Officium Orationum Dominicalium ibi præſcriptum?*

38. R. Affirmativè. Ità enim Ordo à principio intellexit. Tùm quia, S.Franciſcus in textu utitur verbo *dicant*, quod non eſt dubium præceptum ex illius mente importare. Tum quia, ideò Clemens V. nihil ſpecificavit de Officio Laicorum, quia ex paritate rationis, & contextu verborum Regulæ, idem in ſubſtantia erat præceptum cum præcepto de Officio Clericorum, eſtò in modo, & qualitate Officium variet. De quantitate verò materiæ, cujus omiſſio ſit peccatum mortale, prudens Confeſſarius judicet.

Laici non tenentur addere, *Ave Maria*, ſed ex conſuetudine eas recitant. Tenentur tamen aliquas preces fundere pro Defunctis. Quæ verò, & quanta debeat eſſe illa oratio, eorum arbitrio relinquitur.

An verò *ſatisfaciant penſo Officii alternatim recitando?*

39. Dicitnr affirmativè. Ità enim recitando ſatisfaciunt Clerici. Tum quia. Recitantes Roſarium alternatim ſatisfaciunt ſuo muneri. Ergò,& Laici in caſu.

40. VII. Quòd *Miniſtri, & Cuſtodes pro neceſſitatibus infirmorum, & Fratrum ſollicitam curam gerant, ex cap.4.*

VIII. Quod *Fratribus infirmis alii Fratres inſerviant, ex cap.6.*

IX. Quòd, *Epiſcopo contradicente, Fratres in ejus Epiſcopatu non prædicent, ex c.9.*

X. Quòd *nullus prædicet, niſi fuerit approbatus, & inſtitutus Concionator à Generali, vel Provinciali cum Definitorio in Capitulis Provincialibus, cap. Exiit §. Nos, &.* Per Capitula vèrò Provincialia intelliguntur, etiam Congregationes intermediæ juxtà praxim.

XI. Quòd *Fratres videntes ſe non poſſe Regulam obſervare, recurrant ad ſuos Miniſtros, ex cap.10.*

XII. Quòd *ſerventur omnia, quæ in Regula ponuntur, quò ad formam habitus, tàm Novitiorum, quàm Profeſſorum, & ſpectantia ad modum recipiendi Novitios, & eorum profeſſionem: niſi recipientibus quò ad habitum Novitiorum (ſicut dicit Regula) ſecundum Deum alitèr videatur.* ibi Clement.

41. Ad

41. Ad Ordinem verò nedùm Generalis poteſt recipere, ſed id à Nicolao *d. cap. Exiit* §. *Sed quoniam* conceditur, etiam Provincialibus. Verùm licentia Provincialium poteſt à Generali arctari, ut ibi. Ubi hæc paritèr ſunt: *Vicarii Provincialium Miniſtrorum ex officio Vicariæ licentiam hanc ſibi noverint interdictam*: niſi per Miniſtros eoſdem (*quibus hoc poſſe committere Vicariis, & aliis licere decernimus*) *hoc ipſis Vicariis ſpecialitèr committatur*. Cœterùm Vicarii Provinciales, qui, per mortem, vel reſignationẽ Provincialium eis, electione canonica ſubſtituuntur, ex officio competit facultas recipiendi ad Ordinem: nec de iſtis loquitur textus, ſed de iis, qui per abſentiam Provincialis ad Provinciam gubernandam relinquuntur.

42. Non debent Provinciales eſſe faciles in concedendis licentiis recipiendi Novitios; & eos, quibus id committunt, tenentur monere, ut fidelitèr in negotio ſe gerant; ſcientes, quòd non omnes indifferentèr ad Ordinem debent admitti, ſed illi tantùm, qui, ſuffragantibus eis litteratura, idoneitate, & aliis circumſtantiis, poſſint utiles eſſe Ordini, ſibique per vitæ meritũ, ac aliis proficere per exemplum.

43. Ut autem in bonum Religionis recipiendi poſſint cedere, nevè cœco modo omnes indiſtinctè aſſumantur, Innocentius X. *conſtit. Ad propagandam apud Lantuſcam v. Novitius num.* 5. edita pro Religione Fratr. Minor. de Obſerv. §. 1. mandat, ut poſtulantes recipi ad habitum probationis diligentèr examinentur *à Miniſtro Provinciali, & Definitoribus, ac per vota ſecreta approbentur, quotquot idonei reperti fuerint, natalibus, ætate, vita, & moribus: litteratura reſpectu Clericorum, corporis habitudine, impulſu ſpiritus, aliiſque requiſitis ad præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum, ac Statutorum Ordinis. Non idonei verò rejiciantur. Nec aliquis approbetur pro Clerico, qui decimum quintum, nec pro Laico, qui vigeſimum ætatis ſuæ annum non expleverit.* Quod generalitèr præſcriptum eſt à Clemente VIII. in decretis *Cùm ad Regularem ſub conſtit.* 82. *Bullar. tom.* 3.

44. §. Verò 2. pro admittendis ad profeſſionem hæc habet Innocentius: *qui* (Provincialis, vel alius de ejus commiſſione) *quarto quoque menſe à communitate Fratrum Conventus ipſius Novitiatus, à duobus ſaltem menſibus ibi actu de familia exiſtentium, per ſecreta majoris partis ſuf-*

fragia

ſragia habiles inventi fuerint, elapſo anno, poſt ſuſceptum habitum, ad profeſſionem admittat.

45. Ex prima diſpoſitione ſequitur, non poſſe Provinciales ſinè Definitoribus ad habitum probationis petentes recipi, admittere: & ubi aliàs operantur, tàm receptio, quam profeſſio habetur pro non facta; nàm, non ſervatâ formâ à lege præſcriptâ, actus corruit.

46. Conſideratur, etiam, quòd Sac. Canones *cap. Novit, cap. Quanto, cap. Ea noſcitur de his, quæ fiunt à Prælat. ſinè conſen. capit.* nulla declarant negotia ſpectantia ad Eccleſias, & Conventus facta ſinè Capituli conſenſu. Ideò, quia ab Innocentio ubi ſupra præcipitur, ut Novitiorum receptio à Provinciali, & Definitoribus fiat, ubi ſolus Provincialis ad Ordinem admitteret, admiſſio nullius eſſet roboris;& indè ſubſecuta profeſſio nulla. Et in caſu exiſtentia recepti in Conventu deſignato pro Novitiatu, veniret ſolùm de materiali, quoniam non de quovis verificatur ſtare formalitèr in anno probationis, ſed debet habere requiſita.

An autem *profeſſio illius, qui eſt de numero Converſorum, nulla dicenda foret, ſi ante*

ante annum 20. profiteretur. Dicitur negativè modo cœtera concurrerent. Ut dixi *Off. Cur. Ecc leſiaſt. cap.41. num.8.*

47. Ex ſecuuda diſpoſitione Innocentii habetur Provincialem, ſi duobus menſibus non fuerit in Conventu Novitiatus, non poſſe ſuffragium ferre ſupra experimentum habilitatis Novitii ad Ordinem: textus loquitur expreſsè *à duobus ſaltem menſibus*. Quatenus verò ſuffragia, data à Religioſis habentibus qualitatem Conſtitutionis eſſent paria, & uni parti pro habilitate profeſſuri accreſceret illud Provincialis, emittens profeſſionem poſſet in Sac.Congr. Concilii pro profeſſionis nullitate agere; pro qua profectò judicium prodiret. Nam finis Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 15. de Regul.* requirentis, ut nullus profeſſionem emittat, niſi poſt exactum integrum annum in probatione, eſt, ut nullus, niſi aptus, & Religioni idoneus ad profeſſionem admittatur. Inidoneus autem,& Ordini non utilis rationabilitèr præſumitur, qui aptus à majori parte Fratr. commorantium de familia in Conventu Novitiatus non judicatur. Propterea Innocentius decrevit ad profeſſionem non eſſe admittendos, niſi qui, elapſo

elapſo anno poſt ſuſceptum habitum, *per ſecreta majoris partis ſuffragia habiles inventi fuerint*.

48. Nota Conſtitutionem Innocentii correxiſſe ſtatuta reportata in Compilatione Sambucana *cap.* 2. §. 1. *num.* 16. ubi diſponitur, quòd ſi Fratres in ſuffragatione Novitiorum, *prima vice, tres ex quatuor partibus; ſecunda verò vice, duas ex tribus non tulerint, abſque recurſu, & mora Religionis habitu priventur. Tertia verò vice, ſi ſuffragiorum tertia pars Novitio defuerit, ad profeſſionem non admittatur; ſed tandiù differatur, quòd Provincialis deſuper admonitus, quid pro ſua pietate, & prudentia ſentiat, declaraverit*. Quæ diſpoſitio non regit, amplius, cùm Conſtitutio diſponat eſſe admittendos ad profeſſionem eos, pro quibus major pars fuerit ſuffragata; nec libertati Provincialis remittit, quòd ſi hæc deſit, ſuppleat, vel aliquid ſtatuat; ſed tunc Novitius intelligitur excluſus, ſivè vota ſint paria, ſivè infrà majorem partem; ad incluſionem namque pro neceſſaria qualitate exigitur major pars ſuffragiorum pro idoneitate: nec major pars habetur, niſi ſaltèm unum ſit ſupra medietatem.

49. Ca-

49. Caveant itaque Provinciales à prętenſione deciſivi in paritate votorum; cùm eis ab Innocentio non concedatur. Nec eis ſuffragatur decretum S. Congr. Epiſc. editum 13. *Martii* 1653. quo Provincialibus conceditur deciſivum, quia agit de electionibus, & rebus, decidendis in Definitorio, ut dixi *Offic. Cur. Eccleſiaſt. cap.* 28. *num.* 51. Neque eis aſſiſtit Conſtitutio Urbani VIII. *Religioſos viros* 312. *Bullar. to.* 5. cùm ſit reſtricta ad electiones, *tàm Prominiſtrorum, & Cuſtodum, quàm Guardianorum*; quæ fieri debet per ſecretas ballottationes, & in paritate ſuffragiorum Præſidens electionibus habet deciſivum, ut in textu.

50. Notandum, quòd cum Definitores præſentes ſunt, vel brevi temporis ſpatio v.g. unius diei vocari poſſunt, non poſſunt alii ſubrogari; quia hac forma diſtantes, abſentes dici non poſſunt, de facili enim poſſunt præſentes haberi; & qui facilè poteſt haberi, præſens dicitur, *Authentica præſentes C. de fidejuſ. Præſens, inquit Vlpianus, habetur, & qui in hortis eſt, & qui in foro, & qui in Vrbe, & qui incontinentibus ædificiis*. Ideò ceſſat aliorum ſubrogatio, cùm Definitores ad formam juris

ris ſint præſentes: ſubrogatio enim facta eſt in ſubſidium, & ſupplementum Definitoris abſentis. Et ex *cap.Cùm veniſſet de ſacr. unct.* ſuppletur id, quod deeſt. Atque ità, ſi Definitor non deeſt, non debet alius loco ipſius ſuppleri, ſed ipſe eſt intimandus, ut accedat, & expectari, ac audiri debet.

51. Per recenſita præcepta conſtat de intentione S. Franciſci, qui profectò non intendit obligare Fratres ad obſervantiam omnium conſiliorum Evangelii, proùt olìm nonnulli nimis ſcrupulosè agendo putarunt, propter verba textus in *cap.*1. *Regulæ*: *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet, Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanctum Evangelium obſervare*: & *cap.ult.Et Sanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmitèr promiſimus, obſervemus*. Difficultas verò ſublata fuit à Nicolao III. *in d. cap.* §. *Quem intellectum*, declarante: *Per quod patet, quòd non fuit loquentis intentio, quòd Fratres ex profeſſione Regulæ ad omnia conſilia, ſicut, ad præcepta Evangelica tenerentur: ſed ſolùm ad illa conſilia, quæ in eadem Regula præceptoriè, vel inhibitoriè, ſeù ſub verbis æquipollentibus ſunt expreſſa*. Et à Clemente allegata *Clementi-*

mentina §. *Declaramus* ibi, *& dicimus, quòd dicti Fratres non ſolùm ad illa tria vota nudè, & abſolutè accepta ex profeſſione ſuæ Regulæ obligantur; ſed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quæ ſunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ Regula ipſa ponit: Nec tamen putandum eſt, quòd B. Franciſcus profeſſores hujus Regulæ quantùm ad omnia contenta in Regula modificantia tria vota, ſeù ad alia in ipſa expreſſa intenderit æqualitèr eſſe obligatos; quin potius apertè diſcrevit, quòd quò ad quædam ipſorum ex vi verbi tranſgreſſio eſt mortalis: & quò ad quædam alia non: cùm ad quædam ipſorum verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem, & quò ad aliqua verbis aliis ſit contentus.*

52. Nullus ad habitum eſt admittendus, niſi de præceptis Regulæ ſit ſufficientèr inſtructus, juxtà diſpoſita ab Innocentio XI. *d. conſtit. Sollicitudo*, ibi: *Ut in ingreſſu Rligionis unuſquiſque de obligationibus, quas aſſumere vult, plenè informetur; ſtatuimus, ut nullus recipiatur ad habitum Regularem in eodem Ordine, niſi prius plenè informatus ſit de prædictis præceptis Regulæ obligantibus in conſcientia: &, prævia hac notitia, velit probationem ſubire.*

53. Pari modo nullus ad profeſſionem

nem recipi debet, niſi præmiſſis iis, quæ ex *d. conſtit.* ſequuntur: *Nec quiſquam admittatur ad profeſſionem Regularem, niſi priùs examinatus ſit de intellectu Regulæ, & præceptorum ejus; & deinde immediatè antè illam coràm tota Communitate fiat ei proteſtatio, quòd ad obſervantiam Regulæ cum omnibus ejus præceptis, tunc enumerandis, & exprimendis, obligetur in profeſſione, eamque proteſtationem admittat, & ſub ea profeſſionem faciat.*

Quatenùs verò Superiores, & alii, ad quos ſpectat, prædicta executioni demandare negligant, & mentem Pontificis non impleant, gravitèr peccant, cùm in re gravi contra legem præcipientem faciant.

§. V.

Diſpenſatio in præceptis.

54 Hic diſcrimen ſupponatur inter diſpenſationem, & interpretationem. Illa enim præceptum obligans in certis caſibus ex cauſa rationabili relaxat, vel moderatur: *cùm diſpenſatio ſit facultas, ut licitè fiat, quod aliàs per præceptum fieri prohibetur.*

Inter-

Interpretatio verò *declarat hic, & nunc præceptum non obligare*: Idcircò interpretare hoc importat, ut, inſpectis rebus, & ſingulis circumſtantiis, declaretur præceptum in hoc caſu individuo non obligare. Sic præceptum v. g. non furandi, declaratur non obligare, ubi agitur de extrema neceſſitate, vel periculo vitæ.

45. Iſtis adnotatis, dicimus Superiorem poſſe *ex cauſa rationabili* in caſu particulari in quibuſdam præceptis Regulæ diſpenſare. Ratio eſt, quia facultas diſpenſativa videtur pertinere ad auctoritatem paſtoralem, & regitivam gregis; propterea ſi juſta cauſa petat, poteſt à Superiore præceptum moderari, & relaxari.

Dictum eſt, in *quibuſdam præceptis Regulæ*. Quoniam facultas diſpenſandi, etiam cum Fratre particulari præſumitur denegata, quando ex tenore litteræ ſcandalum, deordinatio, aut decoloratio in Ordine ex tranſgreſſione, vel non obſervantia præcepti generaretur.

Ità poteſtas nulla eſt in Prælato ad diſpenſandum in quatuor præceptis formalibus, in duobus inhibitoriis; quæ à Sancto Bonaventura appellantur *præcepta eminentia, & manifeſta*.

56. Nec

56. Nec diſpenſari poteſt in primariis habentibus vim præcepti, ut, *quòd univerſi Fratres teneantur habere unum Miniſtrum Generalem: quòd teneantur, uno depoſito, alium eligere. Quòd Miniſtri, & Cuſtodes vadant ad Capitulum Generale*. Et indè colligitur, quòd ex diſpenſatione ſuper iſtis maxima in Ordine confuſio, & deordinatio inevitabilis haberetur.

Quantùm verò ad æquipollentia, quæ nec adeò rigorosè præcipiuntur, neque ad commune Religionis bonum pertinere cenſentur, poſſunt Prælati diſpenſare circa *numerum tunicarum*: circa *vilitatem veſtimentorum* (non tamen ità ut ſcandalum generetur) *circa calceamenta, jejunia, equitationem*, & ſimilia.

57. Dictum eſt *ex cauſa rationabili*: quia, cùm Superiores ſint promotores, non dilapidatores, ſeù diſſipatores obſervantiæ Regulæ, ſunt inhabilitati ad diſpenſandum ſinè juſta cauſa.

Ideò ad diſpenſandum duo cumulativè concurrere debent.

I. Auctoritas Prælati, ſaltem, quando haberi poteſt, & periculum non eſt in mora.

II. Cauſa rationabilis, de qua judi-

M cium

cium debet ferre Prælatus: cùm nullus poſſit in hac re eſſe Judex in ſua cauſa. At Prælatus debet eſſe oculatus in judicio ferendo, nè illicitè, & cum manifeſta decoloratione Religionis diſpenſet. Non enim quævis parva utilitas, vel neceſsitas reputatur rationabilis ad diſpenſandum, ſed illa ſolùm, quam non prudentia carnis, ſed rationabilis, & urgens conciliat cauſa: ut, quando rationabilitèr impediretur officium, aut ſpirituale, vel corporale, ſeù probabilitèr timeretur diſpendium. Ità Superior poteſt cum Infirmario diſpenſare in jejunio, in calceamentis, in equitatione, &c. Non quia perſonalilèr indiget, ſed, ut neceſsitatibus infirmorum plenè ſatisfacere poſsit. In hoc caſu cauſa rationabilis eſt neceſsitas corporalis aliorum. Item, Religioſus debet vacare à mane uſque ad veſperam Concionibus, vel Confeſsiones audire, quibus ſi non vacaret, animæ plurimorum jacturam paterentur; poteſt cum eo Superior diſpenſare in jejunio, nè nimis debilitetur, & incapax reddatur. Et hæc eſt utilitas ſpiritualis in proximo: ex his ad alia exempla conſtabit.

58. Superiores verò, in quibus eſt facul-

facultas diſpenſandi, ſunt Generalis, & Provinciales, & quantùm ad aliqua præcepta, etiam Guardiani, ut notat Corduba in *cap.10. Regulæ qu.4. verſ. ſecundum, & ſequen.* Legendus eſt etiam Marchant *expoſit. in d. cap. tit.1. q.3. conſil.2.*

Quantùm verò ad interpretationem poſſunt paritèr Superiores declarare, quòd præcepta Regulæ in certis caſibus non obligant. Hoc enim eis convenit ex vi ſui Superioratus; ratione cujus ſunt lex viva, quæ eſt interpres legum mortuarum ſecundùm applicationem ad caſus particulares.

59. Verùm hæc interpretatio debet eſſe fundata in æquitate juſtitiæ, juxta axioma: *Leges cupiunt, ut jure regantur*: aliàs in caſibus particularibus injuſtitia committeretur. Undè Eccleſiaſt.7. dicitur: *noli eſſe juſtus multùm.* Et Comicus ſcripſit: *Summum jus eſt ſumma injuſtitia*. Frequentèr enim ex bono, & æquo, ſeù honeſtate à ſeveritate præcepti, & rigore litteræ recedendum eſt, nè iniquè erremus.

60. Cauſę verò hujuſmodi æquitatis, vel juſtæ interpretationis duæ ſunt. Prima. *Neceſsitas perſonæ operantis*: Exemplum: Frater Minor intèr Turcas, Hæreticos,

ticos, barbaraſque Nationes ſinè uſu, & receptione pecuniæ neceſſaria ad ſuſtentationem vitę non reperit, in caſu Superior juſtè interpretatur eum non obligari prȩcepto de non recipienda pecunia, ut habetur ex Declaratione Nicolai III. in *d. cap. Exiit* §. *Et quidem*: ubi ex ipſomet textu infertur poſſe Fratres *jure poli* in articulo extremȩ neceſſitatis ſibi de victu neceſſario per pecunias, alioſvè modos providere: præceptum enim naturale de conſervanda vita prævalet poſitivo Regulæ de non recipiendis pecuniis.

61. Ità, Superior interpretatur, Fratrem morbo laborantem non teneri ad divinum Officium: poſſe pluribus Tunicis uti: poſſe calceatus incedere, & equitare; & hùc faciunt dicta ab Innocentio XI. *d. Conſtit. Sollicitudo*; *neceſſitas, vel infirmitas judicio Superiorum probata excuſat*.

62. Nec tunc Fratres diſpenſatione utuntur; ſed ex interpretatione præceptum eos non obligat. Quòd adverſus plurimorum hallucinationem notari debet, qui putant in ſimilibus caſibus uſum plurium Tunicarum, calceationem, equitationem, &c. eſſe ex diſpenſatione, quòd falſum eſt; quia ſimilia in neceſſitate facien-

facientes non operantur contra Regulam, ſed jure ſuo utuntur, cum in illis præcepta Regulæ eos non obligent.

63. Alia æquitatis cauſa eſt *concurrentia alterius præcepti*: ex regula communitèr recepta, quod, ubi *concurrunt duo præcepta, quæ ſimul exequi, & impleri non poſſunt; majus ex æquitate debet præponi minori, naturale poſitivo, divinum humano.*

64. Ità, Frater Minor obligatus ex præcepto charitatis, vel juſtitiæ ſuccurrere proximo, cujus neceſſitati non poteſt conſulere, niſi jejunium Regulæ frangat, præcepto Regulę non adſtringitur; quod, cùm ſit humanum, cedit præceptis charitatis, & juſtitiæ; quæ ſunt divino-naturalia.

An verò, *ſolus Superior poſſit legem, & præceptum interpretari?*

65. R. Ex vi ſui officii ipſe ſolus poteſt. Ratio eſt, quia interpretatio legis ei ſoli competit, qui Legislatorem in caſibus particularibus repræſentat.

Verùm, ubi Superior adiri non poſſet, & neceſſitas operandi urgeret, poſſet quilibet privatus uti Epickeja, ſeù legis interpretatione.

Dictum: ubi eſt *neceſſitas operandi*,

quia ſi nulla ſit, non habetur cauſa interpretationis, & onus dimittendum eſt.

Dictum: *Si Superior haberi non poſſit*: quia ubi ad ipſum commodè recurri poteſt, recurrendum eſt: Ipſi enim oves ſunt commiſſæ.

66. Hinc patet ad ſerenandas conſcientias ſcrupuloſas, quantæ prudentiæ, & charitatis debeant eſſe Superiores, ut præcepta benignè interpretentur. Sæpè enim ob rigorem animas præcipitant. Debent itaque eſſe benigni, & non zelo indiſcreto armari erga ſubditos. Revocantes in memoriam illud Gloſs. *ad cap. Niſi cum pridem de renunciat. verb. elicit*.

Qui nimis emungit, ſolet extorquere cruorem.

CON-

Digitized by Google

CONSILIUM III.

Quæ circa pecunias ſint Fratr. Minoribus ſecundùm Regulam prohibita.

SUMMARIUM.

1 *Præceptum de non recipiendis denariis eſt capitale.*

2 *Quid ſit recipere denarios per ſe?*

3 *Et quid recipere per interpoſitam perſonam?*

4 *Contrectatio civilis pecuniæ Fratribus interdicta, ad 5.*

6 *In receptione civili pecuniæ non admittitur parvitas materiæ, ad 9.*

10 *Contrectatio naturalis pecuniæ Fratribus non prohibetur, ad 11.*

12 *Nequeunt Fratres exigere pecuniam, & computus juridicos facere, ad 16.*

17 *Abuſus, quòd Fratres retineant libros, vulgò dictos,* de Conti: *& ibi cautela.*

18 *Formula calculationis facienda cum Syndico circa eleemoſynas, & expenſas, ab eodem receptas, & reſpectivè factas:*

19 *Syndicus à Fratribus non poteſt in judicio conveniri.*

20 *Quis contra Syndicum infidelem poſſit in judicio agere?*

21 *Eſt Fratribus prohibitus pecuniarum quæſtus, ad* 26.

27 *In Concionibus commendandæ ſunt eleemoſynæ pro neceſſitatibus Locorum Terræ Sanctæ, ad* 29.

30 *Concionatores Ord. Min. nequeunt eleemoſynas pro Concionibus oblatas recipere, ad* 31.

32 *Senſus clauſulæ* ipſo facto, abſque alia declaratione, *ad* 35.

36 *Inſtructio danda Quæſtoribus noſtri Ordinis,*

37 *Prohibentur cippi, vel trunci in Eccleſiis Fratrum.*

38 *Capſulæ in Sacriſtia pro eleemoſynis Miſſarum non poſſunt à Fratribus retineri.*

39 *Syndicus, vel Subſtitutus poteſt recipere eleemoſynas pro Miſſis à Fratribus celebratis.*

40 *An vovens dare Fratribus Minoribus aliquid, teneatur conferre? ad* 41.

42 *An licitum in aliquo caſu ſit Fratribus per ſe pecuniam recipere? ad* 44.

45 *Fratres privati nequeunt, nec de licentia Supe-*

Superiorum habere pecunias in manibus Syndici, ad 47.

48 *Frater Minor non poteſt pecunias deſiderare.*

1 Estò plura, ut proximè notavimus, ſint præcepta in Regula Fratr. Minorum, gravitèr obligantia in conſcientia, præcipuum tamen locum intèr ea obtinet illud de non recipiendis denariis, vel pecuniis, proùt declaravit Innocentius XI. *Conſtit. Sollicitudo.* In qua, iiſdem præceptis enumeratis, & expreſsâ obligatione exiſtente in Fratribus ad illa ſervanda, ſubdit: *ac demum teneri ad capitale præceptum Religionis Fratrum Minorum de non recipiendis denariis per ſe, vel per interpoſitam perſonam.*

Vocat illud capitale prçceptum Religionis Fratrum Minorum, quatenùs in eo ſpecialiſſimè ipſa à cœteris Religionibus diſcriminatur; cùm Fratribus Minoribus non tàm dominium, quàm uſus denariorum ſint arctiſſimè vetita, dicente eodem Innocentio: *Aliarum rerum neceſſariarum poſſunt Fratres Minores de corpore Obſervantiæ hujuſmodi habere uſum, licèt non dominium: denariorum autem, nec domi-*

dominium, nec uſum. Qua phraſi ſignificat eos, non tàm debere eſſe alienos à denariis in ſe, quàm incapaces exiſtere cujuſvis actionis, quæ ad ipſos referatur; hinc Fratribus.

2. Primò prohibetur, *recipere denarios per ſe, vel per interpoſitam perſonam, ex cap. 4. Regulæ*.

Recipere *denarios per ſe*, de eo verificatur, qui immediatè in propria perſona poſſeſſionem, adminiſtrationem, vel uſum denariorum acceptat, ad effectum, ut in uſus aliquos, vel ſuos, vel alterius per ſe ipſum, vel ſua auctoritate per alios convertantur: ut, emptionem, donationem, mutuum, cambium, depoſitum, civilem conſervationem, ſocietatem, mercaturam, contractum politicum, theſaurizationem, &c.

3. Recipere verò *denarios per interpoſitam perſonam*, eſt ſua auctoritate perſonam aliquam conſtituere, quæ denarios Fratris nomine, vel beneplacito recipiat, vel aſſervandos, vel expendendos, Tunc fictione, vel juris interpretatione cenſetur Frater ipſe recipere, juxta Regulam 72. *juris in 6. Qui facit per alium, eſt perindè, ac ſi faciat per ſe ipſum*. Quarè perſona

ſona interpoſita mediat intèr donantem, & Fratrem acceptantem; & eſt velut perſona Fratris, Fratrem repreſentans, & ejus virtute, & auctoritate recipiens.

Undè pecuniam per interpoſitam perſonam recipere convincitur.

I. Qui juridicum computum ab adminiſtratore exigit.

II. Qui velut dominus auctoritativè expendi mandat.

III. Qui juridicas quitantias facit, vel facere permittit.

IV. Qui famulum proprium habet, qui pecunias de ejus mandato, & permiſſione recipiat.

4. Secundò. Prohibetur Fratribus uſus politicus, vel civilis contrectatio pecuniæ, ità Nicolaus III. *cap. Exiit de verb. ſignif. in 6. §. Ad majorem, declaravit ipſos Fratres non ſolùm à receptione, proprietate, dominio, ſivè uſu ipſius pecuniæ, verùm à contrectatione qualibet ipſius, & ab ea pecunia penitùs alienos*. Idem in terminis habetur in *Clementina Exivi eod. tit. §. Veruntàmen*. Quod ſubindè declaravit idem Innocentius *alleg. conſtit.* ibi: *Et proindè quævis contrectatio pecuniæ, ſeù denariorum, quæ non ſit purè naturalis, ſeù quæ ſit quovis modo*

modo politica, cujuſcumque domini ſint denarii, ſeù pecuniæ, Fratribus Minoribus Obſervantibus, ſeù de Obſervantia eſt omninò prohibita.

5. Hìc diſtinguitur contrectatio civilis, & politica à contrectatione purè naturali. Contrectatio civilis importat contrectare pecunias, ut ſunt formale inſtrumentum emptionis,& venditionis: vel, ad uſus legales,emptionem,donationem, mercaturam, &c. Ex hac doctrina plures caſus reſolvi poſſunt,quos cuilibet haud difficile erit enodare.

6. Verùm omnes ſcire debent in receptione, vel contrectatione civili pecuniæ vix dari parvitatem materiæ, quæ excuſet à mortali; tùm ex intentione S. Franciſci prohibentis *nullo modo* pecunias recipi debere; tùm ratione ſcandali, & detrimenti, quod Ordini obvenit. Solent enim Sęculares offendi, ubi vident à Fratribus unum, vel alterum obolum expendi, & indè retrahuntur ab eleemoſyna Ordini elargienda: licèt enim habere unum, vel alterum obolum non ſit *per ſe* materia peccati mortalis, tamen receptio, & contrectatio civilis ratione dicti ſcandali, & detrimenti à mortali non

non excuſatur. Et *per accidens* eſſet, ſi Sęcularis non ſcandalizaretur, nec illud detrimentum ſequeretur: quod enim eſt *per accidens* non variat, quod eſt *per ſe*.

7. Contrectatio purè naturalis ea eſt, in qua adeſt contactus, actio, & uſus tantùm materialis: Ità non peccat Frater, qui pecuniam tangit ſola curioſitate, vel, ut diſcernat qualitatem metalli, aut videat, cujus Principis ſit; tunc enim adeſt contactus purè ſpeculativus, nullatènus practicus. Sed ſcandalum debet abeſſe.

8. Item, qui tangit pecuniam, non proùt eſt formalitèr moneta, ſeù pretium ad emendum, ſed prout eſt hæc materia v.g. fruſtum auri, vel argenti, ex quo ſit, vel calix formandus, vel adhibendum pro medicina, aut aliàs.

9. Item, qui tempore belli, vel invaſionis Civitatis permittit Sæculari, ut in Monaſterio, vel, etiam in Cella pecuniam reponat, ut ibi aſſervetur. Neque enim ſervat pecuniam civilitèr, tamquàm depoſitum civile, ſed tantùm proùt eſt res materialis in genere ſpectans ad proximum; & per accidens eſt, quod

Digitized by Google

quod ſit ſigillo Principis ſignata, & in eſſe pecuniæ conſtituta.

10. Item, qui iter agens cum mercatore per loca inſolentiæ latronum expoſita, ab iſto accipit crumenam pecuniæ, eamque transfert, donec mercator ſit extrà periculum: Etenim hìc etiam, actio Fratris non verſat circa pecuniam, ut eſt pecunia formalitèr, ſed ut in genere eſt res proximi.

Dices. Non licet Fratri pecuniam acceptam ab amico ſpirituali, vel Syndico ad ejus Subſtitutum tranſportare, ut notum eſt; ergò nec in eo caſu à mercatore.

11. R. Negatur conſequentia. Diſcrimen eſt, quia tranſportatio in ſecundo caſu eſt ſolùm materialis, & tantùm rei alienæ cuſtodia, non verò miniſterium, & actio formalis circà pecuniam, ut dicit formalitèr pretium emptionis. Secùs in primo caſu, in quo tranſportatio eſſet formale miniſterium circa pecuniam expendendam in uſus Fratrum; adeoque tractaretur, ut eſt formalitèr pecunia, & inſtrumentum ad res emendas, ſub qua ratione Fratres, nec recipere, nevè contrectare illas poſſunt.

Quæ-

Quæritur. *An liceat Fratri Minori recipere litteras cambiales, quibus campſor correſpondenti committat, ut ei pecuniam numeret, qua in itinere uti poſſit?*

12. R. Negativè. Si in litteris obligatoriis demandetur, ut pecunia ipſi Fratri numeretur. Nàm in caſu Frater quòad actum internum, cenſetur in pecuniam conſentire. Quatenus verò litteræ obligatoriæ non fiant nomine Fratris, ſed tantùm, ut in ejus neceſſitates pecunia numeranda per perſonam idoneam expendatur, poteſt Frater tales litteras recipere; tùm, ex quo tales litteræ verè pecunia non ſint, ſed ſolùm inſtrumentum, ſivè medium, quo pecunia numerari poteſt; & ideò de Fratre recipiente tales litteras ſimplicitèr non verificatur pecuniam recipere; tum etiam, quia eſtò litteræ ipſæ ſint obligatoriæ, non tamen quantùm ad Fratrem, qui (ut ſupponitur) ad numeratorem pecuniæ pro ſuis neceſſitatibus, & de licentia Superioris, ſaltem tacita, recurrit pro eleemoſyna, ut ad amicum ſpiritualem; abſtinendo tamen ſemper à receptione pecuniæ juxta textum in *d. Clementina* §. *Attendant Fratres*.

13. Cœterùm in enunciatis caſibus, etiam

etiam ex natura rei licitis, cavendum eſt, ſcandalum puſillorum; qui ſæpè non attendentes circumſtantias rei, poſſent ex externa actione Fratrum offendi; & tunc peccaret operans, non quia actio ex natura ſua eſſet illicita, ſed quia ſpeciem, ſeù apparentiam mali haberet. Nàm ex allegata *Clementina* §. *Cumque annui redditus: non ſolùm, quod malum eſſe dignoſcitur, ſed, & omne, quod ſpeciem habet mali, eſt à viris perfectis ſpecialitèr cavendum.*

14. Tertiò. *Prohibetur præcipere, quod, & qualitèr pecunia expendatur, computumque exigere de expenſa, eam quomodocumque repetere, ſivè deponere, aut deponi facere: capſulam pecuniæ, vel ejus clavem deferre: hos actus, & conſimiles ſibi Fratres illicitos eſſe ſciant. Prædicta enim ad ſolos dominos pertinent, qui dederant, & eos, quos ipſi deputarunt, ex d.Clementina* §. *Quapropter.*

Quamvis autem nequeant Fratres præcipere, ut pecunia expendatur, poſſunt tamen Syndico, vel Amico ſpirituali, aut ejus Subſtituto ſpecificare, & inſinuare ſuas neceſſitates, eoſque rogare, ut illis per eleemoſynas pecuniarias provideant. In *cap.Exiit* §.*Ità tamen.*

15. Neque hujuſmodi inſinuatio ali-

aliquod jus, vel auctoritatem ponit in Fratribus ergà pecuniam, vel ejus adminiſtrationem; ſed importat tantùm prudentem directionem, & notitiam præſtitam Syndico, vel Amico ſpirituali à Superiore; ad quem ſpectat judicium de vera neceſſitate Fratrum *ſecundùm loca, & tempora, & frigidas Regiones*.

16. Item, tametſi Fratres ex ſuæ profeſſionis puritate inhabiles ſint ad exigendos computus juridicos à Syndico, vel Subſtituto, poſſunt tamen, quin etiam debent eos monere, & exhortari, ut in commiſſa ſibi re fideles ſint, ut expreſsè in *d. cap. Exiit* §. *Poſſint etiam perſonam eandem exhortari, ac inducere, quòd fidelitèr in re commiſſa ſe habeat, & animæ ſuæ ſaluti in commiſſa ſibi executione provideat*.

Item, poſſunt apud ſe notulam retinere pecuniarum, & expenſarum, non tamquàm domini, ſed pro ſua inſtructione, tàm circa fidelitatem Syndici, quàm, ut ſciant, quanta pecunia apud iſtum reperiatur, nè permittant plus deponi, quàm vera neceſſitas requirat.

17. Ideò eradicandus eſt abuſus in quibuſdam Conventibus inductus, in quibus cogitur Syndicus ad rationem, &

computum reddendum, retinenturque libri, inſcripti *de' Conti*, & facta calculatione concluditur; *ſi ſono fatti i conti col Sig. Sindico Apoſtolico .... che reſta in debito col Convento di ſcudi* 100. *ſicche il credito del Convento col medeſimo è di ſcudi* 100. Quæ phraſis loquendi, an conveniat Fratribus Minoribus, judicet, etiam levitèr inſtructus de qualitate noſtræ profeſſionis. Similes termini ſunt proprii eorum, qui ſunt domini, & jus habent in pecuniis, eaſque poſſunt civili contrectatione tractare; nec alia phraſi mercatores ſibi invicem rationem reddunt, aut unius creditum, vel alterius debitum exprimitur.

18. Propterea Fratres, qui corde, ore, opere, ſigniſque alieni eſſe debent à pecuniis, & ipſarum contrectatione, à ſe relegent omne id, quod jus aliquod præſefert; librumque retineant, quem *regeſtum* nominent, in quo pro inſtructione notentur: tùm eleemoſynæ pecuniariæ, quæ Syndico pro neceſſitatibus Fratrum obvenerunt: tùm expenſæ per ipſum factæ, ut Viſitatores poſſint tempore Viſitationis recognoſcere qualitatem adminiſtrationis exercitæ per Superiorem localem,

calem; & hac formula calculatio concludi poteſt.

Eſſendoſi dal Sig. Sindico alla preſenza di Noi infraſcritti Guardiano, e Diſcreti del Convento N. fatto il confronto delle limoſine pervenute in ſua mano per le neceſſità de' Religioſi del medeſimo Convento, e delle ſpeſe fatte dall'iſteſſo per le dette neceſſità, ſi è ritrovato, che le limoſine ſono arrivate alla ſomma di ſcudi 30. e le ſpeſe alla ſomma di ſcudi 20. Onde reſtano in mano di detto Sindico ſcudi 10. *&c.* Quatenus verò expenſæ eleemoſynas excederent, hæc addi poſſent: *& eſſendo ſuperiori alle limoſine le ſpeſe di ſcudi* 10. *ſono queſte ſtate fatte del proprio dal Sig. Sindico, come amico ſpirituale, per ritornare ſul ſuo colle limoſine, che li ſaranno date da' Benefattori per l'avvenire.* Vel alia formula excogitetur, quæ nullam omninò, etiam in verbis ſonet proprietatem.

19. Quartò. Prohibetur Fratribus Syndicum (vel alium) in judicio, vel extra directè, vel indirectè pro eleemoſynis pecuniariis, aliiſvè bonis convenire, vel agere. Hujuſmodi enim actus ſolis dominis, & habentibus jus in rebus, vel ad res conveniunt, non verò Fratribus, qui ſunt incapaces juris, & actionis cu-

juſque civilis, ex *Clementina d.* §. *Quapropter*.

Sed quid, ſi Syndicus eleemoſynas pro Fratribus oblatas in ſuos uſus converteret, & earum dilapidator, & non fidelis adminiſtrator exiſteret?

R. In caſu Fratres tenentur curare, ut res, quæ ad Apoſtolicam Sedem pertinent, non dilapidentur.

20. Reſp. 2. De hac re dicendum *tit.4. conſil.4.*

21. Quintò. *Prohibetur quæſtus omnis pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio in Eccleſia, vel alibi, d. Clementina* §. *Quocirca*.

Quarè peccant Fratres. I. Si per ſe ipſos collectas pecuniarum faciant.

II. Si perſonas ipſi deputent, vel aſſumant, ut pecunias colligant, eaſque comitentur.

22. III. Si conſentiant, vel poſitivè concurrant, quòd in ſuis Eccleſiis offerantur pecuniæ à Sæcularibus oſculantibus Crucem, vel Reliquias Sanctorum, aut aliâ quavis causâ, etiam in Paraſceve, aut die Portiunculæ, vel alio Feſto, etiam prætextu, quòd debeant inſervire pro cera, vel oleo, & luminaribus. Dum enim id

id ſciunt, & vident fieri, & non impediunt, aut non reſiſtunt, dum commodè poſſunt, inſtruendo illos de veritate, videntur conſentire; juxtà *Regul.43. jur.in 6. Qui tacet, conſentire videtur.*

23. Verùm, ſi, facta prohibitione, & proteſtatione, adhuc ex devotione Fideles vellent pecunias in Altari, vel ſolo Eccleſiæ relinquere, tunc Fratres non dicerentur collectiones pecuniarum facere, vel permittere. Quæ à perſona devota, aut Syndico colligi deberent, per hunc expendendæ pro Fratrum neceſſitatibus. Fratres verò ad eas non poſſent recurrere, vel in earum depoſitionem conſentire, niſi pro vera neceſſitate, præterita, preſenti, vel imminenti.

24. IV. Peccant, ſi conſentiant, aut permittant, quòd aliqui Sęculares, etiam moti ex ſua devotione petant pecunias per vicos, plateas, Eccleſias, ſeù alia quæcumquæ loca, quovis tempore nomine Fratrum, ſivè indifferentèr petant, ſivè pro cauſis determinatis, non concurrente neceſſitate.

25. Tametſi, concionante aliquo Fratre, collectio pecuniarum fiat nullo Fratrum interventu per Magiſtratum,

vel perſonas à populo deputatas, ut in neceſſitates Fratrum, Populi, vel Magiſtratus auctoritate expendantur, & alicui fideli perſonæ conſignentur, non eſt illicita. Ratio eſt, quia Fratrum opera non intervenit, ſed ſæculares ſua voluntate faciunt; ad pecunias tamen ſic collectas nequeunt Fratres recurrere, niſi pro vera neceſſitate, ut dictum eſt.

Dices. Hujuſmodi collectiones fierent ratione prædicationis.

26. R. Quocumque fine fiant, dummodò Fratres non ſe ingerant, nec concurrant, ea in re non delinquunt.

Quæritur. *An Fratri concionanti liceat collectas pecuniarum commendare?*

R. Licet Fratri neceſſitates ſui Conventus ſinè mentione pecuniæ Fidelibus inſinuare, eis liberum relinquendo, ut quævis modo legitimo ſibi accomodo provideant.

27. Debent Concionatores, etiam noſtri Ordinis bis in anno, hoc eſt, tempore Adventus, & Quadrageſimæ in Concionibus commendare Fidelibus neceſſitates Locorum Terræ Sanctæ, proùt præcipit Urbanus VIII. *conſtit. Salvatoris* 215. *Bullar. tom.* 5. quæ fuit confirmata ab Inno-

Digitized by Google

Innocentio X. *conſtit.* 10. & à Clemente X. *conſtit.*39. ibi.

Et Innocentius *conſtit.Cum ſicut* 11.ibi diſponit, quòd eleemoſynæ à Fidelibus erogatæ ad dictorum Locorum neceſſitates relevandas, debeant conſervari in arca duabus diverſis clavibus obſignata, quarum unam tuta conſcientia retinere apud ſe poſſint Commiſſarii Terræ Sanctæ.

28. An autem poſſint pecuniarum collectæ in Eccleſiis Fratrum Minorum fieri? Vide ſuprà *num.*21. ubi textus abſolutè, & generalitèr omnes prohibet: & qui totum dicit, nihil excludit.

29. Petitur. *Qua ratione ſe gerere debeant Concionatores Ordinis noſtri circa pecunias, quæ in eleemoſynas Concionum à Fidelibus Civitatis, vel Caſtri exhibentur?*

30. R. Servanda ſunt diſpoſita à ſan. mem. Innocentio XI. *conſtit. Exponi nobis edita* 16.*Octobris* 1685.in qua quantùm ad Prædicatores habet: *Prædicatores quicumque eleemoſynas prædicationis prætextu oblatas, pœnitùs non recipiant, nec de illis ſub quovis prætextu, vel quæſito colore diſponere, aut quomodolibet tractare præſumant, & audeant, ſed ſi, abſoluta prædicatione, vel antè,*

contigerit fieri à quovis genere perſonarum, Prædicatoribus ipſis eleemoſynarum oblationem, reſpondeant, Syndicis Conventuum dumtàxat liberè, & integrè tranſmittendam, & conſignandam fore (& hoc exponit illud Urbani, qui de illis juxta Regulæ præſcriptum diſponat) *Quod ſi conſtiterit* (ſequitur Innocentius) *quempiam Prædicatorum per ſe, aut per alios pecuniam recipere, vel recepiſſe, proprietatis pœna omninò puniatur: & actibus legitimis per ſexennium privetur. Quam pœnam, etiam Guardiani ſubeant, ſi eorum culpa, vel negligentia contrafieri contigerit*. Similia habet Urbanus VIII. in *conſtit. Militantis nuncupat. de riſtituendo Candore*.

31. Privatio actuum legitimorum importat inhabilitationem ad omnia Ordinis officia, quæ cum dignitate, & ſuperioritate conjuncta ſunt, ut Miniſteriatus, Definitoratus, Guardianatus, *ſtat. Sambuc. cap. 7. §. 6. num. 3.*

32. Hinc patet Innocentianam quantum ad pœnas, & modum illas incurrendi mitigare illam Urbani. Hic utitur clauſula *ipſo facto*, à qua alius ſenſus importatur, quàm à clauſula *puniatur, privetur*, quam adhibet Innocentius, & æquivalet huic *ſub pœna*. Ubi advertendum, quod

quòd pœna poſteriori modo inflicta non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ, vel ſolùm comminativa, & non ſententiæ privatoriæ inductiva, ex obſervatis à Gloſ. in *extravag. Quia nonnunquam Joan. XXII. verb. ipſo facto.* Priori verò modo impoſita, eſt latæ ſententiæ. In qua re animadvertunt Doctores, quòd ubi pœna, ut executioni detur, non petit actionem externam hominis (cujus generis eſt *cenſura, irregularitas, privatio vocis, inhabilitas, &c.*) ipſo facto ante ſententiam Judicis, declaratoriam delictum fuiſſe commiſſum, abſolutè incurritur. Ratio eſt, quia in his homo merè paſſivè ſe habet. Si verò pœna talis ſit, ut ad ſui executionem efflagitet externam actionem cauſæ, proût dicitur de privatione Beneficii, Officii, &c. non ſtatim pro foro externo contrahitur, ſed expectanda eſt ſententia declaratoria criminis. Qua poſita, neceſſe minimè eſt, quòd Judex pronunciet de pœna, cùm per legem ſupponatur ipſo facto ſtatuta. Quòd totum patet ex textu in *cap. Cum ſecundum de hæret. in 6.* Quorum bona decernuntur ipſo jure confiſcata, ſed ad executionem confiſcationis, neceſſe eſt, ut Judex pronunciet ſuper crimen, ut in textu. Pro-

Propter quod, cùm in Conſtitutionibus Apoſtolicis, vel aliis pœna aliqua infligitur *ipſo facto*, & *abſque ulla declaratione* incurrenda: intelligitur, quòd nulla ſit neceſſaria ſententia declarans pœnam: requiritur tamèn declaratio criminis, tamquam conditio neceſſaria ad abſolutè effectum legis inducendum; niſi ex textu alitèr conſtet.

33. Quia verò opus eſt,ut Judex procedat declarando delictum, oportet, ut de iſto juridicè conſtet. Audienduſque eſt tranſgreſſor legis, ſi habeat quidquam allegare contrà objectum crimen: nullus enim indefenſus poteſt juridicè puniri. Et ubi non evacuat probationes,citandus eſt ad audiendam ſententiam declaratoriam criminis.

34. Interdùm tamen ſolent Legiſlatores imponere pœnas intentione, ut illam reus ſtatim ſubeat, nulla expectatâ vel criminis, vel pœnæ ſententia: proùt eſt privatio fructuum impoſita à S.Pio V. Beneficiatis, non recitantibus Horas canonicas. Qui ante quamcumque ſententiam Judicis tenentur in conſcientia reſtituere: & propoſitio exadverſo fuit proſcripta ab Alex. VII. 14. *Febr.* 1665.

nul-

nullum enim habent titulum retinendi. Idem videtur aſſerendum de privatione fructuum pro rata temporis abſentiæ à Trid. *ſeſſ. 23. cap. 1. de ref.* impoſita non reſidentibus.

35. Verùm, quia privatio *officii, &c.* ſubſequens ipſo facto crimen aliquod, illicò in conſcientia incurritur (licèt quis pro foro externo non teneatur ſtatim illud dimittere cum jactura ſuæ famę, ſed ſit expectanda ſententia declarans crimen) debet criminoſus recurrere ad Sacram Pœnitentiariam pro abſolutione, & diſpenſatione obtinenda, nè indebitè officium exerceat. Quem credimus non latere, omnes actiones à tempore commiſſi delicti exercitas eſſe ad minus irritandas; ſiquidem hìc effectus importatur à clauſula *ipſo facto, ipſo jure, abſque alia declaratione*, quo caret clauſula *ſub pœna*, ut ſcribit Ilſung *theol. pract. tr.1. diſp .2. art.7. num.73.*

Quæritur. *An Quæſtores noſtri mendicantes res in ſpecie, panem, vinum, &c. poſſint à non habentibus illas conſentire, ut aliis ad eum effectum pecunias tradant, vel conſignent expendendas?*

36. R. Debent offerentem inſtruere, ſe

ſe panem, vinum, &c. quærere. In ejus tamen poteſtate eſſe quovis modo per quemcumque providere. Semper tamen quæſtores, & à petitione, & receptione pecuniæ temperent. Et dum Miniſtri Principum, & Nobilium pro eleemoſynis, quas ſolent quovis menſe donare, offerunt pecunias, curent quæſtores illas per perſonam idoneam aſportari ad Syndicum Apoſtolicum.

37. *Prohibentur cippi, vel trunci ordinati ad offerentium, ſeù donantium pecunias reponendas, Clementina cit.* §. *Quòcirca*. Et hic nota pecunias accipi pro denariis; hodie enim, ut notat Gloſs. in *d. Clement. v. Cippi* pro eodem ſumuntur, & nos diximus *conſ.*1.

38. Hoc ipſum prohibuit etiam Sac. Congr. ab Urbano VIII. 14. *Junii* 1628. præpoſita rebus Fratr. Minor. de Obſerv. in hæc verba. *Prætereà nullo modo habeant in eorum Eccleſiis, vel Sacriſtiis, aut alibi cippos, aut truncos ordinatos ad offerentium, ſeù donantium pecunias, nec capſulas pro eleemoſynis Miſſarum, ad conſtit. Sacroſanctum Urbani VIII.* 51. *Bullar. tom.*4. Quæ diſpoſitio, utpotè cum aliis approbata ab eodem Urbano habet vim legis univerſalis.

Quan-

Quantùm verò ad capſulas retinendas in Sacriſtiis pro aſſervandis eleemoſynis Miſſarum juxta *conſtit. Innocentii XII. Nuper de celebr. Miſſar.* Sac. Congr. Concilii, examinato dudio ei propoſito. *An, & quomodo Minores Obſervantes valeant retinere capſulas pro Miſſis celebrandis in caſu, &c. Die 7. Julii* 1708. Reſpondit *Negativè*, ut dixi *Offic. Cur. Eccleſ. cap.* 10. §. 2. *num.* 45.

Quæritur. *An Fratres poſſint recipere eleemoſynas pro Miſſis?*

39. R. Negativè, ſivè per ſe, ſivè per alios; ſed à Syndico, vel ejus Subſtituto ſunt ſtipendia Miſſarum accipienda.

Cœterùm videant Fratres, nè pro Miſſis, Concionibus, Officiis, Sepulturis, & exequiis paciſcantur civili, ſeù politica pactione. Nàm ſunt incapaces omnis juris politici ad quamcumque rem, ut dictum eſt *tit.* 1. *conſil.* 2. & 6.

40. Item, advertant, quòd ſi quis voviſſet aliquam ſummam pecuniæ dare Fratribus, ipſe reſpectu Fratrum nec politicè obligaretur, neque ipſi titulo civilis obligationis poſſent exigere. Verùm ille debito conſcientiæ, & ratione voti teneretur ad eleemoſynam tribuendam, eo modo, quo Fratres ſunt capaces. Ità

Exc-

Executores Teſtamentorum non Fratribus tenentur ad legatum implendum,ſed vel Teſtatori, aut ei, ad quem ſpectant pia legata. & pauperum bona, ut dicam *tit.3. conſil.3.*

Hinc peccant Fratres contra Regulam, ſi ad ſimiles oblationes, & legata, velut ex debito recurrant, ſchedulas juridicas de danda eleemoſyna exigant; vel alio modo ad exequendum promiſſum quaſi compellant.

41. VII.*Prohibetur quicumque recurſus ad pecunias, ſeù habentes ipſas, qui per declarationem prædictam* (Nicolai III.) *non conceditur*, eadem *Clementina d.* §. *Quocirca*. De qua re agendum *conſil.ſequen:*

Queritur. *An ſit dabilis caſus, in quo Fratres poſſint per ſe ipſos petere,recipere,contrectare, & expendere pecunias?*

42. Reſp. Affirmativè, cùm nimirum gravis, & extrema neceſſitas urget, adeòut alio modo neceſſaria vitæ haberi non poſſint, ut ex *cap. Exiit* §. *Nec quidquam*, notavimus *conſil. prior. num.43.* Jus enim naturale, & *poli* à Nicolao nuncupatum, prævalet poſitivo. Sanctoro *comment. cap.12. ſtat.5. q.4. verſ. reſpondeo ex Statutis* refert plures Pontifices,& tandem Urba-

Urbanum VIII.declaraſſe pro locis Terræ Sanctæ, ubi Fidelis Syndici copia haberi non poſſit, qui illas recipiat, & expendat, poſſe Guardianum, & de hujus licentia alii Fratres pecunias recipere, erogare, & cuſtodire, ut ſartatecta loca Sancta ad gloriam Dei conſerventur.

43. Juxtà hæc regulari debent Miſſionarii, & qui ad Hæreticorum Regiones accedunt, ut eos ad fidem convertant; ſed videant, nè excedant, & ad theſaurizationem, & copiam accipiant, quod eis ſolo jure poli, & pro conſervatione naturæ permittitur. In locis verò, in quibus exiſtunt multi Fideles, qui eos alere, & veſtire poſſunt, & volunt, à pecuniarum receptione abſtineant.

44. Idem quantùm ad Fratres in Locis Turcarum Parochias, & Sacramenta Catholicis miniſtrantes; nàm ſæpè coguntur Barbaris dona conferre, vel in itinere pedagia ſolvere, propter quod ſunt in neceſſitate retinendi pecunias: quas retinere poſſunt, proùt in enunciatis circumſtantiis, ſupplicantibus Fratribus Provinciæ Boſnæ Argentinæ, Sac. Congregatio reſcripſit in hæc verba: *Oratores obſervare poſſe ſolitum, tuta conſcientia*. Verùm

rùm, ſi ſecùm poſſent ducere Tertiarium, vel habere Famulum, qui eſſet Subſtitutus Syndici Apoſtolici Provinciæ, vel Conventus, in cujus diſtrictu eſt Parochia, deberent illis uti, apud Nicol. Floſ. *v. Obſervantes num.* 10.

Quatenus verò eos habere non poſſent, & facultate illa uterentur, non dicerentur diſpenſati in Regula: cùm non adeſſet diſpenſatio in rigore, vel relaxatio præcepti; ſed haberetur ſolùm juris, & Regulæ declaratio; quatenus S. Sedes in illis circumſtantiis declarat præceptum, de non recipiendis pecuniis non obligare: & ita contra Regulam non agunt: conſentit Sanctoro *loc. cit.*

Quæritur. *An Fratres privati poſſint de licentia Superioris habere pecunias apud Syndicum Apoſtolicum?*

45. R. Sicut nec pro ſe poteſt Superior apud Syndicum denarios habere nomine, & auctoritate ſua expendendos; aliàs cenſetur reus proprietatis, utpotè diſponens de re non ſua, ac ſi ſui juris eſſet; ità nec poteſt id ſubdito concedere; ſivè agatur de pecunia, quæ obvenit Fratri titulo Concionis, vel eidem ratione donationis, aut mercedis oblata, nam quo-

quovis titulo non eſt Fratris, nec ſub dominio Superioris, ſed Pontificis juxtà Conſtitutiones Martini IV. V. & Pauli IV. ſuo loco allegandas, ideò; nec eſt in poteſtate Superioris de ipſa diſponere, ut à Syndico ab aliis ſequeſtrata retineatur in commodum Fratris particularis, ad ejus determinatas neceſſitates relevandas; aliàs de alieno diſponeret, & particeps, vel cauſa eſſet proprietatis, qua Frater contra Regulam delinqueret. Utinam eleemoſynæ à Fratribus aliquo titulo acquiſitæ Syndico tribuerentur incorporatæ cum aliis; tunc enim ex communi maſſa poſſet faciliùs neceſſitatibus Fratrum provideri, & tot tranſgreſſiones tollerentur.

Partes itaque Superioris sunt, Syndico neceſſitates Fratrum insinuare, & eum rogare, ut illis providat; vel, recurrere ad Amicos ſpirituales, ut dicam *conſil. ſequen.* nec ad aliud pſius facultas extenditur.

Sed quid, *ſi quis, ſibi reſervato dominio, ſpontè deponat apud Sydicum non velut Syndicum, ſed tamquam uum Subſtitutum, vel Depoſitarium ſummam pecuniæ expendendam in neceſſitates talis Fratris; eique ſignifi-*

 cet:

tet: tradidi Syndico centum aureos, ut illis tuis neceſſitatibus provideas?

46. R. In caſu Frater non poteſt conſentire in depoſitum; & debet proteſtari, ac informare Syndicum ſe non poſſe in pecunias depoſitas conſentire; ad quas ſic depoſitas recurrere nequit, niſi, poſitâ verâ neceſſitate, & accedente licentia Superioris.

47. Tandem idem Innocentius *cit. conſit.* hæc habet. *Ut omnis occaſio tranſgrediendi præceptum de non contrectandis denariis ſeù pecuniis auferatur, omnibus, & ſinguli dicti Ordinis Prælatis, ſivè Superioribus in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub pœna privationis ſuorum officiorum injungimus, ut nulli Religioſo ejuſdem Ordinis permittant adminiſtrationem fundorum, reddittuum, aut quarumcumque aliarum rerum, & bonorum mobilium, vel immobilium, cujuſcumque domini illa ſint; & ſignantèr, ut nulli Religioſorum Ordinis hujuſmodi permittatur adminiſtratio bonorum temporalium alicujus Monaſterii Monialium ſub quovis prætextu, aut nomine, nempè Adminiſtratoris, Syndici, Factoris, Coloni, Superintendentis, Villici, aut alioquovis imaginabili.*

48. Quæritur. *An Frater Minor peccet deſiderando pecuniam?* R. Af-

R. Affirmativè, ex notiſſima regula, quòd non licet deſiderare, quod non licet habere. Lege adnotata *num.6.*

CONSILIUM IV.

An Fratribus liceat recurrere ad Amicos ſpirituales?

SUMMARIUM.

1 *Sub neceſſitatibus infirmorum, &c. comprehenduntur aliæ neceſsitates pro recurſu ad Amicos ſpirituales.*

2 *Recurſus quid importet? ad 9.*

10 *Amicus ſpiritualis differt ab interpoſita perſona, ad 12.*

13 *Neceſsitas requiſita ad recurſum non debet eſſe ſtrictiſsima.*

14 *Status Fratrum Minorum eſt ſtatus pauperum, & humilium: ubi agitur de* ſuperfluo, curioſo, *&* pretioſo.

15 *Neceſsitas non eſt conſideranda aſperè.*

16 *Neceſsitas alia* ſimplicitèr, *alia* ſecundum quid.

17 *Itèm, alia* perſonalis, *& alia* ſtatus.

18 *Poteſt recurri pro carnibus, ad 20.*

21 *In neceſsitate datur latitudo, ad 22.*

23 *Neceſsitas, alia* corporalis, *alia* ſpiritualis.

24 *Recurri poteſt pro ſpectantibus ad divinum cultum.*
25 *Conditiones neceſſariæ pro legitimo recurſu: ubi de neceſsitate præſenti, præterita, imminenti, & futura, ad 31.*
32 *Quando eleemoſynæ dicantur ceſſare?*
33 *Quando res dicatur commodè mendicabilis? ad 34.*
35 *An neceſsitas debeat eſſe determinata?*
36 *De praxi ſervanda cum Amicis ſpiritualibus, vel eorum Subſtitutis, ad 43.*
44 *Quæ Fratribus recurrentibus ſint prohibita? ad 47.*
48 *De perſonis, quæ poſsint, & debeant recurrere? ad 53.*
54 *Quinam debeant in Superiores eligi?*
55 *An Fratres particulares poſsint, negligentibus Prælatis, recurrere?*
56 *Alia ſcitu digna, ad finem.*

SAnctus Franciſcus ſpecialem modũ providendi neceſſitatibus Fratrum diſpoſuit in *cap.4. Regulæ,* recurſum nimirum ad Amicos ſpirituales, cùm nimirum aliæ ceſſant eleemoſynæ, vel res in propria ſpecie mendicari non poſſunt, ibi: *Pro neceſsitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis per Amicos ſpirituales, &c.* eo

&c. eo ſemper ſalvo, ut ſicut dictum eſt, denarios, vel (hoc eſt) *pecuniam non recipiant.*

1. Verùm, licèt S. Pater duas tantùm neceſsitates ſpecificet, pro quibus poſsit fieri recurſus, tamen ſub illis comprehenduntur omnes aliæ neceſſitates Fratrum: ibi enim non loquitur excluſivè; & declaratur in *Clementina Exivi de verb. ſignif.* §. *Cùm etiam*, ibi: *Cùm etiam recurſus ad Amicos ſpirituales expreſsè tantùm in duobus caſibus ſecundùm Regulam concedatur, videlicet: pro neceſsitatibus infirmorum, & Fratribus induendis: idque piè, & rationabilitèr, conſiderata neceſsitate vitæ, ad alias neceſsitates Fratr. pro tẽpore occurrentes, ceſſantibus eleemoſynis, ſeù etiam ingruentes, ſæpè dictus prædeceſſor noſter* (Nicol. III. *cap. Exiit* §. *Cæterùm*) *duxerit extendendum: attendant Fratres præfati, quòd pro nullis cauſis aliis, quàm prædictis* (à Nicolao expreſſis) *vel ſimilibus, in via, vel alibi recurrere licet eis ad Amicos hujuſmodi, ſivè ſint dantes pecunias, ſivè deputati per ipſos, ſivè nuntii, vel depoſitarii, ſeù alio quovis nomine appellentur.* Solùm itaque Regula illas duas expreſſit, ut ſignificaret, non niſi pro vera neceſſitate noſtro ſtatuti decente, poſſe procurari, vel recurri ad Amicum ſpiritua-

ritualem, ut pecuniâ illis ſubveniat.

2. Cœterùm recurſus in caſu impropriè videtur appellari recurſus ad pecuniam, vel procuratio pecuniæ. Quoniam hæ phraſes, proùt ſonant, ſignificant aliquem affectum, & intentionem in Fratribus ad pecuniam, quæ ab illis debet abeſſe, cum ſit eis prohibita, juxta Regulam generalem: non licet deſiderare, quod non licet habere, ut dictum eſt *conſil. priori nu.*48. Ideò S.Pater in expreſſione recurſus non caſu abſtinuit ab appellatione pecuniæ, ut hac paritèr forma ſignificaret omnimodam elongationem à pecunia debere eſſe in Fratribus.

3. Hinc recurſus prætactus aptiſſimis terminis dicitur: *procuratio actualis congruæ ſolutionis: vel emptionis rei neceſſariæ per Amicos ſpirituales*: Ipſa verò actualis procuratio eſt neceſſaria ad recurſum: cum Regula dicat, *Miniſtri, & Cuſtodes ſollicitam curam gerant*.

8. Neceſſe item eſt, ut procuretur, vel ſolutio rei jàm ab aliquo habitæ, vel emptio rei habendæ. In quo recurſus diſtinguitur à mendicatione, vel procuratione rei in propria ſpecie, eſtò res illa aliàs ematur, vel pro ea pecunia à benefactore ſolvatur.

5. Hinc Frattes mendicantes panem, vinum, & ſimile ſibi ad uſum opportunum, recurſum juxtà Regulam non dicuntur habere ad Amicos ſpirituales, quamvis donantes emant, vel eos ad vendentes mittant, ſed puram mendicationem circa Benefactores, & devotos exercent.

6. Paritèr, cùm vir aliquis dicit Fratribus, ut in macello pro aureo carnes ſumant: hæc eſt ſimplex oblatio, ſi Fratres non petierint: vel, pura mendicatio, ſi rem in ſpecie poſtulaverint. etſi contingat illam emi. Nec debent Fratres ſibi formare ſcrupulum, quaſi pecuniam recipiant. Aliud enim eſt valorem unius aurei in aliqua ſpecie acceptare, & aliud aureum recipere.

7. Sic, licèt in recurſu interveniat pecunia, Frater tamen nec pecuniam, neque ſolutionem attingit, ſed in ſua procuratione facit ſolùm cum Amico ſpirituali, ut ſolvat,& ſolutione de tali re provideat.

8. Quocircà formula recurſus ad Dantem pecuniam erit: *Placet ne, proùt rogo, per eleemoſynam pecuniariam talibus noſtris neceſſitatibus ſubvenire?*

9. Ad Depoſitarium, vel Subſtitutum: *Rogo, ut de depoſita eleemoſyna apud te, velis talibus neceſsitatibus Fratrum providere.*

10. Amicus verò ſpiritualis toto genere differt à perſona interpoſita, perquam Fratres recipere pecunias prohibentur. Hæc enim illa eſt, quæ nomine Fratrum recipit pecunias eorum auctoritate expendendas. Amicus verò ſpiritualis nullatenus nomine Fratrum pecunias recipit, vel ipſorum auctoritate expendit: & is eſt, *qui ex amore Dei, vel devotione ad Ordinem, ſpontè, vel rogatus dat pecuniam ad ſatisfaciendum neceſsitatibus Fratrum; & ſivè per ſe ipſum, ſivè per Subſtitutum, aut Depoſitarium expendit*; & cùm Subſtituti, vel Depoſitarii eas expendunt non auctoritate Fratrum id agunt, ſed Dantis; qui etiam, intelligi quodam modo poſſunt nomine Amici ſpiritualis, ſaltem repræſentativè, quatenus repræſentant Dantem, qui verè eſt Amicus ſpiritualis.

11. Ideò verò à S. Patre vocatur Amicus ſpiritualis, ut excludatur omnimoda ratio debiti, ſic, ut nullatenus, qui pecuniam pro neceſſitatibus Fratrum donat, vel expendit, debitor dici debeat;

& apud

& apud quem ſemper remaneat dominium pecuniæ, donec, vel ab ipſo Dante, vel ab ejus Subſtituto ſit converſa in Fratrum neceſſitates.

12. Neque eſt excitanda quæſtio de voce. Etenim ſi illud *nomine Fratrum* intelligatur accomodè, & ſano modo, hoc eſt, quòd pecuniæ in neceſſitates Fratrum ſint expendendæ, dici poteſt pecunia nomine Fratrum recipi, & expendi; ſicut in hoc ſenſu dici poſſunt pecuniæ Fratrum, & Conventus; ſed hæc eſt impropria locutio, & non eſt ipſas pecunias propriè, & in rigore eſſe Fratrum, ſed ſolùm pro neceſſitatibus Fratrum à perſona idonea erogari.

§. I.

De qualitate neceſsitatis ad legitimum recurſum requiſitæ.

Cum recurſus legitimus non ſubſiſtat, nec concedatur, niſi pro neceſſitatibus, ut Regula exprimit, & declarationes Pontificum declarant, videndum eſt de natura neceſsitatis ad id requiſitæ.

13. Hoc eſt certum neceſsitatem, propter

pter quam conceditur recurſus ad Amicos ſpirituales, non debere eſſe *ſtrictiſſimam*, quæ in rigore vocabuli dicitur, illa, quæ eſt proxima morti, adeòut, ſi non provideatur res ità neceſſaria, mors probabilitèr immineat; quæ ab aliis dicitur *neceſſitas extrema, & naturæ, ſeù jure poli*, ut ait Nicolaus in *cap. Exiit §. Et quidem*. Sed requiritur, & ſufficit, ut res ſit accomodè neceſſaria, & conveniens noſtro ſtatuí ad eos uſus rerum, quæ nobis ſunt licitæ ex Regula, quibus Fratres, vel Ordo carere non poteſt ſinè aliquo detrimento boni ſpiritualis, vel temporalis, proùt Regula ſignificat illis verbis: *proùt neceſſitati viderint expedire*.

14. Res itaquè neceſſaria debet eſſe conveniens ſtatui Fratrum: cùm autem ſtatus ipſorum ſit pauperum, & humilium, ut in *d. Clementina §. Hinc eſt*: ibi: *Vir Sanctus Fratres ſuos in paupertate ſumma, ac humilitate fundare voluerit*, non licèt ad Amicos recurrere pro rebus ad uſus ſuperfluos, curioſos, & pretioſos, neque ad relaxationem Obſervantiæ regularis.

Superfluum in caſu illud eſt, quo ſublato, reliquum commodè ſufficit; ità,

ità, ſi unum ſufficiat, alterum erit ſuperfluum per dicta *conſil. præter:num.*21.

Curioſum eſt, quod fit ad delectationem ſenſuum, ut ſunt picturæ, & cælaturæ in ædificiis: regularitèr enim hæc ſufficiunt ſinè talibus curioſitatibus.

Pretioſum verò eſt, quod valorem continet excedentem conditionem noſtri ſtatus; ſic, ſi ſufficiat Crux ænea, non eſt quærenda argentea, ibi.

Quapropter neceſſitas rei, vel recurſus debet eſſe cum proportione ad ſtatum noſtræ Religionis; quæ eſt ſtatus paupertatis, & humilitatis. Propter quod evenit, quòd uſus rerum, qui reſpectu aliarum Religionum eſt moderatus, ſeù licitus, noſtræ ſit ſuperfluus, & pretioſus, ut ſcribit Corduba in *cap.*4.*Regul.q.*7. §. *Notandum ad debitæ*.

15. Verùm neceſſitas non eſt conſideranda aſperè, & ſcrupulosè ex natura rei ſimplicitèr; ſed magis ex circumſtantiis, quæ neceſſitatem regularitèr inducere ſolent, ut ſunt perſona, locus, tempus, & actiones, ſeù occupationes. Quæ prudenti judicio Prælati relinquuntur expendendæ, ut hìc, & nunc de vera neceſſitate judicet, juxtà ea, quæ habentur

in

in *d. cap. Exiit* §. *Hoc autem*, ubi menſura neceſſitatis exponitur, nec reſtringitur; & diſpoſitio habetur, ut infrà: *interdum perſonarum qualitas, temporum neceſſitas, locorum, conditio, & nonnullæ aliæ circumſtantiæ plus, minuſvè, ac alitèr provideri requirant.*

16. Hìc eſt advertendum. I. Quòd duplex genus neceſſitatis admittitur. Una eſt *abſoluta, & ſimplicitèr, ſeù natnræ*: quo titulo eſt homini neceſſarius ad vitam victus, neceſſarium eſt veſtimentum. Alia dicitur, *ſecundum quid, ſeù ex ſuppoſitione*: qua ratione ſunt pro ſtudio in Religone, tùm Lectoribus, tùm Concionatoribus, & Confeſſariis neceſſarii libri; & inſtrumenta neceſſaria ſunt ad colendos hortos pro hortalitiis ad uſus Fratrum, proùt generalitèr loquitur ibi Nicolaus §. *Inſuper nec utenſilia*, declarans hæc neceſſaria, juxta gradum, & modum neceſſitatis, ut dictum eſt *num. priori*.

17. II. Notetur, quòd neceſſitas, ex parte ſubjecti eſt itidem duplex; *perſonalis* una: cùm res procuranda alicui perſonæ in individuo eſt neceſſaria: ut, ſi egeat ſandaliis, vel, quia debilis, meliori cibo &c. Alia *ſtatus, ſeù Communitatis*: quando

do nimirum, eſtò uni, vel alteri in particulari res procuranda non ſit neceſſaria, eſt tamen neceſſaria ad Communitatem conſervandam: v.g. vinum, & carnes, & ſi non ſint neceſſaria uni, vel alteri Fratri (qui leguminibus veſci, vel aquam bibere poſſunt) neceſſaria tamen ſunt Familiæ, in qua ſunt multi infirmi, imbecillis, & debilioris complexionis; qui ſimilibus auſteritatibus propterea vivere nequeunt.

Dices. Ergò licitus eſt recurſus ad Amicos ſpirituales pro carnibus, leguminibus omiſſis?

18. R. Conceditur conſequentia. Quamvis enim ſit perfectionis, omiſsâ re cariori, eligere viliorem, tamen, ubi uſus rei non ſit Fratribus interdictus, ſuppoſitâ vera neceſſitate recurrendi, licebit recurrere. Uſus autem carnium non eſt Fratribus interdictus, nec per Declarationes Pontificum modificatus. Propter quòd non poteſt recurri pro pretioſo panno, relicto vili, quia uſus panni pretioſi interdictus eſt in *cap. 2. Regulæ: Et Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur*.

19. Ità non licebit recurrere ad delicata cibaria, ad vinum pretioſum, & ea, quæ deli-

delicias,& immoderantiam ſapiant, quoniam uſus ſuperfluus, & immoderatus eſt Fratribus interdictus, ut habetur, tùm ex Nicolao §. *Nec per hoc*, ubi ait, *uſum rerum neceſſariarum debere eſſe moderatum*. Tùm ex intentione S. Franciſci, qui in *d. cap. Regulæ* vetat, nè Fratres judicent eos, quos viderint *uti cibis, & potibus delicatis*. Immoderatus autem non reputatur uſus carnium, quæ ſunt, etiam cibus uſualis, & communis in Familiis mediocris conditionis.

Inſtant. Eſtò ſit vera neceſſitas victus, aut potus, non eſt tamen neceſſitas cibi, aut potus carioris, cùm per viliorem poſſit ſufficientèr neceſſitati ſatisfieri.

20. R. Quòd, ſicut duplex eſt neceſſitas, *ſtricta* videlicet,& *accommoda*, ità duplicitèr poſſunt Fratres neceſſitati ſatisfacere, *ſtrictè* nimirum, & *accommodè*: v.g. poſſunt Fratres neceſſitati victus ſtrictè per legumina,olera,& aquam ſatisfacere; verùm, quia ex Regula Fratres non tenentur attendere rigoroſiſſimam neceſſitatem; quinimò juxtà illud in *c.3.Regulæ, de omuibus cibis*(extrà tempora prohibita) *qui apponuntur, liceat manducare*, eis liber-

tas

tas eſt facta, ut regularitèr carnibus, & vino uſualibus utantur; at poſſunt etiam neceſſitati victus, aut potus accommodè ſatisfacere aliquãdo per cibum prꝫſtantiorem; dummodò ſe contineant intrà terminos uſus rerum ex Regula prꝫſcriptos.

21. Hæc omnia conſtat eſſe conſona ſenſui litterali Regulæ juxtà intentionem S. Patris. Hic enim cum *d. cap.*4 injunxiſſet *Miniſtris, & Cuſtodibus, ut ſollicitam curam gererent pro neceſſitatibus infirmorum, per Amicos ſpirituales*, addidit, *proùt neceſſitati viderint expedire*. Quæ adjecta ſunt, ne quis in rigore neceſſitatis hallucinaretur, & ſcrupuloſius ageret; ſed potius colligeret aliquam latitudinem reperiri in ratione neceſſitatis. Ideò neceſſitati, etiam veræ non eſt ſemper eodem rigore ſatifaciendum, ſed ſicuti Miniſtri recurrentes prudentèr judicaverint expedire. Hinc etſi rigor in procuranda re neceſſaria ex ſe ſemper ſit ſanctus, non expedit tamen ſemper ſummum rigorem ſequi; & poteſt aptari illud, *ſummum jus, ſumma injuria*.

22. Neque nos nova tradimus, &, quæ relaxationem inducant. Verùm, & ſecundùm ſenſum Regulæ,& Declarationes

nes Pontificum procedimus, ac inhærentes doctrinæ quidem in praxi tutæ. Nàm Gilbertus Nicolai (aliàs dictus Gabriel de *Ave Maria*, ex quo Salutationem Angelicam aſſiduè recitaret) vir ſingularis doctrinæ, & ſanctitatis, ut refertur in *Menologio Franciſcano ſub.* 22. *Auguſti*: in libro, quem *de decem plagis Fratr. Minor.* inſcripſit, *cap.* 4. *de plaga denariorum*, habet. *Præterea notandum, quòd neceſſitas in cibis Fratrum Minorum numquàm fuit apud benè ſentientes, & Regulam ad intentionem S. Franciſci capientes, obligatoriè modificata: nàm de omnibus cibis intus, & foris liceat Fratribus manducare, &c. Undè credo (ſecluſo tamen ſemper ſcandalo) quòd ſinè peccato (quamvis non cnm tanto exemplo, & merito) ità liceat recurrere ad Amicos ſpirituales pro gallina, ſicut pro lardo. Patet, quia neceſſitas in habendo, quid manducemus, non eſt qualificata, vel modificata, ſcilicet, quòd tantùm debeamus tali, & tali, & non tali cibo uti.* Hæc ille, quamvis à Corduba *loc. cit.* §. *Item*, non recipiatur. Qui tamen ex rationabili cauſa non negat, poſſe Fratres recurrere ad Amicos ſpirituales, etiam pro gallinis: quas paritèr devotè oblatas, inquit, licitè Fratres poſſunt, etiam ſinè cauſa comedere,

dere, eſtò carnes communes, & uſuales ſufficientèr habeant.

23. III. Duplex pariter conſideratur neceſſitas ex parte objecti, propter quam licitus admittitur recurſus: una *corporalis*; quæ principalitèr reſpicit tria: *alimentum*, *veſtimentum*, & *domum*. Alia *ſpiritualis*, ut, cùm res procuranda reputatur neceſſaria ad aliquod bonum ſpirituale promovendum, vel faciendum.

Utraque colligitur ex *d. cap. Exiit* §. *Articulum iſtum*, in quo pro neceſsitatibus pro tempore occurrentibus recurſus conceditur; quæ neceſsitates quidem complectuntur neceſſaria ad cibum, veſtimentum, & habitationem, proùt de iſta expreſsè loquitur §. *Et quia oportet*, ibi: *ut in ædificiis ad uſum habitationis ipſorum conſtruendis*.

Spiritualis itidem §. proximè allegato habetur per hæc: *ut in libris ſcribendis*, *Eccleſiis conſtruendis*, *&* *libris in locis remotis emendis*.

24. De unaquaque dixit Gloſs. in alleg. *Clementina verb. in ſimilibus*, quòd in iis, quæ neceſſaria ſunt ad victum, veſtitum, divinum cultum, & ſpirituale ſtudium conceſſus eſt Fratribus uſus neceſ-

ſariarum rerum: & hæc cauſæ videntur generalitèr comprehendere omnes neceſsitates. Conſtat autem Eccleſias ad divinum cultum, libros ad bonum ſpirituale procurandum ordinari, pro quibus poſſunt Fratres ad Amicos ſpirituales recurrere. Vide infr. *tit. 3. conſil.* 1. §. 5.

25. IV. Conſiderandum eſt plures conditiones requiri ad legitimandum recurſum ad Amicos ſpirituales.

Prima eſt, ut neceſsitas ſit vera, non ficta, & arbitraria: quia neceſsitas ficta, vera neceſsitas nullatenus eſt.

Secunda, ut neceſsitas ſit præſens, præterita, vel imminens. ſeù de propinquo, non verò futura, aut de poſsibili, ex *d. cap. Exiit d.* §. *Et quia oportet*.

26. Neceſsitas *præſens*, eſt rei indigentia de præſenti, pro qua non datur locus expectationi, ut ibi §. *Articulum iſtum*, ibi: *pro neceſſitatibus, quæ pro tempore occurrerint*.

27. Neceſsitas *præterita* dicitur, quando procuranda eſt ſolutio pro rebus jàm adeptis; vel, ſolvendum eſt pro ædificiis jàm conſtructis, vel ſatisfaciendum eſt pro pannis, jàm de præterito ab aliquo Devoto emptis.

28. Ne-

28. Neceſsitas *imminens*, eſt, vel, quæ jam de propinquo apparet, & quaſi incipit eſſe, ſi non ex toto, tamen ſecundùm ſui partem; ut ſi incipiat murus cadere, aut ruinam minetur: vel, brevi prævidetur certitudinalitèr eventura; præſertim, ſi proviſio requirat temporis tractum: & exemplificat Nicolaus *alleg.* §. *Si ſint ſcribendi libri, Conventus, & Eccleſiæ ædificandæ, panni in locis remotis emendi, & ſimilia.*

29. Neceſsitas verò *tantùm futura* (pro qua per Nicolaum §. *Inſuper* proviſio eſt Fratribus prohibita ibi, *ſub colore providentiæ in futurum*) ea dicitur, quæ *in ſuo eventu, vel certitudinem non habet, ſed poteſt æquè benè contingere, vel non contigere*; ut, ſi quis recurreret ad Amicos ſpirituales, quia fortè infirmabitur, aut, quia caritas rerum, vel bella timerentur; quæ ſunt vana quorumdam effugia, qui irregulari timore egeſtatis extimulati ſemper theſaurizāt, & ad copiam plura reponunt contrà ſtatum Seraphicæ profeſsionis. Vel, certitudinem non habent indigentiæ, niſi poſt multum temporis, cui tamen provideri poteſt in inſtanti, quando evenit, aut brevi ſaltèm tempore. Ità peccat, qui hoc anno procurat deponi pecuniam, ut in

anno ſequenti emi poſſit cibus pro Fratribus; & regularitèr peccat paritèr procurans, ut pecunia deponatur pro re neceſſaria, quæ tractum temporis annexum non habet, ſed breviſsimo tempore poteſt ordinaria mendicatione conquiri.

30. Hinc ſciendum, recurſum pro futura neceſsitate à Regula expreſsè Fratribus prohiberi, eo ipſo præcepto, quo præcipit, ut pro neceſsitate recurrant. Nàm neceſsitas, quæ tantùm eſt futura, non eſt vera neceſsitas, ſed tantùm, aut ſub incerto erit, aut eſt ſolùm poſsibilis.

31. Tertia conditio eſt, ut tempore, quo recurritur, ceſſent eleemoſynæ, *de quibus ſatisfieri commodè tunc poſſet*: ut inquit Nicolaus ubi ſupra *cit.* §. *Articulum iſtum*.

32. Dicuntur autem eleemoſynæ ceſſare, de quibus commodè ſolutio fieri poſſet.

I. Quando de facto nullæ ſunt.

II. Quando eſtò ſint, ſunt tamen determinatæ pro aliis certis neceſsitatibus, & uſibus.

III. Quando, tametſi eleemoſynæ ſint depoſitæ pro neceſsitatibus indifferentibus, adhuc tamen aliæ neceſsitates præ-

premunt, quibus providendum eſt.

33. Quarta conditio, ut res procuranda non ſit commodè per humilem, & verecundam quæſtuationem mendicabilis. De illa verò re verificatur, quòd ſit commodè mendicabilis, quæ non multis diſcurſibus, non extraordinaria vagatione, non longa abſentia Fratrum, non impedimento melioris boni, & ſinè ſocietate notabili cum ſæcularibus acquiri poteſt. Attendere Fratres debent, *nè ſpiritum devotionis, & ſanctæ orationis exercitium extinguant*: Sanctus enim Franciſcus in *cap.5. Regulæ* commendat hujuſmodi ſpiritum, *cui debent cætera temporalia deſervire*. Conſtat autem conquiſitionem temporalium per inſolitas diſtractiones, & diſcurſus ſpiritum devotionis excludere omninò, vel minuere.

34. Quod dictum eſt de commoda mendicatione, procedit quoque de eo, quod habetur per oblationem liberalem, vel per laboritium commodè haberi poteſt. Quoniam ubi illi modi præſtò ſunt, neceſsitas deeſt, quæ juſtificet recurſum.

Quocircà neceſsitas, quæ, recenſitis conditionibus, non eſt qualificata, ſatis non eſt ad licitum recurſum ſecun-

dùm Regulam, & Declarationes Pontificum.

Quæritur. *An neceſſitas debeat eſſe determinata?*

35. R. Affirmativè. Etenim non dicitur Frater Minor neceſsitatem habere, niſi quia in ſingulari indigeat panno, cibo, pharmacis, &c. Verùm, ſi plures eſſent neceſſitates, ut, quia Conventus eget reſtauratione ædificiorum, tela, panno, vino, & ſimilibus, non eſt neceſſe, quòd Frater recurrens ſe determinet ad hanc, vel illam neceſſitatem, ſed ſatis eſt, ut Amicum ſpiritualem roget, quòd velit in genere neceſſitatibus Conventus eleemoſynis pecuniariis providere. Eſtque advertendum, quòd ubi Nicolaus III. eleemoſynas pro ſimilibus neceſſitatibus appellat *indifferentes*, non eſt ſenſus, quòd ſint indifferentèr depoſitæ ad neceſſitatem, vel non neceſſitatem, ſed quod ſint depoſitæ ad plures neceſſitates tunc inſtantes.

§. II.

§. II.

Quomodo Fratres debeant ſe gerere cum Amicis ſpiritualibus, vel eorum Depoſitariis, & Subſtitutis?

36 Praxis in hac re tenenda præfinitur à Nicolao III. *d. cap.* §. *Articulum iſtum*.

37. Primò itaque relinquendum eſt libertati ejus, à quo eleemoſyna procuratur, ut per ſe ipſum neceſſitati in totum, vel in partem provideat, proùt ei Dominus inſpiraverit §. *Quo caſu*.

38. Secundò, quòd ſi ipſe nolit, vel non poſſit per ſe ipſum rem neceſſariam providere, debeat alteri committere. Verùm, ſi ipſe notitiam de aliquo non habeat, qui poſſit ea in re ſe fidelitèr gerere, poſſunt Fratres eidem alicujus, vel aliquorum notitiam dare, vel etiam præſentare, cui, vel quibus poſsit ipſe cum pecunia committere executionem providendi neceſsitatibus §. *Si tamen*.

39. Tertiò. Si perſona à Fratribus nominata, vel non nominata impediretur, vel infirmitate, aut locorum diſtan-

tia, in quibus eſſet ſolutio rei neceſſariæ facienda, & ad quæ non poſſet accedere, neque poſsent Fratres ad Dantē recurſum habere, tunc tutâ conſcientiâ valerent Fratres perſonæ ſubſtitutæ aliam perſonam nominare, quæ intentionem dantis exequeretur §. *Si verò*.

40. Quartò. Si propter locorum diſtantiam, in quibus eſſet ſatisfactio facienda, vel, quia res procuranda habet tractum ſucceſsivum, nec poteſt brevi expediri, adeòut opus ſit, quòd pecunia per diverſas manus tranſeat; nec, vel ipſe Dans, aut ab eo Subſtitutus, vel alius à Subſtituto ſubrogatus poſsint ſe ad ea loca conferre, licet Fratribus alium, vel alios nominare, & præſentare, qui miniſterium neceſsitatis impleant §. *Si tamen, & ſequen.* Verùm in caſibus recenſitis Fratres debent Amico pręſentare Syndicum ex dicendis *tit.*4.

41. Quintò. Si priuſquàm pecunia conceſſa ab Amico ſpirituali cum expreſsione, ut eam Depoſitarius in uſum neceſſarium Fratrum expenderet, Dans ipſe mori contigerit, poſſunt Fratres ejus morte, vel hæredis contradictione non obſtante, ad Depoſitarium recurrere

pro

pro pecunia expendenda, ſicut poterant ad ipſum concedentem §. *In eo verò*: in quo caſu, vel Pontifex, ut Pater communis aſſumit ſibi illius pecuniæ dominium: vel in Depoſitarii dominium ex præſumpta voluntate concedentis tranſit, adeòut ad hæredes nullatènus perveniat.

42. Sextò. Poſsunt Fratres rogare Dantem, ut ſi ſuperſit aliquid pecuniæ conceſſæ pro determinata neceſsitate, iſtius proviſione ſecuta, conſentiat, quòd reſiduum pro aliis veris neceſsitatibus erogetur. Quòd ſi ipſe renuat, eſt reſiduum illi à Depoſitario reſtituendum. §. *Quia verò*.

43. Cœterùm §. *Autem*, & *quia* declaratur, quòd quando pecunia, vel Fratribus ipſis mittitur, vel offertur (niſi à mittente, vel offerente apertè aliud exprimatur) prædicto modo oblata, & miſſa intelligitur. *Cùm veriſimile non ſit, aliquem eleemoſynæ ſuæ ſinè expreſſione modum illum præfigere, per quem, & dans merito, vel illi, quorum neceſsitatibus intendit per modum hujuſmodi provideri, vel effectu doni, vel ſuæ conſcientiæ puritate fraudentur*. In caſu namquè id fit de interpretativa voluntate donantis; ſed advertendum eſt, quòd

textus

textus ibi loquitur de reſiduo pecuniæ datæ pro determinata neceſſitate. Ideò pecunia ex integro pro una determinata neceſsitate conceſſa, vel oblata, in alias neceſsitates converti non poteſt, juxta decreta Sac. Congreg. ab Urbano VIII. præpoſita negotiis Fratr. Minor. de Obſerv. ut *tit. ſequent. conſil.* 1.§.2.*num.*9. *ad* 3.

44. Nonnulla circà eleemoſynas per recurſum quæſitas ſunt Fratribus ſcitu neceſſaria, quæ ſinè culpa ignorare non poſſunt, cùm teneantur noſſe., quæ Regula præſcribit, & dictæ Declarationes diſponunt pertinentia ad eorum ſtatum.

Hinc advertant. I. Quòd dominium, & proprietas pecuniæ remanet penès ipſum Dantem: cum libera facultate revocandi illam, donec convertatur in rem deputatam; quod eidem Depoſitario, vel Syndico ſignificare tenentur §. *Quod, ſi præſtò*.

45. II. Quòd Fratres nihil juris in pecunia per diſpenſationem, adminiſtrationem, vel auctoritativè prætendere poſſunt: ibi.

46. III. Quòd nullam actionem ſivè in judicio, ſivè extrà poſſunt exercere contra perſonam à Dante ſubſtitutam, ſivè eam

eam ipſi nominaverint, ſivè non nominaverint. Quibus conceditur dumtaxat, ut ei poſsint ſuas neceſsitates ſignificare, & humilitèr rogare, ut ſolvat, eamque monere, ut fidelitèr in re commiſſa ſe habeat, *ibi*: Videant igitur Fratres, qui pecunias depoſitas, vel legatas in judicio repetunt, aut Judices ad repetendas incitant, in eo enim peccant contra Regulam; illud enim ſpectat ad Syndicos Apoſtolicos ex dicendis *loc. cit.*

47. IV. Non poſſunt ſcientèr conſentire, quòd plus pecuniæ ab Amico, Subſtituto, vel Depoſitario, aut Syndico concedatur, quàm veriſimilitèr judicetur valitura res neceſſaria, pro qua ipſa pecunia conceditur §. *Caveant*.

§. III.

De perſonis, quæ poſſunt recurrere:

48 EX vi Regulæ ſoli Miniſtri, & Cuſtodes poſſunt, imò tenentur procurare ab Amicis ſpiritualibus per pecuniam, congruam neceſsitatum ſolutionem. Nàm textus ait: *Miniſtri tantùm, & Cuſtodes.* Quod etiam notatum eſt à Nicolao

colao III. in *d. cap.* §. *Licet autem*, ibi: *Et dictio illa tantùm, adeò Miniſtros, & Cuſtodes in hac cura perſtringere videatur*.

49. Appellatione verò Cuſtodum non veniunt illi, qui nunc cum quatuor Definitoribus, & Miniſtro Provinciali integrant Magiſtratum Provinciæ, ſed illi, qui plures Conventus, adhuc in Provincia non erectos, gubernant: cujus generis tempore S.P. Franciſci nonnulli inveniebantur, qui erant Cuſtodiarum Prælati.

50. Minùs tamen principalitèr, & ex ſenſu ampliato Regulæ juxtà S. Patris mentem, etiam Guardiani ex vi officii, & cura Guardianatus tenentur providere neceſsitatibus corporalibus Fratrum, & infirmorum; ſtatim enim ac inſtituuntur Guardiani, eis ex vi electionis tacitè, & generali commiſsione illud committitur. Concurrente, etiam jure naturali, & divino, quo incumbit Superioribus proviſio de neceſſariis ſuorum ſubditorum, tamquam filiorum indigentium. Idem dicitur quo ad Vicarios Conventuum, maximè abſentibus Guardianis, Corduba *cit. q.6.*

51. Quinimò, ſi nomen Cuſtodis comprehendat, etiam Guardianos, adeòut ſenſus

ſenſus ſit: *Miniſtri, & Cuſtodes, ſeù Guardiani*, ut eſt probabile; non tàm minus principalitèr, ſed æquè Guardianis id convenit, ac illis.

52. Poſſunt paritèr cœteri Fratres ſe intromittere in procuranda ab Amicis ſpiritualibus ſolutione rei neceſſariæ, ſed nonniſi de Miniſtrorum, Cuſtodum, vel Guardianorum conceſsione, ut ibi Nicolaus: *Concedimus, quòd ipſi Miniſtri, & Cuſtodes poſsint per alios* (Fratres) *hujuſmodi curæ ſollicitudinem exercere*.

53. Cavere tamen debent Superiores, nè particularibus Fratribus ſic indiſtinctè, & generalitèr concedant facultatem procurandi ſuas neceſsitates mediante pecunia, nè illis præbeant occaſionem proximam tranſgrediendi Regulam; quod facile poſſet accidere, ſecundùm Alvarum. Maximè, quia ad ſubditos non pertinet judicium de neceſsitate, ſed hoc ſpectat ad Prælatos, quibus propterea Regula commiſit recurſum ad Amicos pro neceſsitatibus. Cùm de eorum ſcientia, prudentia, & conſcientia magis ſit præſumendum.

54. Ideò Superiores Generales cavere debent, nè conſentiant, ut eligantur Mini-

Miniſtri Provinciales, & iſti, nè ad Guardianatus aſſumantur perſonæ, tùm ſecundùm mores, tùm ſecundum doctrinam incapaces ad regimen Provinciarum, & Conventus reſpectivè. Noverint proindè ſe eſſe rationem Deo reddituros, ſi ſecundùm privatas affectiones, non verò bonum publicum electiones promoveant: ſi non officiis, ſed perſonis provideant. Audiant hæc agentes, quid per Ezechielem *cap.34.* Deus dicat: *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonnè greges à Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis.* Et infr. *Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum.* Et indè ſatagant, ut ii eligantur, qui utiliores prudentèr judicantur regimini, & publico bono, juxta Trid. *ſeſſ.24.cap.1. de ref. & conſtit.Innoc.XI.Sollicitudo,* in qua quantùm ad electiones in Ordine Minor. de Obſer. utilitèr faciendas ſtatuit; *neminem poſſe eligi in Prælatum, ſivè Superiorem in Ordine prædicto, qui vitam communem obſervantiæ non ſequatur, hoc eſt, qui frequentèr equitet, ſeù infirmitatem, qua ab obligatione pedibus incedendi excuſetur, habeat: qui induſiis,*

ſiis, ſeù camiſiis, aut lineis utatur apud ſe, vel in lecto: qui calceatus incedat: qui jejunia Eccleſiæ, & Regulæ non obſervet: qui aliquando viſus ſit contrectare pecunias, niſi jdm per triennium ſaltem emendatus ſit: qui notabilitèr defectuoſus ſit in aſsiſtendo communitatibus Chori, Refectorii, & aliis, prout ſibi in Conſtitutionibus præſcribitur. Electioneſque factæ contra diſpoſitionem Conſtitutionis irritari debent à Superiore Generali, capta prius informatione extrajudiciali, & adhibito conſilio, & aſſenſu trium Fratrum, qui Miniſtri Provinciales, vel ſaltem Definitores Provinciæ ſint, vel fuerint: onerando eorum conſcientias, tàm, ſi expellatur idoneus, quàm ſi non aptus confirmetur. Ad praxim hæc deducantur.

Sed quid, ſi *Miniſtri, Cuſtodes, & Guardiani non provideant neceſsitatibus Fratrum?*

55. R. Si neceſsitates veræ ſint, & negligentia Prælatorum fuerit notabilis, poſſunt Fratres ſinè peccato ſuis neceſsitatibus providere per recurſum ad Amicos ſpirituales; dummodò tamen ſervent modificationes per Declarationes Pontificum præfinitas: Neceſsitas enim caret lege.

lege. Verùm ſubditi debent cavere, nè ſecundùm affectionem commodi judicent; nec facilè ſibì ipſis credere debent, quia regularitèr quis in re propria cæcutit; ideò recurrere debent ad judicium Superiorum, & aliorum prudentum expertorum, quibus ſtare debent, & ſecundùm eorum conſilium operari. Quinimò numquàm debent recurrere ad Amicos ſpirituales, ut iſti pecuniâ neceſsitatibus provideant, niſi requiſitâ Superiorum licentiâ; licèt poſſet in aliquo caſu ſufficere præſumpta.

56. Ut itaque hallucinationes circà neceſsitates à ſubditis removeantur, debent Viſitatores Conventuum diligentèr inquirere, an Superiores locales negligentes, & difficiles fuerint in providendis ſubditis de realibus neceſsitatibus. Ac ubi eos invenerint notabilitèr defeciſſe, remediis juris utantur; eos etiam ſuſpendendo ab officio, ut cœteri eorum exemplo proprio muneri ſatisfacientes à ſimili pęna immunes ſe faciant, & obſervantiam Regulæ promoveant, non impediant.

57. Advertendum hìc ultimo eſt, quòd ſi eleemoſyna pecuniaria eſt determina-

minata,& à Dante arctata reſpectu unius Conventus, non poteſt, etiam à Fratribus,vel quovis Prælato alteri loco applicari ſinè expreſſa,vel interpretativa illius voluntate; quod ex *d. cap. Exiit*, patet §. *Quia verò*.

58. Cœterùm, ut eleemoſyna cenſeatur determinata ad hunc Conventum, non ſufficit, quòd à Fratribus talis Conventus petatur; ſed requiritur, quòd pro Fratribus talis Conventus donetur.

Non poteſt autem eleemoſyna indifferentèr oblata à Guardiano unius Conventus in utilitatem alterius Conventus dirigi,niſi de expreſſa,vel interpretativa voluntate Provincialis; nec à Provinciali in alterius Provinciæ commodum, niſi de ſimili voluntate Generalis ex *d. cap.* §. *Quia verò*, ut dictum eſt *tit. præced.*

59. Ità, ſi pecuniaria eleemoſyna ſit determinata reſpectu hujus uſus, non poteſt alteri neceſſitati applicari, niſi de voluntate Dantis ex *d. cap.* Et eſt textus expreſſus in *Clementina Quia contingit de Religioſ. domib.* & dicam *tit. ſequen.*

CONSILIUM V.

An Fratres Minores poſſint in itinere uti Burſario.

SUMMARIUM.

1 *Burſarius in ſenſu proprio idem eſt, ac interpoſita perſona.*

2 *An liceat Fratribus Minoribus uti Burſario, vel Amico ſpirituali in itinere?*

3 *Requiſita ad eum effectum.*

4 *Quinàm debeant accedere ad Capitulum Generale?*

5 *Fratres debent in vivendo ſe committere divinæ providentiæ.*

6 *In Tabernis frequentèr ſinè pecunia nihil habetur.*

7 *Cùm res commodè mendicari poteſt, ad Burſarium non recurritur.*

8 *Nullus actus ſapiens jus eſt cum eo exercendus?*

9 *Scandalum vitari debet.*

10 *Cavendum eſt, nè aliis Fratribus nocumentum inferatur.*

11 *Quinàm poſſint ad Burſarium recurrere?*

12 *Re-*

12 *Reſiduum pecuniæ eſt reddendum Donantibus.*

13 *Congruit, ut in itinere habeatur Tertiarius, qui ſit Subſtitutus Syndici Apoſtolici: & de forma habitus, quem debet geſtare.*

14 *Agitur de bonis Apoſtatarum, ad quem pertineant, ad 16.*

17 *Diſpenſationes contra puritatem Regulæ ab Ordine ſemper rejectæ.*

18 *Agitur de forma, qua expropriari debeant Fratres, ad 21.*

22 *Decretum præſcribens quomodo ſint diſtribuenda ſupellectilia Fratrum defunctorum.*

1 Bursarius in rigore verbi ille dicitur, qui nomine Fratrum burſam, & crumenam gerit, ac pecunias ipſorum auctoritate miniſtrat, & expendit: ſub hac ratione, cùm idem ſit, ac interpoſita perſona Fratrum, nequeunt ipſi, ſalva profeſſionis puritate, Burſarium in via, vel alibi habere, cùm ipſis à *Regula cap.* 4. prohibitum ſit denarios recipere per ſe, vel per interpoſitam perſonam. Et Nicolaus III. *cap. Exiit*, declaravit vetitam eſſe Fratribus admi-

niſtrationem, & pecuniarum diſpenſationem, ac ipſarum uſum, proùt ex §. *Nec per hoc*.

Excipitur caſus extremæ neceſſitatis, in quo alia via, quàm per receptionem pecuniæ non poſſunt haberi neceſſaria ſuſtentationi naturæ, ut ibi Nicolaus §. *Et quidem*.

2. Accepto verò Burſario in minus rigoroſa ſignificatione, proùt nimirum confunditur cum Amico ſpirituali, ſivè iſte ſit principalis donans, ſivè ejus famulus, vel nuntius, licet Fratribus Burſarium in via habere, qui expenſas neceſſarias in itinere faciat. Colligitur hoc ex *Clementiaa Exivi* §. *Cùm etiam*, ubi, poſtquàm Clemens recurſum ad Amicos ſpirituales ampliaſſet ad alias veras neceſſitates Fratrum, quàm ad neceſſitates pro infirmis, & Fratribus induendis, ſubdit: *Attendant Fratres, quòd pro nullis cauſis aliis, quàm prædictis, vel ſimilibus, in via, vel alibi licet eis ad Amicos hujuſmodi, ſivè ſint dantes pecunias, ſeù deputati per ipſos, ſivè nuntii, vel depoſitarii, ſeù alio quovis nomine appellentur*.

In quo textu ponderandum eſt illud *in via*, vel *alibi*: qua phraſi loquendi ſigni-

ſignificatur, quòd ubi *in via* ſubſunt veræ neceſſitates, liceat Fratribus *in via* recurrere ad Amicos ſpirituales, ut modis congruis noſtræ Regulæ, occurrentibus neceſſitatibus provideant.

3. Verùm, ut tàm recurſus, quàm dictum Amicum ſpiritualem ducere in itinere licitè fiant, debent plures conditiones concurrere, quibus non obſervatis, cenſentur Fratres tranſgreſſores Regulæ, ſi, etiam hujus generis Burſatio utantur.

Prima eſt, quòd iter ſit juſtum, ſeù ex rationabili cauſa, vel ex obedientia aſſumptum, pro negotiis nimirùm expedientibus Religioni; ut, cùm eundum eſt ad Capitulum Generale, vel quid ſimile contingat. Etenim ſi iter ex propria electione ſuſcipiatur, nulla habetur neceſsitas recurrendi, & ducendi, cum cauſa ſit voluntaria.

Dices. I. Non vadant ad Capitulum Generale, nec negotia committantur, niſi iis, qui pedibus poſſunt iter agere.

4. R. Ad Capit. Gener. non tenentur accedere, niſi Miniſtri, Cuſtodes, Officiales Curiæ, & Definitores Gener.: & negotia committenda ſunt idoneis, & aptis ad ea

 exe-

exequenda; cujus generis non ſunt omnes, & ſoli fortes, & corpore robuſti; ſed utplurimùm iſti ſunt rudes, & imperiti; apti verò ad illa regularitèr ſunt Religioſi ſpirituales, ſtudioſi, & litterarum amatores, habentes de rebus Religionis experimentum. Qui frequentèr ſunt debiles, viribus deſtituti, ut proindè, vel equo, aut jumento egeant pro itinere, vel meliori cibo nutriri requirant; circà quæ ſunt ſumptus faciendi; & cùm ipſi per ſe in illis nequeant ſe ingerere, debent in ſubſidium ſecum habere Amicum ſpiritualem.

Dices. II. Quando hujuſmodi neceſſitates in via occurrunt, recurrant tunc ad Amicum ſpiritualem, qui eis in itinere præſentabitur.

R. Hoc utique agendum eſſet, ſi veriſimile foret, quòd in via Amici ſpirituales invenirentur. Cęterùm, cum experientiâ compertum ſit, quòd interdum vix poſſunt reperiri Benefactores, à quibus res in ſpecie in eleemoſynam accipiantur, quomodo ſpes erit reperiendi Amicos ſpirituales, qui pecuniam ſolvant pro neceſſitatibus in itinere contingentibus?

Dein-

Deindè, ſi ſciam certò me debere recurrere, quid obſtat, ſi, cùm Amicos habeam offerentes, eorum eleemoſynis per Depoſitarium utar?

Dices.III. S.Franciſcus voluit, quòd ſui Fratres ſe in vivendo cōmitterent divinę providentię,& cogitatus ſuos in Domino jacerent, qui volucres Cœli pafcit.

5. R. Nec divinæ providentiæ in vivendo non ſe committunt, neque ſuos cogitatus à Domino avertunt, qui nihil juris habentes in pecunia exiſtente apud Depoſitarium pro vera neceſſitate, per modum puræ eleemoſynæ ad ipſum recurrunt, proùt tunc Fratres ſe debent gerere. Neque debent ità ſe committere divinæ providentiæ, ut Deum videantur tentare. Quinimò, ut ait Nicolaus ubi ſupra §. *Nec quidquam: Sic ſe ipſos committant divinæ providentiæ in vivendo, ut viam non contemnant proviſionis humanæ: quia vel de iis, quæ offeruntur liberalitèr, vel de iis, quæ mendicantur humilitèr; vel de iis, quæ conquiruntur per laboritium, ſuſtententur.* Tum quia, cùm S. Pater præcepit ſollicitam curam in veris neceſſitatibus per Amicos ſpirituales, nihil de commiſsione divinæ providentiæ, nihil de cogitatu in Domino

diminuit:cùm pro Domino Amicus ſpiritualis nos paſcat,& veſtiat.Supponitur hic ſemper,quòd res in ſpecie commodè precaria mendicatione acquiri non poſſit.

6. Secunda conditio eſt, quòd Fratres iter agant per Regiones, & partes inhumanas (etiam ſi ſint Catholicorum) in quibus, vel ex defectu charitatis, vel, quia ex frequentia Fratrum itinerantium, Fidelium pietate nimis fatigatâ, non poſſunt mendicando oſtiatim, vel nullo modo, vel, non niſi valdè incommodè neceſſaria ad victum, & decentem ſuſtentationem inveniri.Sæpe enim contingit tranſire per pagos, & loca, in quibus, vel nullus ſit, qui det ad victum neceſſaria, ſed omnia debeant haberi in tabernis, in quibus ſingula, numeratâ pecuniâ venduntur, & non niſi pecuniis haberi poſſunt; vel, ſi alii ſint, qui dare poſſint, non poteſt Frater ab itinere fatigatus per unum, vel alterum caſtrum concurſare, aut loca alia adire, & à recto itinere divertere ſinè gravi corporis, & animi damno. Imò, ſi aliqui dent, tàm parcum cibum pręſtant, ut laxum centenis milliariis corpus recreare non ſit ſatis.

Tertia eſt. Quòd neceſſitas ſit vera, præ-

præſens, vel imminens, non verò futura, & poſſibilis juxta dicta *conſil*.4.§.1.*nu*.25. vide ibi, ut hic diſcurras.

7. Quarta eſt. Quòd ad ipſum non recurratur, niſi aliis ceſſantibus eleemoſynis, ac cum commodè mendicatio fieri non poteſt. Undè hallucinantur, qui ad ſolum proprium commodum, & delicias in via ad eum recurrunt: & adeò frequentèr, ut, datâ etiam occaſione facilis mendicationis, eam relinquunt, & contemnunt.

8. Quinta. Quòd non recurratur auctoritativè præcipiendo expenſionem pecuniarum, exigendo computum, & pecuniam interdùm in marſupio aſſervãdo, & cuſtodiendo. Ideò cum Depoſitario pecuniæ ità ſe Fratres gerere debent, ut nec corde, ore, vel opere, aut ſigno aliquo oſtendant ſe habere, vel retinere videantur aliquam auctoritatem, jus, vel actionem civilem in dicta pecunia, vel ejus uſu. Temperandum eſt ab omnibus abuſibus, qui frequentèr ex imperitia non excuſabili naſci ſolent.

9. Sexta. Quòd ſcandalum vitetur. Fratres enim nedum à malo, ſed etiam ab omni, quod ſpecie habet mali, abſtinere

nere debent, ex *d. Clementina* §. *Amplius*; & ideò videant Fratres, nè ea in re puſillis materiam ſcandali præbeant: & facto oſtendant ſe in pecunia nihil juris habere.

10. Caveant Fratres itinerantes, nè per loca, in quibus ſolent Benefactores charitativè Religioſos tractare eos hoſpitio recipiendo, & tribuendo neceſſaria ad victum, ſecum Depoſitarium ducant: nàm præter materiam ſcandali, quam Benefactoribus præbent, ſunt cauſa nocumenti, quod aliis Fratribus pauperibus ſinè Depoſitario itinerantibus obvenit. Quoniam ſæculares id videntes putant, vel occaſionem credendi accipiunt, quòd iſti etiam portant pecunias, ſeù Burſarios; propter quod retrahuntur à propoſito elargiendi illis eleemoſynas: eoſque ſolent alloqui: *Ematis de pecuniis, quas portatis, ſicut alii Fratres veſtri fecerunt*. Et ad minus, cùm quis in longinquas Regiones iturus per illa loca tranſit, moneat ſæculares hoſpitantes alios benignè, ſe equo iter agere, quia debilis, & longitudo itineris id requirit: ac Amicum ſpiritualem ſecum ducere, quia ad loca debet accedere, in quibus neceſ-

neceſſaria ad ſuſtentationem nullatenus abſque pecunia obtineri poſſunt: verùm ſe nihil juris in pecuniâ habere; ut hac forma viſcera miſericordiæ Fratribus aliàs itinerantibus non claudant, & ipſe ſcandalo proximum non offendat.

11. Septima. Quòd recurrens ſit Miniſter, Cuſtos, vel Guardianus, aut alius ab eis habens facultatem, vel commiſſionem recurrendi.

12. Octava. Quòd, ſi quidquam pecuniæ poſt iter ſuperſit, illud, vel donantibus reſtituatur: vel rogentur, ut in alias veras neceſſitates Conventus expendi valeat.

13. In noſtro Ordine Statuta Generalia in Sambucanis *cap.* 8. §. 8. *n.* 1. diſponunt, ut Miniſtri, Cuſtodes, & Definitores Generales provideantur pro ſumptibus in itinere neceſſariis; monentur tamen, ut in itinere parcè, & modeſtè ſe gerant, & ſanctæ paupertatis ſint memores, proùt ex inſtituto tenentur. Nec ipſi debent per ſe pecunias portare, ſed opus eſt, ut eas deferat Tertiarius, qui ſit Subſtitutus Syndici Apoſtolici. Verùm, ut hic cognoſcatur, quòd non ſit Frater, habitu diſtincto uti debet, hoc eſt, debet ince-

incedere pedibus calceatis, cum habitu genua non excedente, cum galero, ſeù bireto in capite, juxta diſpoſita in Capitulo Generali celebrato de *ann.*1625. *tit. pro utraque familia*, cujus ſtatuta eodem *anno* 18. *Decembris* confirmata fuerunt in forma ſpecifica ab Urbano VIII.proùt in ejus conſtitutione. *In ſupremo ſub la* 51. *Bullar.tom.*4.quæ diſpoſitio eſt univerſalis quantùm ad qualitatem habitus, qui à Tertiariis aſſumptis pro ſervitio Conventuum eſt geſtandus.

Quæritur I. *Cujus ſint bona Fratrum Apoſtatarum?*

14. R. Si Frater reddeat ad Religionem, pecuniæ, quæ apud ipſos reperiuntur, ſunt tradendæ Syndico Apoſtolico. Cœtera verò bona, quorum uſum facti Fratribus licet habere, ut ſunt libri, veſtes, & hujuſmodi, cedunt in uſum Fratrum, & Conventuum. Ea verò, quorum uſus eſt Fratribus interdictus,ut ſunt veſtes ſæculares & alia pretioſa, & ſuperflua, per Epiſcopum ſunt pauperibus diſtribuenda. Cùm enim eorum uſus Fratribus non ſit permiſſus, neque eis licet ea apprehendere, adminiſtrare, vel actum alium circa ea exercere, qui jus ali-

aliquod ſapiat, juxta Declarationes Nicolai III. & Clementis V.

15. Si verò bona illa fuiſſent furto ab aliis ſubrepta, dominis eſſent reſtituenda: ubi verò aliqua per mercaturam fuiſſent acquiſita, pauperibus ab Epiſcopo loci deberent elargiri.

16. Ubi autem Frater extra Ordinem deceſſiſſet bona illius pertinerent ad Cameram Apoſtolicam ex *conſtitut. Gregorii XIII. incip. Officii noſtri* 43. *Bullar. tom.* 2.

Dices. Leo X. Conceſſit privilegium Fratribus Minoribus apprehendendi dicta b ona per Syndicum Apoſtolicum, & idoneas perſonas,

17. R. Si hoc ſit privilegium Fratrum, cùm ſit contra puritatem Regulæ, & adverſus dictas Declarationes(quæ ſolæ ſunt in vigore) receſſit ab aula, & eidem Fratres renuntiarunt; quemadmodum in quovis Capitulo Generali proteſtantur nullam diſpenſationem contra Regulam fuiſſe in Ordine receptam, ac ſe velle, divino favente auxilio, Regulam in ſua puritate juxta præfatas Declarationes obſervare. Accedit, quòd dicta Leonis conceſſio fuit perſubſecutam Conſtitutionem Gregorii revocata.

Quæ-

Quæritur. II. *Qua forma* debeat Frater expropriari?

18. R. Si expropriatio Fratris fiat in infirmitate, debet eſſe praxis: priuſquàm Confeſſario ſe de peccatis accuſet, eſt vocandus Superior, cui Frater debet manifeſtare, quæ habet, & ſincerè proteſtari ſe quodcumque prætenſum dominium ſuper illis deponere, ſeque in illis nihil juris habere, & propterea ſe illis voluntariè expoliari. Tunc Superior curet, ut pecuniæ, & res pretioſæ, ſi quæ ſint (quod abſit) ſtatim per Tertiarium aſportentur Syndico Apoſtolico. Quòd, ſi ægrotus convaluerit, non eum factæ expropriationis pœniteat, nec ad vomitum redeat, vel ea ipſa petendo, vel alia quærendo, quæ Regulæ repugnant.

19. In caſu verò, quòd pecunia eſſet Amici ſpiritualis, qui ſibi dominium illius retinuiſſet, eidem foret reddenda; vel de ejus licentia Syndico Apoſtolico tradenda pro utilitatibus Conventus, vel Provinciæ.

20. Quòd ſi dicta pecunia ad eleemoſynas alterius Conventus pertineat, monendus tunc eſt hujus Superior, & pecunia à Syndico Conventus, in quo ille

ille infirmatur, ad Syndicum alterius Monaſterii tranſmittatur. Ubi verò pecunia fuiſſet recepta ſub onere Miſſarum, vel alio, hoc debet Superiori aperiri, ut hic curet, quòd oneri ſatisfiat. Quod ſi ſit furtiva, domino reddatur.

21. Hìc advertas, quod Frater proprietarius, ſeù retinens pecuniam abſolvi non poteſt, niſi prius expproprietur; ſicut dicitur de concubinario, qui eſt incapax abſolutionis, niſi prius concubinam à ſe licentiet, & extra propriam domum amandet.

22. Pro praxi Provincialium, ad quos ſpectat diſtribuere ſupellectilia, & res à Fratribus defunctis relictas, ſubnecto decretum Congregationis Generalis de *anno* 1679. ea de re editum, ut ipſi noverint ſe non eſſe rerum dominos, neque de illis poſſe pro ſuo arbitrio diſponere, ſed teneri juxta præfinitum modum ſe gerere: Verba decreti.

Si Frater defunctus fuerit in infirmaria, eidem applicentur omnes panni linei, ſeù ex tela confecti. Si autem extrà infirmariam mortus ſit, applicentur Communitati Conventus, ubi defunctus de Familia morabatur. Cui etiam Communitati conſignabuntur omnia lanea veſtimenta. *Libri*

Libri in ejuſdem Conventus Bibliotheca reponantur: & ſi fortè aliquid pecuniæ reperiatur, Provincialis faciat eam deponi apud Syndicum Apoſtolicum Provinciæ pro neceſſariis ſumptibus, communibuſque Provinciæ indigentiis, ſumpto à Guardiano, & Diſcretis Conventûs teſtimonio de quantitate, ut ſuo tempore rationem de illa tribuere poſſit. Et idem obſervetur, ſi aliquid aliud conſiderabilis pretii inveniatur.

Picturæ, ſi fortè ſint, in Sacriſtia collocentur. Res autem minoris momenti inter Fratres ejuſdem Conventus de conſilio Guardiani dividantur.

Si autem, vel Miniſtri Provinciales, vel Guardiani alitèr fecerint, aut de rebus defuncti alitèr diſpoſuerint, ſuſpenſionem officii ad ſemeſtre incurrant. Orb. Seraph. tom.4. in d. Congreg. Et ob pœnæ adjectionem conſtat decretum, non tàm eſſe directivum, quàm præceptivum.

TITU-

TITULUS III.

De Legatis quò ad Fratres Minores.

CONSILIUM I.

An Fratres Minores ſint capaces Legati annui.

SUMMARIUM.

1 *Legatum directè Fratribus Minoribus factum pro ipſis non ſuſtinetur.*
2 *Sunt Fratres Minores capaces annuàrum præſtationum ab hæredibus recipiendarum per viam eleemoſynæ.*
3 *Triplex gradus incapacitatis.*
4 *Formula proteſtationis præmittendæ occaſione Legatorum.*
5 *Fratres ſunt capaces Legati rei mobilis, quod unica ſolutione præſtatur.*
6 *Reſponſa Sac. Congr. ab Urbano VIII. &c. circa hæc legata.*
7 *Quid importet clauſula: officium Judicis implorare?*

8 *Valet Legatum pro Sacriſtia, vel fabrica Eccleſiæ.*

9 *Reſponſa dictæ S. Congr. ſuper hujuſmodi Legatis.*

10 *Legata determinata ad unum uſum, in alios convertere non licet.*

11 *An Fratres Minores ſint capaces Legatorum cum onere celebrationis Miſſarum?*

12 *Reſponſa dictæ Sac. Congregationis.*

13 *Præſtationes Legatorum Fratribus debitæ non ſunt.*

14 *Nequeunt Fratres præſtationes ipſas in judicio exigere ſub pœna excommunicationis.*

15 *Poſſunt tamen eas recipere per modum eleemoſynæ, ad 20.*

21 *Syndicus Apoſtolicus poteſt tamquàm unus de populo apud Judicem inſtare, ut mens Teſtatoris impleatur.*

22 *Miſſæ celebrari debent in Eccleſia à Teſtatore electa.*

23 *Nequit aliqua quietantia fieri, niſi de quantitate præſtationum receptarum.*

24 *Conventus Fratrum eſt incapax ſortis cenſus eidem directè relictæ: & ibi de oneribus perpetuis Miſſarum, quorum licentia recipienda ſint, & de pœnis, &c.*

25 *An*

25 *An Fratres ſint capaces Legati annui ſinè onere?*
26 *Reſponſa dictæ Sac. Congregationis.*
27 *Non licet Fratribus retinere domos, & agros.*
28 *Quid dicendum eſt de Legato infra decennium?*
29 *Valet Legatum concernens cultum divinum in Eccleſiis Fratrum, ad 33.*
34 *Agitur de Legatis annuis reſpicientibus victum, & veſtimentum Fratrum, ad 36.*
37 *Reſcripta S. Congr. Boni-regiminis quantùm ad hæc Legata, ad 38.*
39 *Diſpoſitio Innocentii XII. quò ad Legata pro veſtiario Fratrum Conventus S. Mariæ de Ara-Cœli Romæ.*
40 *Doctrina Sancti Bonaventuræ in materia Legatorum approbata à dicta S.Congr. pro Ciſmontana Familia.*
41 *Cautela ex eodem S. Doctore tenenda à Fratribus, ubi gravati à Teſtatoribus difficiles ſunt in adimplemento diſpoſitionis teſtamentariæ.*
42 *Quidditas eleemoſynæ, in quo conſiſtat?*
43 *Omnes leges clamant diſpoſitiones defunctorum eſſe implendas.*
44 *Executio piorum Legatorum eſt mixti fori.*

45 *Judex executor ex officio, etiam nemine petente, debet procedere adverſus non implentes Teſtamenta.*

46 *Nulla actio juris, & juſtitiæ eſt in Fratribus ad Legata.*

47 *Ex contractu Legati duplex oritur obligatio.*

48 *Obſtrictus obligatione voti dare aliquid Fratribus tenetur implere.*

49 *Fratres Minores non poſſunt ſuccedere morientibus ab inteſtato.*

50 *Agitur de Legato facto Religioſo particulari.*

51 *Fratres non poſſunt inducere Fideles ad aliquid Ordini relinquendum.*

52 *Quid de Legato facto Religioſo privato hac lege;* ut non acquiratur Monaſterio?

53 *Varia decreta cum voto Rotæ, ad* 84.

85 *Aromatariæ Fratrum Minorum, ad* 88.

CONSTAT Fideles ſæpè in Teſtamentis legare favore Fratrum, aut pro ipſorum Eccleſiis nonnulla, gratis, vel adjecto onere celebrationis Miſſarum, aut recitationis alicujus Officii, unica ſolutione, aut ad tempus, vel in perpetuum ſingu-

ſingulis annis præſtanda. Quibus diſpoſitionibus ſtantibus,excitari conſueverunt difficultates:an Fratres,ſalva puritate Regulæ, habeant circà dicta relicta capacitatem? Licèt de hac re aliqua dixerimus *tit.*1. *conſil.*4. *num.*9. tamen, quia ſolent in dies Fratres ſcrupulis pulſari, vel litibus agitari, ex profeſſo aſſumimus diſcuſſionem articuli; ad quem claritate, qua par eſt, tractandum, varios §.§. ſubnectimus, in quibus firmantur reſolutiones juxtà declarationes Nicolai III. & Clementis V. ac decreta Sacrar. Cogregationum, & deciſiones Rotæ.

1. Primùm verò ſtatuitur, liquidam eſſe incapacitatem Fratrum ad Legata, ſi ſors principalis ipſis directè relinquatur, adeòut ejuſdem proprietas, poſſeſſio, & dominium apud Fratres ſit; cùm per dicta *loc. cit. conſil.*2. *&* 3. ipſi Fratres nullatenus ſint capaces acquirendi, & retinendi dominia, rerumque jura, & poſſeſſiones, proùt ibi *conſil.* 4. & propterea talia relicta, nec momento retinere poſſunt; ſed ubi adeſt erectum Tribunal R. Fabricæ S. Petri eidem Fabricæ debent applicari, ut notiſſima ſunt ejuſdem privilegia, tàm quò ad hæreditates, & fidei-

commiſſa, quàm quo ad ejus generis Legata, per adnotata ibi *conſil.*5.*num.* 10. & 11. Ubi videas, quando Legatum, quantùm ad Fratres caducetur, & corruat. Ubi verò tale Tribunal erectum non eſt, Legatum redit ad hæredes; qui tamen debent implere voluntatem defuncti, & onera impoſita exequi, ac curare, ut Miſſæ celebrentur, vel aliud onus impleatur, ſi favore animæ fuerit Legato adjectum; quoniam ultima voluntas defuncti pro lege ſervanda eſt, & omnibus modis conſervari debet, *cap. Ultima* 13. *quæſt.*2.

2. Diverſimodè eſt dicendum de Legatis non Fratribus directè factis, ſed pro Fratribus in hoc ſenſu, quòd hęredes gravantur, ut ſingulis annis aliquod ipſis dent, vel certam ſummam pecuniæ Syndico Apoſtolico ſolvant pro neceſſitatibus eorum, ſivè Legatum ſit ſimplex, ſivè caudatum onere aliquo Officii, vel celebrationis Miſſarum. Quantùm ad hæc Legata Fratres non ſunt incapaces recipiendi ab hæredibus, quatenus velint liberè dare in eleemoſynam præſtationes à Teſtatoribus taxatas; & Legatum hac forma factum, dicitur eſſe modo licito

licito conſtitutum, ut dixi *Offic. Cur. Eccleſiaſt. cap.* 30. *num.* 38. Ac in rigore loquendi Fratres in caſu dicuntur propriè capacitatem habere ad illas præſtationes ab hæredibus eleemoſynalitèr recipiendas, non ad rem legatam, ex qua debent hæredes dictas præſtationes accipere.

Hinc opportunum eſt adnotare retentam à Doctoribus diſtinctionem incapacitatis, aptabilem caſibus, qui in facto contingere poſſunt, quam refert Luccia *de legatis num.*202.

3. Duplex itaque datur incapacitas. Una dicitur abſoluta, & alia reſpectiva. Abſoluta illa eſt, quæ Religioſos inhabilitat ad aliquid poſſidendum ſpolians illos quovis jure politico, & civili, ſivè in re, ſivè ad rem, adeòut eiſdem nulla competat actio juridica; cùm illa denudati reputentur ratione voti altiſſimæ paupertatis in profeſsione emiſsi, & vigore Regulæ præſcribentis ſtrictiſsimum paupertatis vinculum, tùm in communi, tùm in particulari. Reſpectiva illa eſt, quæ inhabilitat eos Relgioſos tantùm ad petendam rem, cùm nullum jus ad illam petendam habeant; non verò inhabili-

bilitat ad recipiendum aliquid per viam eleemoſynæ.

A prima incapacitate Fratres ſunt inhabiles recipiendi hæreditates, & ſuſtitutiones, ac retinendi bona immobilia, annuoſque redditus, cenſus, & cambia; cùm enim ex Regula ſint mendicantes, ſunt omni rerum dominio, & jure abſolutè incapaces ex dictis *loc. cit.*

A ſecunda inhabilitantur quidem ad petendas legalitèr præſtationes Legatorum, non verò quin poſſint per modum ſimplicis eleemoſynæ ab hæredibus recipere, ut latius infra.

Adductæ diſtinctioni addi poteſt tertium membrum incapacitatis, item reſpectivæ: & illa dicitur, quæ, ſuppoſita in dictis Fratribus prima incapacitatè abſolutè, & ſecunda quantùm ad petendum, remanet jus aliquod, & actio penès Syndicum Apoſtolicum ad aliquid petendum: non nomine Religioſorum, ſed, vel Eccleſiæ, aut Sacriſtiæ, quibus fuiſſet aliquid reſpectivè legatum reſpiciens divinum cultum, Eccleſiæ ornamentum, vel ſacræ ſuppellectilis inſtaurationem.

Cœterùm, quando contingit relinqui aliqua Legata perpetua aliquibus per-

perſonis, vel hoſpitalibus, vel alicui Reipublicæ, & aliis domibus, ea lege, quòd teneantur Fratribus præſtare ſingulis annis certam eleemoſynam, ſivè omninò gratis, ſivè, ut ipſi Fratres recitent certa Officia, vel celebrent numerum aliquem Miſſarum, non poſſunt Fratres nec per Syndicum illam petere, tamquàm debitam, ex dicendis infra, ſed humilitèr, & per modum eleemoſynæ. Tenenturque prȩmittere proteſtationem in ſubſequenti forma, juxta diſpoſita à *Sac. Congreg. ab Urbano VIII. particularitèr præpoſita anno* 1628. *Conſultationibus Familiæ Ciſmontanæ Fratr. Minor. S.Franciſci*, à qua, Sanctitate Sua approbante, præcepta fuit obſervantia decreti Congr. Generalis habitæ *Romæ die* 17.*Maii* 1603. proùt infrà *num.*40.

4. Quoniamverò dicta Sac. Congr. decreta fuerunt à Papa approbata, evenit, ut, causâ cognitâ, fuerint promulgata; indequè ſunt ad inſtar legis, ubique locorum obſervanda; hinc nullus poteſt de hac re tergiverſari.

Formula verò proteſtationis eſt hȩc:

Nos Fr. N. Guardianus, & Fr. Diſcreti hujus Conventus N. dicimus ad noſtram notitiam perveniſſe quondàm N. certam eleemoſy-

næ

na quantitatem Conventui huic diſtribuendam perpetuò gratis, vel forſan pro aliquibus Officiis, aut Miſſis dicendis legaſſe (explicetur clauſula, an gratis, vel cum onere fuerint Legata relicta). *Cumquè Legata hujuſmodi, niſi per viam ſimplicis eleemoſynæ acceptare ex Inſtituto ſancto noſtro, & jure nobis non liceat: ideò per præſentes liberè proteſtamur in Domino, quòd Legatum prædictum tamquàm illius incapaces ex vi Legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen hæres commiſſarius, aut Legatarius ipſius Teſtatoris dictam quantitatem per viam ſimplicis eleemoſynæ, omni obligatione, dominio, & proprietate penitùs ceſſantibus, nobis liberè conferre voluerit, illam ſimplicitèr accipiemus, & piæ Teſtatoris voluntati, quantùm in nobis fuerit, plenè, ac fidelitèr ſatisfaciemus.*

Quæ proteſtatio ſubſcripta per Guardianum, & Diſcretos Conventus dabitur illi, qui tenetur Teſtatoris voluntatem implere: & eadem proteſtatio ſcribetur in libro Conventus, ut conſtare poſſit ſuccedentibus Guardianis hanc conſtitutionem fuiſſe ad plenum adimpletam.

Si tamen facta iſta proteſtatione hæres ex ſua libera voluntate voluerit dare eleemoſynas illas, & committere Fratribus dicta Officia,

cia, & Miſſas, tunc Fratres tuta conſcientia poſſunt eleemoſynas hujuſmodi recipere. Hucuſque Sacra Congregatio.

§. I.

An Fratres ſint capaces Legatorum bonorum mobilium, quæ unica vice adimplentur?

5 REſp. Affirmativè, ſivè ſit pecunia granum, vinum, lana, & ſimilia. Ratio eſt, quia ab hæredibus, vel donantibus recipiuntur per modum eleemoſynæ manualis; idcircò id non repugnat ipſorum mendicitati, cùm ex eo non conſtituantur in tali ſtatu, ut eximantur â neceſſitate precariò petendi eleemoſynas, & oſtiatim mendicandi. Ut tenuit Rota in *Romana Computorum* 10. *Aprilis* 1630. *coram Merlino*. Sed pecunia à Syndico recipi debet.

Verùm hoc procedit, ſi res legata non ſit exceſſiva, nec in tali quantitate, ut fraus fiat mendicitati, & ad theſaurizationem recipiatur, ut ibi Rota ponderavit: & expreſsè conſtat per ea, quæ dicta Sac. Congregatio 9. *Septembris anno* 1628. reſpondit ad infraſcripta dubia.

„ I. An

„ I. An Fratres Minores, tàm de Fa-
„ milia, quàm Reformati ſint capaces
„ Legatorum bonorum mobilium, quæ
„ unica ſolutione, ſeù præſtatione adim-
„ plentur, tàm in pecunia numerata,
„ quàm in aliis ſpeciebus?
„ II. An poſſint eadem Legata in ju-
„ dicio, aut extrà exigere per ſe ipſos, vel
„ Syndicum Apoſtolicum?
„ III. An Fabricæ S. Petri liceat in
„ hujuſmodi Legatis ſe ingerere infrà
„ annum, ex quo dies Legati ceſſit?
„ IV. Et quid, elapſo anno?

Reſolutio Sacræ Congregationis.

Ad I. *Reſpondit, Fratres Minores, tàm de Familia, quàm Reformatos eſſe capaces Legatorum bonorum mobilium, quæ unica ſolutione, ſeù præſtatione adimplentur, tàm in pecunia numerata, quàm in aliis ſpeciebus: dummodò tamen hujuſmodi Legata ſint in quantitate moderata, & non in fraudem paupertatis.*

Ad II. *Fratres quidem nec per ſe ipſos, nec per interpoſitam perſonam poſſe eadem Legata in judicio exigere, ſed Syndicum Sedis Apoſtolicæ tantùm judicis officium implorare; dummodo ſimilitèr illa in moderata ſint quantitate, & ſinè ulla fraude paupertatis, & re ipſa erogentur in Fratrum neceſſitates. Extra judi-*

judicium verò ità demùm Legata hujuſmodi accipi poſſe à Fratribus per ſe ipſos , ſi in aliis ſpeciebus conſiſtant , & accipiantur in ea tantùm quantitate , quam vera , & imminens eorum neceſſitas poſtulet : ſed ſuperfluam , aut pecunias à Syndico tantùm poſſe accipi , dummodo tamen id omne in Fratrum neceſſitates convertatur .

Ad III. *Non licere Fabricæ S. Petri in hujuſmodi Legatis bonorum mobilium ſe ingerere infrà annum , ex quo dies Legati ceſſit .*

Ad IV. *Elapſo anno , licere ad præſcriptum ſuarum facultatum .*

Sed petitur . Quid importet illud *officium Judicis* implorare ?

7 Reſp. Importat quid diſtinctum ab hoc , quod eſt in judicio quidquam exigere . Hoc enim ſupponit in actore jus ad agendum adverſus alium actione juridica , & civili ; illud verò tale jus minimè reperit , ſic ex Pirhing. *in compend. doctr. ſacr. canon. lib.*1. *tit.*32. notante diſcrimen eſſe inter actionem , & implorationem officii , quod illa ſupponat jus ex parte agentis , & debitum ex parte illius , contra quem actio intentatur ; imploratio verò officii æquitate potiſſimum nititur, non jure . Ideò , cùm nec Syndicus ſtri-

ctu

ctum jus habeat, ut ſupponitur à S. Congregatione, quantùm ad dicta Legata adverſus gravatos à Teſtatoribus, non poteſt in judicio contrà eos agere, eos citando, & juridicè procedendo; ſed ei dumtaxat conceditur, ut Judicem moneat de Legatis, & non ſolutis; & tunc Judex executor, ut pater Pauperum, ex ſuo munere debet hæredes compellere ad ea ſolvenda, & Fratribus, quatenus egeant, in eleemoſynam conferant. Fagnanus in 1. *ad cap. Quoniam num.34. de decimis* ſcripſit, quòd, deficiente actione, ſubveniendum eſt officio Judicis. Apud Gonzalez in 1. *tit.32. cap.2. num.3.* videas diſcrimen inter officium Judicis nobile, & mercenarium. Verùm Syndicus ad implorationem non debet procedere, niſi concurrant, quæ pro ſecundo dubio ſunt diſpoſita.

§. II.

An valeat Legatum annui redditus factum Sacriſtiæ, fabricæ Eccleſiæ, vel Conventus?

8 LEgata pro Fabrica Conventus, vel Eccleſiæ Fratrum, cùm non reſpiciant

ciant victum eorumdem, valent omninò, eſtò in ſumma conſiderabili, dummodò ſit adæquata pro ſervitio rei: ut de Legato ſcutorum quatuor mille pro Fabrica ad favorem Fratrum S. Franciſci ad Ripam Urbis decidit Rota ſupponens capacitatem, & firmat Card. de Luca *diſc. 25. num. 8. de Parochiis*; & *diſc. 35. n. 15. de Regul.* refert à Parocho diſputatum fuiſſe non ſuper capacitate Fratrum, ſed prætenſione quartæ funeralis; quam tamen non deberi pro Legatis factis Monaſterio, quod ſit exemptum per privilegium, neque pro Legatis relictis Eccleſiæ pro fabrica dixit *de offic. & poteſt. Parochi par. 3. cap. 25. num. 52.*

Ex identitate rationis valet, etiam Legatum factum pro Libraria; cùm non concernat victum, & veſtitum Religioſorum, de quo infr. §. 6.

Pari modo valet Legatum factum pro Sacriſtia, hoc eſt, ut ſacra Supellex renovetur, & reparetur, proùt etiam ex dicendis §. 5. Intereà refero reſoluta ab eadem Sac. Congregatione Urbana ad propoſita dubia.

„ I. An valeat Legatum annui redditus factum fabricæ Sacriſtiæ, vel Eccleſiæ

„ cleſiæ Fratrum Minorum, tam de Fa-
„ milia, quàm ex Reformatione?

„ II. An liceat Fratribus hujuſmodi
„ Legata in judicio exigere per eorum
„ Procuratores, vel Syndicos Apoſto-
„ licos?

„ III. An liceat eiſdem erogare præ-
„ dicta Legata in uſus Fratrum: an verò
„ illa omninò converti debeant in uſus
„ à Teſtatoribus præſcriptos?

„ IV. An Fabricæ S. Petri liceat infra
„ annum ſe ingerere in proprietate ho-
„ rum Legatorum pro Fabrica, vel Sa-
„ criſtia, tranſigendo cum hæredibus,
„ aut aliàs de eadem proprietate diſpo-
„ nendo?

„ V. Et quid tranſacto anno?

„ VI. An liceat eidem Fabricæ S. Pe-
„ tri ſe immiſcere præſtationibus, ſeù
„ fructibus eorumdem Legatorum ab
„ anno decurſis, & non ſolutis?

„ VII. Et quid infrà annum, ex quo
„ ceſſit dies præſtationis?

Reſolutio Sacræ Congregationis.

9. Ad I. Reſpondit. *Valere Legatum annui redditus factum Sacriſtiæ, vel fabricæ Eccleſiæ, vel Conventus Fratrum Minorum, tàm de Familia, quàm de Reformatione, niſi adſit exceſſus in quantitate.* Ad

Ad II. *Nec per ſe ipſos, nec per alios licere Fratribus in judicio exigere hujuſmodi Legata, ſed Sindico Apoſtolico dumtaxat.*

Ad III. *Nec licere eadem annui redditus Legata erogare in uſus Fratrum, ſed illa omninò converti debere in uſus à Teſtatoribus præſcriptos.*

Ad IV. *Fabricæ S. Petri non licere infrà annum ſe ingerere in proprietate horum Legatorum, cum hæredibus tranſigendo, aut aliàs diſponendo de eadem proprietate.*

Ad V. *Itidem non licere.*

Ad VI. & VII. *Poſſe Fabricam S. Petri ſe immiſcere in præſtationibus, ſeù fructibus eorumdem Legatorum ab anno decurſis, & non ſolutis, non autem infrà aunum, ex quo dies præſtationis ceſsit.*

Duo hic ad præſcriptum harum reſolutionum adnotantur. Unum eſt, quòd præſtationes hujuſmodi Legatorum ſunt debitæ, aliàs nec Syndico Apoſtolico liceret ipſas in judicio exigere, proùt eidem licet, ut in reſponſione *ad* 2.

Alterum verò, quòd proprietas Legatorum, ſeù res, quæ eſt pro fundo, & ſecuritate annuæ præſtationis aſſignata, non ſit apud Fratres, ſeù apud Syndicum

dicum Apoſtolicum. Sacra enim Congregatio ſemper ſupponit eſſe apud hæredes, vel alios à Teſtatore gravatos, ut conſtat tàm ex *eodem* 2. (cum à ſe ipſo Syndicus nihil poſſit in judicio petere) quàm *ex* 4.

10. Quantùm ad III. adverti debet, per id revocari conceſſionem à Sixto IV. factam Minoribus de commutandis Legatis relictis Ordini ad unum uſum, in alium. Nàm cùm decretum factum ſit, approbante Papa, ad reſtituendam in Ordine puram obſervantiam Regulæ, per ipſum revocatur, quidquid intento fini adverſatur. Ideò ab Ordine nunquàm acceptantur privilegia relaxativa puritatis Regulæ, & contraria Declarationibus Nicolai III. & Clement. V. ſæpè in ſuperioribus laudatis. Et idem Urbanus in *Conſtit. Sacroſanct.* 51. *Bullar. t.* 4. revocavit omnes conceſſiones, & indulta à Sede Apoſtolica Ordini conceſſa, Regulæ, & dd. Declarationibus contraria. Quod ſubindè innovavit Innocent. XI. *conſtit. Sollicitudo,* alibi allegata. Contraria verò reputaretur aſſerta diſpoſitio; cùm jus in Fratres conferret circà Legata, ut de eis diſponere valerent æquè benè, ac

ſi ſui

ſi ſui juris eſſent, & poſſent civilitèr obligari.

§. III.

An Fratres Minores ſint capaces Legatorum cum onere Miſſarum?

Quantùm ad præſentem articulum eadem Sac.Congreg. Urbana mentem ſuam aperuit, proùt infrà ad hæc dubia.

„ 11. I. An Fratres Minores, tàm de
„ Familia, quàm Reformati ſint capa-
„ ces Legatorum annuorum, quæ fiunt,
„ adjecto onere celebrationis Miſſarum?
„ II. An iidem poſſint pro his Lega-
„ tis in judicio experiri agendo, aut Ju-
„ dicis officium implorando?
„ III. An poſſint Fratres illa accipere
„ à ſpontè offerentibus, celebrando Miſ-
„ ſas ad rationem rei acceptæ?
„ IV. An poſſint illa ſpontè oblata
„ accipere per ſe ipſos, an verò per Syn-
„ dicum Apoſtolicum?
„ V. An Fratres poſſint hujuſmodi
„ Legata extinguere, aut illorum pro-
„ prietatem vendere, & pretium eroga-
„ re in uſum Fabricæ, vel Sacriſtiæ?

„ VI. An liceat Fabricæ S. Petri pro-
„ prietatem eorumdem Legatorum cũ
„ onere Miſſarum ſibi vindicare, tàm
„ elapſo anno, quàm anteà?
„ VII. An eidem Fabricæ liceat ſibi
„ vindicare annuas præſtationes decur-
„ ſas, & non ſolutas, tàm antè annum,
„ quàm poſt?

Reſolutio Sacræ Congregationis.

12. Ad I. Reſpondit. *Fratres Minores, tàm de Familia, quàm ex Reformatione nullatenus eſſe capaces Legatorum annuorum, quæ fiunt, adjecto onere celebrationis Miſſarum?*

Ad II. *Non poſſe pro his Legatis in judicio experiri, aut Judicis officium implorare.*

Ad III. *Poſſe Fratres illa accipere per modum eleemoſynæ à ſpontè offerentibus, celebrando Miſſas ad rationem rei acceptæ, citrà tamen ullam obligationem ad onus perpetuum: & dummodò priùs proteſtentur ſe illorum capaces non eſſe.*

Ad IV. *Syndicum Apoſtolicum, & pro Fratrum neceſsitatibus, non autem Fratres ipſos, etiam per alios, poſſe hujuſmodi Legata utcumque ſpontè oblata accipere, ſi in pecunia conſiſtant.*

Ad V. *Non poſſe Fratres hujuſmodi Legata extinguere, aut illorum proprietatem ven-*

vendere, & pretium erogare in uſus Fabricæ, vel Sacriſtiæ.

Ad VI. *Licere Fabricæ S. Petri ad ſuarum facultatum præſcriptum ſibi vindicare eorundem Legatorum proprietatem cum onere Miſſarum celebrandarum, tàm elapſo anno, quàm anteà.*

Ad VII. *Similitèr licere.*

Hìc paritèr ponderandum eſt, quòd diſpoſita *ad* 1. valent pro Legatis directè Fratribus relictis, juxta dicta *num.* 1. Ubi verò agitur de Legatis, quorum proprietas reperitur apud hæredes, vel alios, S. Congr. R. Fabricæ in decreto *Cum ſæpius*, ut infrà *num.* 51. decrevit capitale, ſeù ſortem principalem, aut proprietatem eſſe ſemper conſervandam abſque ulla diminutione.

13. Cœterum nec Legata, eo onere adjecto, aut ipſorum præſtationes Fratribus debentur, cùm nihil magis altiſſimæ paupertati Fratrum repugnet, quàm redditus annui certi, & determinati; qui ex *Clementina* §. *Cumque annui* perpetuitatem, & proprietatem ſapiunt, & ideò inter immobilia ibi connumerantur. Illiſque Fratres videntur liberari ab onere providendi ſibi ex incerta quæſtuatione,

 & con-

& conſequentèr quantùm ad ſuas urgentias ab incerto non dependere, neque in totum inniti Divinæ providentiæ, proùt debent ex Regula; & fuit declaratum à NIcolao, & Clemente.

14. Propterea ſunt Fratres tranſgreſſores Regulæ, ſi, vel per ſe ipſos, vel per Syndicum via juridica procedant adverſus hæredes, & debitores, eos citando, & vocando ad judicium, ut ab Judice compellantur ad ſolutionem,niſi ad præſcriptum ab eadem S. Congregatione; & aliàs incurrunt ipſo facto pœnam excommunicationis præfixam in dicto decreto *Cum ſæpiùs*.

15. Quamvis autem interdictum ſit Fratribus, eorumque Syndico præſtationes pro Miſſis Legatorum exigere, tamquàm ſibi debitas, & per modum certæ aſſignationis perpetuæ,omnique actione civili, & juridica ſint circa eas deſtituti; poſſunt tamen eas titulo puræ eleemoſynæ manualis à ſpontè, & liberè dantibus accipere (ſed in pecunia numerata nonniſi à Syndico ſunt recipiendæ) proùt ſæpè repetitum eſt, tùm ſupra in *reſolut. ad 3.* & 4. tùm in decreto Sac. Congreg. Epiſcop. dato *num.* 56. ac in alio ejuſdem ſub

ſub *die 3. Auguſti anno* 1674. *in Turritana Legatorum*, confirmato à Clemente X. *conſtit. Nuper ſub 22. Auguſti d. anni*, quàm excribo infrà, tùm in dicto decreto *Cum ſæpiùs*.

16. Inſuper S.Congr. R.Fabr. *ſub 28. Maii* 1639. & 30. *Auguſti d. anni* reſcripſit Epiſcopo Urbaniæ volenti erigere Canonicatum ex quodam Legato relicto Conventui S. Angeli in Vado ſub prætextu, quòd Fratres illius Legati non eſſent capaces: *Legati ſummam reſtituendam fore, quia Fratres erant capaces illius, non obſtante perpetuò onere Miſſarum, & quoſdam feſtivitates celebrandi*.

17. Et die 11. *Julii d. anno* 1639. ſub eadem forma ſcripſit Epiſcopo Civitatis Caſtelli. Quoniam verò Epiſcopus difficultatem movit, nè Fratres fructus Legati reciperent, eadem S. Congr. 28. *Auguſti* 1640. eidem commiſit, *ut omnia removeret impedimenta, & Teſtatoris voluntas impleretur*.

18. Et in una *Anconitana die* 31. *Decembris* 1639. eadem declaravit: *Fratres illius Civitatis per modum eleemoſynæ capaces eſſe Legati quinque annuorum ſcutorum cum onere celebrandi Officium, &c.* Hæc fuit ſem-

per praxis S. Congr. in illis terminis reſcribere, quando difficultas movebatur in exequenda voluntate Teſtatorum circa ſimilia Legata.

19. Enim verò tunc puritas obſervantiæ Regulæ S. Franciſci nec offenditur, nec vim patitur. Quoniam præſtationes à Fratribns non exiguntur, ut debitæ, neque ipſi viâ juris compellunt hæredes, ſed ſolùm ab iſtis eleemoſynalitèr petunt, eæque in eleemoſynam recipiuntur: quo titulo poſſe recipi, remanente proprietate capitalis apud hæredes, vel aliquam Communitatem, Collegium, Confraternitatem; Hoſpitale, aliumve Locum pium, fuit, etiam diſpoſitum in Capitulo Generali Victorien. de *anno 1694. tit. pro utraque Familia num.* 17. præmiſſa tamen ſemper proteſtatione de qua *ſupra num.* 4.

20. Neque Fratres abſolvuntur ab onere precariò petendi eleemoſynas victus, & veſtitus. Nàm non poſſunt permittere, ut à Syndico recipiantur, ſi aliæ adſint eleemoſynæ. Tum quia, non ſunt omninò certi de dictis præſtationibus: nàm eſt in arbitrio hæredum debitorum eas Fratribus conferre, ut in d. decreto. *Cum ſæpiùs.*

Quin

Quin etiam certitudo hoc paritèr titulo excluditur, quòd remaneat in prudenti arbitrio Judicis executoris Teſtamenti aditi pro illius implemento, ut, inſpectis circumſtantiis eleemoſynarum, aut locorum, vel, iiſdem Fratribus, vel aliis Miſſæ celebrandæ committantur: maximè, ſi comperiat eleemoſynas, & Legata pro Fratribus, adeò adaucta, ut eximi debeant à neceſſitate ſibi victum quærendi ex incerta mendicatione, ut dixit *Rota in d. Turritana Legatorum coram Emerix* 10. *Januarii* 1695. & iterùm 6. *Aprilis* 1696. *coram eodem*.

Et in hac poſtrema firmatum ſimilitèr eſt, non poſſe Fratres, neque per ſe, neque per Syndicum Apoſtolicum, etiam agentem, tamquam unum de populo, imò neque extrajudicialitèr, moleſtare heredem, aut Executorē Teſtamenti, ut ſibi Miſſarum celebrationem committant, nè per æquipollens ſibi videatur licere, quod eis per Regulam, & Apoſtolicas Conſtitutiones eſt interdictum.

21. Non prohibetur tamen, quin Syndicus Apoſtolicus agat, tamquàm unus de populo apud eum, ad quem ſpectat mandare, ut voluntas Teſtatoris im-

impleatur: ei enim non denegatur, quod alteri de populo conceditur. Siquidem pietas erga defunctos, hoc petit, ut Judices de illorum diſpoſitionibus in ultimis tabulis expreſſis moneantur, nè inexecutæ remaneant. Ceſſare tamen ſemper debet ab inſtantia, ut Miſſæ committantur Fratribus, ut celebrentur, eiſque eleemoſyna conferatur.

22. Nec obſtat fuiſſe à Teſtatore diſpoſitum Miſſas eſſe in Eccleſia Fratrum, & per ipſos celebrandas. Nàm ſi Judex, cui commiſſa eſt ab jure executio Teſtamenti, comperiet Fratres eleemoſynis abundare, nec egere, poteſt aliis Sacerdotibus idem onus tradere, ut in eadem Eccleſia animæ Teſtatoris ſuffragentur. Etenim Miſſæ celebrari debent in Eccleſia, vel Altari à Teſtatore electo, ut dixi *Offic. Cur. cap.* 10. §. 2. *n.* 46. In tali namquè electione attenditur devotio ſpecialis Teſtatoris erga talem Eccleſiam, & Sanctum. Et de ejus interpretativa voluntate ab aliis in eodem loco celebrantur, cùm id à Fratribus, eorum puritate Regulæ inſpecta, præſtari non poteſt. Nulla enim veroſimilis conjectura eſt, quòd Teſtator voluerit Miſſas per Fratres celebrari pro

ri pro tempore, quo ſunt incapaces recipiendi, etiam per Syndicum ipſarum ſtipendia: proùt ſunt, dum non egent.

Quod totum habetur ex *cap. Exiit §. Ad quæ Legata*; ubi Nicolaus injungit iis, qui ex officio debent vigilare, ut pia Legata exequantur, quòd, negligentibus hæredibus, ſuper executione provideant, nè *pia defunctorum deſtruatur intentio: ac ipſi Fratres pauperes opportunis auxiliis non fraudentur*, ut inquit textus. Ideò, cùm Fratres non egent, per alios poſſunt Sacrificia offerri: niſi Fratres ipſi, nullo recepto ſtipendio, ſe ad celebrandum paratos exhibeant.

23. Sed tunc ad præſcriptum allegati decreti *Cum ſæpiùs*, prohibentur facere aliquam receputam de eleemoſyna, quaſi fuiſſet ſoluta. Cùm ibi ſub eadem excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda S. Congregatio prohibeat, nè Fratres per ſe, vel per alios, etiam Syndicum Apoſtolicum, *hæredibus, ſeù debitoribus faciant aliquas receputas pro dictis annuis præſtationibus, niſi pro rata, & pecunia, ſeù eleemoſynis ſupradictis, cum effectu, ac verè, & realitèr eiſdem Fratribus data, vel ſoluta, ſeù datis, vel ſolutis; nec ſub alia data,*

niſi

niſi ſub ea, qua verè fuerit eiſdem Fratribus, aut aliis pro eis facta realis ſatisfactio.

Verùm Sacerdotes alii, quibus per aliquod tempus Miſſæ ipſæ legendæ, ut ſupra traderentur, tenerentur ad expenſas pro luminibus, vino, & hoſtia, juxta *conſtitut. Nuper de celebrat. Miſſar. in reſp.ad* 7. Ad majorem tamen cautelam cenſerem eſſe conſulendam S. Congreg. Concilii pro proviſione.

Adverſus hucuſque dicta naſcitur difficultas ex una *Spoletana Legati*, ut infr.
,, Franciſcus Campelli in ſuo ultimò te-
,, ſtamento diſpoſuit, quòd ejus hæredes
,, tenerentur tradere Conventui Fratr.
,, Minor. de Obſerv.Civitatis Spoletanæ
,, ſcuta trecentum,in cenſibus inveſtien-
,, da cum onere dd. Fratribus celebrandi
,, per centum annos ex redditibus dd.
,, cenſuum tot Miſſas in ſuffragium ani-
,, mæ Teſtatoris,hac conditione adjecta,
,, quòd quatenus d.Conventus non eſſet
,, capax d. Legati, d. ſcuta trecentum
,, cum eodem onere alteri Eccleſiæ arbi-
,, trio hæredum tradenda forent. Et in-
,, ſtantibus dd. Fratribus, & auditis hæ-
,, redibus, fuit propoſitum dubium Sac.
,, Congreg. Conciili.

An

An dictus Conventus ſit capax ſupradicti Legati?

24. Sacra verò Congregatio 7. *Julii* 1668. *cenſuit negativè reſpondendum*.

Verùm hoc decretum nobis non obſtat. Etenim in dicto Legato proprietas capitalis erat apud Fratres, vel Conventum, qui incapaces ſunt retinendi rerum proprietatem, & habere cenſus. Hujus verò generis non ſunt Legata, ad quorum prȩſtationes recipiendas in eleemoſynam ad hæredibus gravatis Fratres ſunt capaces juxta dicta ſuperiùs.

Qua capacitate poſita titulo eleemoſynæ, non datur locus ſuſtitutioni, ut advertit Petra *to.2.comment. ad conſtit.5. Honorii III. ſect.4. num.* 48. allegata reſolutione ejuſdem Congr. in *Romana Legati* 2. *Decembris* 1673. in qua aderat ſuſtitutio, & caducatio favore Conventus S. Adriani hæredis. Qua non obſtante, Sac. Congr. reſolvit contrarium, ibi. *An Legatum, de quo agitur, dari juſſum per tot: præſtationes pro Fratribus ægrotantibus in infirmaria dicti Conventus* (de Ara-Cœli) *addito Miſſarum onere, ſuſtineatur, & per conſequens, an d. ſuſtitutioni factus fuerit locus?* Et S. Congr. reſpondit. *Legatum, de quo*

agitur

agitur, ſuſtineri, & proindè dictæ ſuſtitutioni non eſſe locum. Ratio planè, quia Fratres titulo eleemoſynæ præſtationes recipiebant à gravatis à Teſtatore, apud quos erant ejuſdem bona.

Circà onera Miſſarum perpetuò celebrandarum recipienda (exiſtente etiam onere ſolutionis penès Hæredes, vel Executores Teſtamentorum) noverint Fratres ſibi prohiberi illa recipere *ſinè Generalis, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda &c. aliàs Regularis pœnam privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque activæ, & paſſivæ, abſque alia declaratione incurrat;* proùt expreſsè *conſtit. Nuper* Innoc. XII. *de celebrat. Miſſar. §. Ad hæc Sac. Congreg.*

Licentia verò nullatenùs eſt concedenda, niſi priùs habitâ notitiâ, quòd onus implendum non ſit ſupra vires Conventus, ibi enim Pontifex §. *Cùm ſæpè,* prohibet: nè Miſſæ ſupra vires celebrandæ ſuſcipiantur.

Obtentâ verò licentiâ, eſt ſubindè præmittenda proteſtatio, de qua dictum eſt *ſupr. num.*4.

Quæri hic poſſet, an dicta pœna incurra-

curratur eo ipſo abſque alio Judicis miniſterio?

De qua re diximus aliqua *tit.2. conſil.3. num.32.* Hic autem advertimus ex dicto textu; quantùm ad privationem Officiorum, quæ obtinentur, requiri declaratoriam tranſgreſſionis, ut pro foro externo incurratur: ratio eſt, quia uſu, & conſuetudine receptum eſt (quæ eſt optima Legum interpres) ut nullus ſe privet re antea obtenta, niſi declaratoria criminis ſententia à Judice feratur: niſi tamen aliud conſtet de mente Legislatoris. Ulterior ratio eſt. Quia jus ad propriam famam conſervandam præponderat Legi humanæ indicenti privationem Officiorum: quæ cùm tàm gravi damno non videtur obligare ante ſententiam Judicis: aliàs eſſet nimis acerba; nàm cogeret hominem ad ſe prodendum, & exequendam in ſe duriſſimam pœnam; ut advertit Diana *coord. to.1. tract.5. reſol.63.* plures cumulans. Intereà tamen tranſgreſſor Conſtitutionis tenetur requirere diſpenſationem, ne Officium, quo in conſcientia privatus eſt, iniquè retineat, ex Bonac. *de Legib. diſp.1. qu.1. punct.7. §.2. num.9. & 10.*

Ubi

Ubi verò Legiſlator uteretur clauſulâ: *eo ipſo abſque aliquo juris, aut facti miniſterio*, tunc nec etiam ſuper crimine deberet Judex pronunciare: quia hæc excludunt declaratoriam quoque ſuper facto, quæ regularitèr non removetur ab illa *abſque alia declaratione*, ut notavit Fagnanus *in 5. ad cap. Quod à Prædeceſſore de Schiſmaticis num.* 68.

Ubi advertit paritèr declaratoriam facti non requiri, ubi crimen eſt notorium, allegans Abbatem, & Innocentium. Hæc enim tria æquiparantur, *Judicis denunciatio, propria confeſſio, & rei evidentia, quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit*, ut eſt caſus in *cap. Quæſitum de cohabit. Cleric.* Sed cùm poſſit aliquid cóntra evidentiam allegari, citandus eſt tranſgreſſor, ſi habeat quidquam contra factum allegare. Et quatenùs nihil relevans producat, pronunciandum eſt ſuper tranſgreſſione.

Quò verò ad pœnam *inhabilitatis*, & privationis *vocis* in eodem textu, crimine commiſſo, abſque hujus declaratione ſtatim incurritur: ratio eſt, quia hanc tranſgreſſor non debet in ſe inferre per aliquam actionem, ſed circa eam ſe habet merè

merè paſſivè, & conſiſtit in abſtinentia ab aliqua receptione, vel actione.

§. IV.

An Fratres ſint capaces Legati annui ſinè onere?

25 QUò ad præſentem articulum ſunt dictæ S. Congr. reſolutiones ad hæc dubia.

,, I. An Fratres Minores tàm Obſer-
,, vantes, quàm Reformati ſint capaces
,, Legatorum annuorum ſinè aliquo
,, onere, aut modò adjecto, ſaltem ad
,, effectum illa extinguendi, & pretium
,, erogandi in uſus Fabricę, vel Sacriſtiæ?
,, II. An ad hunc effectum poſſint
,, eamdem proprietatem in judicio pete-
,, re per Syndicum Apoſtolicum;
,, III. An poſſint illam convertere in
,, uſus Fratrum?
,, IV. Et quid, ſi cœperint illorum an-
,, nuas præſtationes accipere?
,, V. An poſſint Fratres exigere judi-
,, cialitèr annuas præſtationes eorum-
,, dem Legatorum in vim Martinianæ?
,, VI. Et quid poſt ultimum decretum

„ Sac. Congregat. hac de re editum?
„ VII. An Fratres teneantur proteſtari ſe eſſe incapaces eorumdem Legatorum?
„ VIII. An poſſint illa à ſpontè dantibus accipere per ſe ipſos, vel per Syndicos Apoſtolicos?
„ IX. An hæredes teneantur illorum præſtationes Fratribus ſolvere in foro conſcientiæ?
„ X. An Fabrica S.Petri jus habeat ſibi vindicandi horum Legatorum proprietatem, tàm elapſo anno, quàm anteà?
„ XI. Et quid de annuis præſtationibus decurſis, & non ſolutis?
„ XII. An hæc omnia procedant; etiam in Legatis annuis ad modicum tempus?

Reſolutio Sacræ Congregationis.

26. Ad I. Reſpondit. *Fratres Minores, tàm Obſervantes, quàm Reformatos non eſſe capaces Legatorum annuorum, quæ fiunt ſinè aliquo onere, aut modo adjecto, niſi ad effectum illa extinguendi, ſeù illorum proprietatem, & pretium convertendi in uſus Fabricæ, vel Sacriſtiæ.*

Ad II. *Non Fratres ipſos, ſed Syndicum Apo-*

Apoſtolicum tantùm poſſe eandem proprietatem in judicio petere.

Ad III. *Poſſe convertere.*

Ad IV. *Si Fratres cœperint illorum annuas præſtationes accipere, nè hinc fiat fraus paupertati, expedire, ut de cætero decernatur, eo caſu non licere amplius Fratribus eandem proprietatem vendere, ac pretium in uſus Fabricæ, vel Sacriſtiæ erogare. Ideòque agendum cum S. D. N.*

Ad V. & VI. *Fratres nullo modo poſſe in judicio exigere annuas eorumdem Legatorum præſtationes.*

Ad VII. *Teneri.*

Ad VIII. *Poſſe illa per modum eleemoſynæ, & à ſponte dantibus accipere, etiam per ſe ipſos, ſi in aliis ſpeciebus conſiſtant: quòd ſi in pecunia, nonniſi per Syndicum Apoſtolicum.*

Ad IX. *Non teneri.*

Ad X. *Fabricam S. Petri nullum jus habere vindicandi horum Legatorum proprietatem, niſi, elapſo anno juxta ſuas facultates.*

Ad XI. *Similitèr non habere jus vindicandi hujuſmodi annuas præſtationes, niſi ab anno decurſas.*

Ad XII. *Hæc omnia locum non habere in Legatis infra decennium, ſed in his tantùm,*

quæ fiunt ad decem annos, & ultrà. Edita ſunt decreta, & reſolutiones in ſupra poſitis §.§. 9. *Septembris* 1628.

Quantùm ad 1. Si res eſſet Legata modo incongruo noſtro ſtatui, ut ſi relinquatur domus ad locandum, vel vinea, aut ager ad colendum, tunc Fratres ſunt incapaces ad acceptandum Legatum, ex *cap. Exiit* §. *Ad hæc*, ubi Nicolaus III. declarat debere Fratres à receptione *per omnem modum abſtinere*. Si tamen Teſtator domum, vel agrum abſque modi expreſſione Fratribus quidquam legaret, tunc illud poſſent acceptare, ut inquit ibi Nicolaus, & diximus *tit.* 1. *conſil.* 4. *num.* 8. quia *ſub modo licito Fratribus intelligitur eſſe relictum*; ità quod *nec Legans merito, nec Fratres ipſi effectu relicti fraudentur*, & poſſet Syndicus petere, ut ad 2.

Rem tamen ità generalitèr relictam non poſſunt retinere, ut ex ea annuas præſtationes recipiant, ut eſt punctualis reſolutio ad 1. Liceret nihilominus eas per modum eleemoſynæ ab hæredibus, aliiſve gravatis recipere, ut ad 8.

28. Quod ſpectat ad Legata infra decennium, accipiendum eſt, dummodò non ſint exorbitantia, & exceſſiva, ità ut Fra-

Fratrum mendicitas præjudicium recipiat. Mens enim S.Congr. fuit providere obſervantiæ Regulæ in ſua puritate.

§. V.

An valeat Legatum concernens cultum divinum in Eccleſiis Fratrum?

29 SÆpè favore Eccleſiarum Fratrum Minorum Fideles diſponunt annua Legata pro oleo lampadum, pro grano, & vino pro Miſſis, pro paramentis ſacris,& ornamentis Eccleſiæ; ad quæ implenda gravant hæredes, vel alios, ut ea in ſpecie illis conferant, vel ſummam pecuniæ ad rerum Legatarum emptionem Syndico Conventus perſolvant.

De hujuſmodi Legatorum validitate nulli hæſitare fas eſt.Nàm circà ea nullatenùs procedit incapacitas Fratrum; cùm ſolùm reſtricta ſit ad Legata,quę concernunt ipſorũ utilitates, & commoda, & in hunc finem recipienda tamquam debita, non verò, quæ reſpiciunt certum uſum divini cultus, proùt ſunt allegata; per quæ non infringitur, nec tollitur eorum mendicitas, utpotè quod non in alimen-

ta, ſeù victum, ipſorumque veſtimentum cedere debeant, ſed in neceſſaria divino cultui, & Eccleſiarum ornamenta, ut poſt Gloſſ. in *Clementina Exivi de verb. ſignif. verb. Cumquè annui*, dixit Bartolus *in tract. Minorum lib.* 1. *n.* 8. Abbas *conſ.* 63. *lib.* 2. *num.* 4. Portel. *cit. v. Legatum num.* 3. Corduba *in Regul. S. Franciſci cap.* 6. *q.* 11. *verb. ſi quæratur*, aliique plures contra Azorium *inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 25. *q.* 15. negantem ſimilia Legata ſuſtineri, & à Fratribus poſſe acceptari, & ideò à Scribentibus reprobatur.

30. Nec modò Rota in *d. Romana Computorum* §. *Tertia concluſio* ſtetit pro ipſorum conſiſtentia, quin etiam §. *Ex quibus*, dixit ea Fratribus legatariis omninò deberi. Quæ fuit ſubſecutivè doctrina ejuſdem in allegata *Turritana Legatorum*: in qua diſtinguendo Legata cum onere Miſſarum à Legato pro oleo lampadis, cenſuit hoc deberi, non verò illa; licèt ad horum implementum teneantur hæredes, proùt in particulari exprimitur in voto ab eadem edito.

31. Subindè in eamdem ſententiam abiit S. Congr. Concilii in *Faventina Legatorum*. Nàm, aſſignatis ſuis bonis à Conſtantia

ſtantia Severola de anno 1657. ad effe- ctum fundandi in Terra Mutilianæ, vel beneficium Eccleſiaſticum, vel Monaſterium Monialium, hæc onera impoſuit. Primum, *annuæ præſtationis libr.* 100. *olei, pro manutentione lampadis antè ſacras Reliquias in Eccleſia PP. Capuccinorum dictæ Terræ.* Secundùm, *libr.* 25. *ceræ albæ pro uſus ejuſdem Eccleſiæ.* Secuta verò de anno 1686. Monaſterii fundatione recuſarunt Moniales ſubminiſtrare dictas præſtationes ſub prætextu omnimodæ incapacitatis Fratrum Capuccinorum, undè, citatis, & informantibus, etiam Monialibus, petiit Alexander Ronconi, tamquàm unus de populo à S. Congr. declarari.

An Monaſterium Monialium teneatur ſubminiſtrare ſingulis annis dictas libr. 100. *olei, &* 25. *ceræ albæ pro uſu Eccleſiæ Capuccinorum?*

Die 2. *Martii* 1697. Sac. Congreg. reſpondit *affirmativè.*

32. Nec relevat opponere, ideò pro affirmativa fuiſſe reſolutum, quia agebatur de Legato olei, & ceræ in propria ſpecie, non verò de relicto pecuniæ. Hoc planè nil relevat, etenim, ubi Legatum conſiſtat in pecunia, quæ pro oleo, &

cera ſit expendenda, non à Fratribus, ſed à Syndico Apoſtolico recipienda eſt, juxta dicta ſupra ex S. Congreg. §.1. *ad* 2. & §.3. *ad* 4.

33. Quæ Legatorum præſtationes poſſunt à Syndico Apoſtolico in judicio exigi per reſoluta ſupra à S. Congr. §. 2. *ad* 2. Nec licèt ipſas annuas præſtationes in alios uſus Fratrum erogare, ſed omninò converti debent in uſus à Teſtatoribus præſcriptos per ibi dicta *ad* 3. Ideò Fratres, qui alio modo illis utuntur, gravitèr delinquunt, cùm de re diſponant præter intentionem Teſtatoris, & contra præſcriptum legis in *Clementina Quia contingit de relig. domib.* ac ſi in eorum proprietate reperiretur.

§. VI.

An Fratres ſint capaces Legatorum annuorum, quo ad victum, & veſtitum?

34 CErtum eſt hujuſmodi Legata ſuſtineri nequaquam poſſe per modum debiti, aut annuæ certæ aſſignationis cum aliquo jure ad ipſa: nihil enim Fratribus magis repugnat, quàm rerum

rerum proprietas, & annui redditus, qui in poſſeſſoribus continuum dominium important. Enim verò tunc eis victum non tribueret incerta mendicitas, proùt debet ad textum in *cap. Religionum §. Confirmatos de Religioſ. domib. in 6.*

35. Propterea neque illa ſuſtinentur, neque eſt in Fràtribus capacitas ad ea, ſeù veriùs ad ipſorum præſtationes, niſi ut à gravatis accipiant titulo eleemoſynæ, proùt reſpectivè ſonant allegatæ Sanctæ Sedis Declarationes, & in ſpecie pro materia, de qua agitur, emanarunt infraſcripta decreta.

„ In dicta Faventina Legatorum, „ de qua ſuprà *n.31.* pia Fundatrix onus, „ etiam impoſuit unius ferculi ſolidorum 20. ipſis PP. Capuccinis per ſingulas hebdomadas ſubminiſtrandi; & „ cùm dd. Moniales renuerent illud dare ſub prætextu omnimodæ incapacitatis Fratrum Capuccinorum, fuit „ S.Congr.Concil.propoſitum dubium: *An teneantur præſtare ſingulis hebdomadis ſupradictum ferculum bon. 20. pro ipſis Capuccinis.*

S. Congr. eodem anno proùt ſuprà, *cenſuit eſſe ſervanda decreta Congregationis Fabri-*

Fabricæ, die 4. Febrarii 1633.

36. Similitèr in *Salernitana Eleemoſynarum*, in qua, factà diſpoſitione, Fabritius Pinto nominaverat hæredes ſuorum bonorum PP.Carmelitas excalceatos Civitatis Salerni, impoſito eis onere,ut perpetuò quolibet die tenerentur causà pulmenti tradere in eleemoſynam PP. Obſerv.& Reformatis,ac Capuccinis S.Franciſci tria grana. Cùm verò hæredes ſub prætextu incapacitatis eorumdem Fratrum diſpoſita recuſarent implere, opus fuit recurrere ad dictam S.Cong.quæ,dubio propoſito: *An Legatum ſit præſtandum, & cogendos Carmelitas principales hæredes ad illius ſolutionem:* 14.Junii 1704. reſpondit: *Serventur decreta R. Fabricæ S. Petri die 14. Februarii 1633.* Quaſi diceret: Fratres Legatarii recipiant in eleemoſynam, quatenus hæredes velint liberè, & ſpontè illis dare. Decretum allegatur infra.

Tamen cùm Carmelitæ detrectarent executionem dare reſolutioni,cauſa devoluta fuit ad S. Congr. R. Fabricæ, quæ in ſimili voto fuit 20.*Junii* 1707. Et 9.*Februarii* 1708. causâ iterùm repropoſitâ, reſcripſit: *In deciſis, & amplius cauſa non proponatur*. Apud dictum de Luccia, à quo

à quo controverſia ex integro narratur.

37. Ulteriùs pro Legato relicto pro pitantia, fuit ſemper praxis S. Congreg. Boni Regiminis reſcribere Locorum Gubernatoribus pro implemento,& præter allegata *tit.* 1. *conſil.* 7. *num.* 11. alias litteras dedit die 22. *Jun.* 1652. Viterbo al Governatore. *Mentre per il paſſato i Frati Minori Oſſervanti di S. Franceſco di Canino ſiano ſtati ſovvenuti di ſcudi dieci l'anno per la pietanza, e d'altri ſcudi quindici per il vino da quella Communità, la S. Congregazione ſi contenta, che poſſa continuarſeli la medeſima limoſina, onde piacerà à V. S. concedernele la facoltà opportuna.*

38. Quantùm ad veſtiarium habetur reſolutio ejuſdem S.Cong. ſub die 12. *Novembris* 1661. Perugia al Governatore. *Queſti Eminentiſſimi Signori, dopo aver veduta l'informazione di V. S. ſono ſtati di parere, che ella proveda, che li Frati di S. Franceſco Minori Oſſervanti di Nocera ſiano ſodisfatti dell' annua riſpoſta di ſcudi ſette, e ba.* 50. *che li ſono ſtati aſſegnati da quel Publico ſotto titolo di Veſtiario; tanto eſeguiſca, e Dio la proſperi*, apud de Luccia à *loc. alleg. num.* 396.

39. Ad hoc exibetur factum concludentiſſimè hac in re removens omne dubium

dubium: Innocentius XII. 30.*Maii* 1696. *conſtit. Cùm ſicut*, ſuppreſſis quibuſdam Legatis cum onere Miſſarum Fratribus hujus Conventus de Ara-Cœli directè relictis, & propterea incapacibus, audito Oeconomo R. Fabricæ S.Petri, tranſtulit capitale exiſtens in locis Montium, in proprietatem Populi Romani (liberatis Fratribus à dicto onere) ut quolibet anno fructus in eleemoſynam liberè Syndico Conventus erogaret pro veſtimentis Fratrum ejuſdem Conventus, nullatenus in alios uſus convertendos.

Item Urbanus VIII. petente Commiſſar. Generali Frat. Minor. ut *dignaretur declarare Fratres eſſe capaces donationis annui cenſus erogandi quotannis in emptionem Tunicarum, & veſtium pro uſu Fratrum Terræ Molleani, & à Miniſtris Fabricæ non poſſe moleſtari, quin per modum eleemoſynæ poſſint dari, & recipi fructus dicti cenſus: ſub* 12. *Novembr.* 1641. *SS. annuit* hoc reſcripto: *audita relatione Sanctitati ſuæ facta de ordine Emin. Cardin. Barbarini Protectoris, benignè annuit petitioni ſupradictæ.* Fr. Paulutius. Et hic propter illud *per modum eleemoſynæ poſſint dari, & recipi fructus dicti cenſus*, videtur proprietatem cenſus apud alium exti-

extitiſſe, à quo in eleemoſynam deberent fructus ad dict. effectum conferri: Apud Pitonium *diſcept.2. à n.130.*

Ita paritèr *num.*147. refertur qualitas alterius Legati ſcutorum duodecim ſine onere annuatim Fratribus S. Franciſci ad Ripam Urbis titulo eleemoſynæ ſolvendorum per Andream Benedetti, ad cujus inſtantiam, exhibita ſupplicatione Summo Pontifici, S. C. R. Fabricæ, cui fuerat petitio remiſſa, *ſub* 27. *Maji* 1656. reſolvit. *Facta relatione, SS. annuit, ad inſtantiam tamen hæredis ipſius Teſtatoris, & ſub titulo eleemoſynæ*: apud eundem de Luccia *ubi ſupr. num.*493.

40 Pro quibus ſanè militat, & in terminis terminantibus concludit doctrina S. Bonaventuræ deſumpta ex quæſtiuncula in Apologetico, de qua infra §. 7. *num.*50. probata à d. Sac. Congreg. pro Ciſmontana Familia, ubi nòn tàm de eleemoſyna temporaria, quàm perpetua diſponitur, inſpectis præſertim clauſulis, *quotidie, ſingulis ſeptimanis, aut annis*.

Sequitur S. Doctor. *Et ſi poſt obitum uxor ejus, vel amici pro anima illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleemoſynam per ſe, vel ex diſpoſitione illius largiri, poſſu-*

poſſumus ſimilitèr accipere ex tali gratia: ita quòd quandocumque nollet amplius iſta dare, nihil peteremus ab eis, quaſi ex debito, ſed more mendicorum recurreremus ad domum clementis Domini pro quotidiana eleemoſyna, quamdiù illi placeret: ſed quando plus nollet, diſcedamus, ei gratias agentes de dato, & non murmurantes de negato. Hæc eſt vera, & pura vita mendicorum, quod datur, ex gratia recipere, non ex jure. De cenſibus verò domorum Fratribus legatarum nihil quærimus, ſicut nec de aliis redditibus.

Si autem antequàm vendantur, aliquem indè cenſum (hoc eſt eleemoſynam) *dare volunt hi, in quornm tùnc poteſtate ſunt illæ domus, nihil juris habere in eo proteſtamur. ſed eleemoſynam nobis ſpontè oblatam ſimplicitèr recipimus, ſicut aliundè donatam.*

Hinc Nicolius Floſc.*verb. Obſervantes num.*5.ex S.Congr. in *una Capuccinorum* 12.*Novembr.* 1632. dixit:licet Capuccini, & Obſerv. ſint incapaces Legatorum annuorum, non tamen ſunt incapaces recipiendi ſubſidium, quod eis dat aliqua Communitas, vel perſona particularis ad hoc à Teſtatore gravata.

Adverſus uſque nunc reſoluta animadvertunt obſtare, quòd in circumſtan-

ſtantia de gravamine à Teſtatore impoſito hæredibus de conferendo in perpetuum ſtipendium pro victu, & veſtitu Fratrum, falſum ſit Fratres recipere ex mera gratia, & titulo eleemoſynæ. Nàm eleemoſyna conſiſteret in ſolo nomine, at in reliquis de cœtero ejus ſubſtantia deſtrueretur, & tranſiret in purum creditum; ſiquidem in caſu, quo præſtatio non daretur, deberet Judex ipſos hæredes compellere ad illam conferendam, juxta text. in *cap. Exiit* §. *Ad quæ Legata*, ibi: *Et etiam Prælati, & Sæculares, quibus de jure, vel conſuetudine proviſio iſta competeret (cum expedierit) ſe ex officio ſuo promptos exhibeant ad pias voluntates deficientium adimplendas*. Etità, admiſſa actione coactiva, præſtatio non amplius dependeret ab incerta largitione, & pietate Fidelium: quod eſt eſſentiale conſtitutivum eleemoſynæ, per Doctores allegatos in *d. Turritana Legatorum deciſ.* 2. §. *Demùm quòad reliqua*.

41. R. Quanti ponderis ſit animadverſio, non eſt difficile percipere. Nàm Fratres juxtà doctrinam S. Bonaventuræ infrà legendam, ſolùm ex gratia illas ab hæredibus recipere poſſunt; quatenùs verò hæredes difficiles eſſent in implemento vo-

to voluntatis Teſtatoris, poſſunt Fratres humilitèr eos rogare de eleemoſyna, non ſibi tamquam debita jure Legati, vel alio titulo. Undè idem S. Doctor in *cap. 4. Regulæ*, apud Corduba ad *cap. 6. Regulæ qu. 11. verſ. Quartum punctum*, dixit: *Quòd ſi Executores Teſtamentorum, aut Defunctorum retinerent malitiosè pecuniam contra formam Teſtamenti, nec vellent eam concedere alicui pro Fratrum neceſſitatibus, tunc poſſunt Fratres denunciare Ordinariis, & aliis Judicibus prædictis injuriam Defunctorum, & ſuam ſinè Regulæ præjudicio: non tamen judicialitèr petere tamquàm ſuam.*

Quarè illud *denunciare* non accipitur juridicè, ſed ſolùm ex pietate erga defunctos; & propriè importat monitionem, quæ nihil juris operatur in Fratribus, ſed potius paupertatem, & indigentiam ipſorum aperit iis, qui congruè, & legitimè eam ſublevare velint.

42. Enim verò, qua ratione poſſet Judex executor Eccleſiaſticus, vel Laicus actione coactiva procedere adverſus gravatos ad implendam voluntatem Teſtatoris, niſi ab aliquo habente notitiam diſpoſitionis moneretur, aut ei non ſignificaretur diſpoſitionem Teſtatoris imple-

tam

tam non eſſe? Quinàm verò id certiùs poſſunt ſcire, quàm Fratres? Semper tamen caveant à ſcandalo; imò nunquàm juridicè petant, & ſervent diſpoſita in dicto decreto *Cùm ſæpiùs*. Et nunquàm prætendant ſibi præſtationes eſſe civilitèr debitas ex vi actionis ex teſtamento, aut juris ad ipſas, ſed eas ex gratia recipiant, ſi eis liberè ab hæredibus velint dari; vel Judices cogentes hæredes ad ſolvendum eos obligent, ut dent Fratribus per viam eleemoſynæ. Verùm Judex poteſt aliis eas præſtationes applicare, ſi ſibi conſtet Fratres non indigere: quod videtur ſenſus clauſulæ, *cum expedierit*, dicto textui à Nicolao adjectæ. Ideò certitudo eleemoſynæ quò ad Fratres excluditur; nam ſemper recipiunt ex gratia, etenim non ſunt Legatarii neceſſarii; atque ità quidditas eleemoſynæ non infringitur. Vide Portel. *dub. Regular. verb. hæreditas n.*13.

Hìc aliqua occaſione inſtantiæ adnotanda occurrunt.

43. Primum. Quòd quilibet, & etiam Syndicus, ut unus de populo, habità notitiâ de inobſervata diſpoſitione Teſtatoris, ex pietate ergà Fideles defunctos poteſt executivè petere executionem piæ

V diſpo-

diſpoſitionis teſtamentariæ; & pro implemento inſtare: omnes enim leges clamant: pias defunctorum diſpoſitiones eſſe implendas ex dictis ſuprà. Nec parcendum eſt labori, ne animæ Fidelium ſuffragiis debitis defraudentur.

44. Secundùm. Quòd executio, piorum Legatorum eſt mixti fori juxta dictum text. in *alleg. cap. Exiit*. Verùm, ſi gravatus implere ſit Clericus, non poteſt contrà eum Judex laicus procedere. In locis, in quibus eſt erectum Tribunal. R. Fabr. ut in ſtatu Eccleſiaſtico, & Regno Neapolitano, munus Judicis executoris ultimarum voluntatum eſt cumulativè in Ordinariis, & dicto Tribunali.

45. Tertium. Quòd Judex executor ex officio, etiam nemine petente, dummodò de negligentia adimplementi ſit certus, tenetur adverſus gravatos procedere, ut ſolvant, proùt de jure.

46. Quartum. Quòd quævis actio ex obligatione juſtitiæ, quæ in materia Legatorum ad Fratrum utilitates relictorum poteſt intervenire, non conſideratur in ordine ad ipſos, ſed inter perſonas ſequentes finitur, *Teſtatorem, hæredes, ſeù gravatos, & Judicem executionis*.

Pro-

Propterea eſtò hæres ex obligatione juſtitiæ ergà Teſtatorem (adeòque in conſcientia)teneatur ad integrum Legati adimplementum; & in defectum debeat reſtituere: cùm Teſtatori teneatur, à quo ſua bona eo onere ei fuerunt relicta: tamen reſpectu Fratrum implementum non eſt ex debito, ſed eſt opus puræ miſericordiæ, & pietatis; eis enim politicè, & juridicè hæres non obligatur; licèt ex naturali obligatione teneatur, quandoquè Fratribus in eleemoſynam conferre præſtationes Legati abſque tamen ulla obligatione proveniente ex parte ipſorum.

47. Et hic advertas ex contractu Legati duplicem oriri obligationem. Una eſt civilis, ex qua naſcitur actio agendi pro illius executione pro foro judiciali, & externo. Alia eſt naturalis, à qua licèt talis actio pro eo foro non radicetur, attamen obligatus tenetur, dictante ratione in foro interno conſcientiæ, & coram Deo, implere, ex *cap. Cùm tanto de conſuetud.* Quæ naturalis obligatio ex parte hæredum componitur cum arctiſſima paupertate Fratrum Minorum; qui, ea in hæredibus ſtante, in judicio numquàm

poſſunt Legata exigere, ſed præſtationes ſolùm eleemoſynalitèr accipere.

Quæritur. *Quid dicendum de obſtricto obligatione voti ad aliquid dandum Fratribus Minoribus?*

48. R. Tenetur in conſcientia votum implere; ſed Fratres nihil juris poſſunt prętendere adverſus voventem. Quinimò habitâ notitiâ voti, tenentur proteſtari ſe ratione voti nullum jus habere ad rem voto promiſſam. Neque poſſunt eam, etiam in eleemoſynam recipere, niſi indigeant. Quatenùs verò rem oblatam renuerent accipere, vovens ſuæ obligationi dandi illam ſatisfeciſſet.

De Legatis pro Infirmaria diximus *d. tit.* 1. *conſil.* 4. *num.* 9. Et *Offic. Cur. alleg. cap.* 30. *num.* 23.

49. Et ubi ſupra *conſil.* 5. reſolutum eſt, nec Fratres, neque ipſorum Eccleſias poſſe inſtitui hæredes. Undè ipſi, utpotè incapaces bonorum immobilium non ſuccedunt ſuis parentibus, & conſanguineis, decedentibus ab inteſtato, ut ex Portel. ubi *ſupr. num.* 8. Secus dicendum de Religioſis Religionis capacis hæreditatis: nàm tunc jure Religionis ſuccedit Monaſterium.

Diffi-

Difficultas eſt. *An Frater Minor privatus capax ſit Legati annui ſibi in Teſtamento relicti pro ſuis particularibus neceſſitatibus*; ut, *ſi Petrus relinquat Paulo ſua bona ſtabilia cum onere, ut ex illis det ſingulis annis aliquid Fratri N. ex Ordine Minorum ad ſuas particulares neceſſitates ſublevandas*?

50. Negativè cum Portel. *cit. verb. Teſtamentum in addit.* allegante Azorium *tom.* 1. *cap.* 23. *quæſt.* 14. affirmantem nullum Religioſum poſſe legatum ſimilis naturæ acceptare; eſſet enim habere proprium, & annuos redditus, nemini Religioſorum permiſſos, ex *cap.* 2. *Trident. ſeſſ.*25.*de regul.*& diximus *tit.*1.*conſil.*1.*n.*5. Et in fortioribus terminis eos habere nullatenus licet Fratri Minori, proùt in *d.Clementina Exivi §. Cumque annui redditus*. Idem enim tunc eſſet, ac habere ſtabilia, intèr quæ ſimiles redditus ab jure ibidem reponuntur.

Videtur reſolutioni reſiſtere textus in decretis ejuſdem Sac. Congr. pro Ciſmontana Familia; nàm poſtquam §.*Cum annuos redditus* diſpoſuit eſſe à Guardiano gravatis à Teſtatoribus præmittendam proteſtationem, de qua diximus *num*.4. hæc ſubnectit. *Quod totum, & multò fortiùs*

tiùs in relictis Legatis ſingularibus Fratribus ſimili modo faciendum eſſe decernimus. Qua phraſi ſupponitur Fratres privatos eſſe capaces Legatorum.

51. Negatur hoc inferri. Nàm de oppoſito non dubitatur, ut hæc ſonant, ibi: *decernimus, quòd Frater non inducat perſonam aliquam ad eleemoſynam perpetuam Ordini noſtro exhibendam, nec exhibitam à quopiam vivente ſuſcipiat; & ſi aliqua talis nobis fuerit relicta, nullo modo in judicio exigatur: declarantes, quòd ad perpetua Legata petenda non poſſunt Fratres recurrere, niſi humilitèr, & per modum eleemoſynæ abſque allegatione alicujus debiti*. Quibus conſtat nulli Fratrum licere ſe intromittere, ut Fideles pia Legata Ordini, vel Fratribus, etiam particularibus relinquant, ſed eſt id remittendum pietati eorundem.

Quatenùs verò aliquis devotus ſpontè privato, etiam Religioſo aliquod legaret, ipſi perpetuò ab aliqua perſona gravata dandum, non à Fratre ipſo, ſed à Guardiano foret proteſtatio, mutatis mutandis facienda, *ut ſupra*. Qua etiam præſtita, Frater non poſſet ad gravatum pro eleemoſyna recurrere, niſi de licentia Superioris; & in ſolo caſu veræ neceſſita-

ſita-

ſitatis præteritæ, præſentis, vel imminentis, de qua non ipſe,ſed Superior deberet judicium ferre: & in pecunia, deberet non à Fratre, ſed à Syndico recipi.

An verò valeat Legatum factum Religioſo particulari, hac appoſita conditione, *ut non acquiratur Monaſterio*?

52. R. Negativè cum Fagnano *in 3. ad cap. Monachi de ſtat. Monachor. n. 21. & 25.* ponderando, quòd Religioſus nihil proprii poteſt habere, ſed totum eſt Monaſterii, ſi ſit capax, *cap. Nolo*; *cap. Non dicatis* 12. *quæſt.* 1. & *d. cap. Exiit* §. *Ad hæc*, ac *cap.* 2. *Trid. ſeſſ.* 25. *de Regul.* Ideò dicta conditio, utpotè continens repugnantiam, habetur tamquam turpis, & pro non adjecta. Hinc res ea lege legata Fratri Minori, quantùm ad uſum facti (modò non ſit interdictus) acquiritur Conventui, quò vero ad dominium Apoſtolicæ Sedi.

§. VII.

Decretum S. Congregationis ab Urbano VIII. ſpecialitèr præpoſitæ negotiis Fratrum Minorum de Obſervantia.

„ 53 SAcra Congreg. à Sanctiſs.D.N.
„ Fratr. Minor. de Obſer.S.Fran-
„ ciſci Ciſmontanæ Familiæ conſulta-
„ tionibus præpoſita, volens, quantùm
„ poteſt in Domino, ipſorum poſtulatis
„ ſatisfacere circà Novitios ad habitum,
„ & profeſſionem admittendos, Sancti-
„ tate Sua approbante, cenſuit, tunc
„ demùm eſſe illis permittendum, ut
„ Novitios, ut ſuprà recipiant, cùm
„ conſtiterit ex ipſorum Conventibus
„ eos ſuſtuliſſe abuſus omnes, qui Re-
„ gulæ S. Franciſci obſervantiæ adver-
„ ſantur. Quòd ubi præſtiterint, deſi-
„ gnanda erunt loca pro iiſdem Novitiis
„ recipiendis, & præſcribendus recipien-
„ dorum numerus, & qualitas, & alia ad
„ eorum inſtitutionem pertinentia; &
„ proùt unaquæquè Provincia id exe-
„ quetur, eidem receptionem hujuſmo-
„ di forè permittendam.

„ Abuſus verò, quibus eos pro-
„ptereà mederi oportebit, ſunt potiſſi-
„mùm infraſcripti.

„ 54. Ac primùm abdicent à ſe, &
„eorum Conventibus, non ſolùm piſtri-
„na, ac bona omnia immobilia, quæ
„alicubi contrà Regulæ puritatem, &
„declarationes fel.recor. Nicolai III. &
„Clementis V. extrà, vel intrà ſepta
„Monaſteriorum detinent: ſed etiam
„cenſus perpetuos,& Legata annua; ſu-
„per quibus Sac. Congregatio præcipit
„obſervari decretum Congregationis
„Generalis Romæ habitæ *die* 17. *Maii*
„1603. Cujus tenor talis eſt.

„ 55. Cùm annuos redditus, ſicut
„cætera bona immobilia Nobis habere
„non liceat, ideò renovantes alia gene-
„ralia Statuta,decernimus; quòd nullus
„Frater inducat perſonam aliquam ad
„eleemoſynam perpetuam Ordini no-
„ſtro exhibendam, nec exhibitam à
„quopiam vivente ſuſcipiat, & ſi aliqua
„talis nobis.fuerit relicta, nullo modo
„in judicio exigatur: declarantes, quòd
„ad perpetua Legata petenda non poſ-
„ſunt Fratres recurrere, niſi humilitèr,
„& per modum eleemoſynæ, abſque
alle-

,, allegatione alicujus debiti. Decernitur
,, propterea, ac præcipitur per ſanctam
,, obedientiam, quòd quoties relinqui
,, contingat aliqua Legata perpetua ali-
,, quibus perſonis, & hoſpitalibus, vel
,, alicui Republicæ, & aliis domibus,
,, ea Lege, quòd teneantur Fratribus
,, præſtare ſingulis annis certam eleemo-
,, ſynam, ſivè omninò gratis, ſivè, ut
,, ipſi Fratres dicant certa Officia,& Miſ-
,, ſas, quòd Guardianus faciat proteſta-
,, tionem ei, qui Teſtatoris voluntatem
,, adimplere tenetur, quòd ad illas elee-
,, moſynas nullum jus habent ex vi Le-
,, gati, nec poſſunt obligari ad illa Offi-
,, cia, & Miſſas. Si tamen facta iſta prote-
,, ſtatione, hæres ex ſua libera voluntate
,, voluerit dare eleemoſynas illas, &
,, committere Fratribus dicta Officia, &
,, Miſſas, tunc Fratres tutâ conſcientiâ
,, poſſunt eleemoſynas hujuſmodi reci-
,, pere. Quòd totum, & multò fortiùs
,, in relictis Legatis ſingularibus Fratri-
,, bus, ſimili modo faciendum eſſe de-
,, cernimus. Inhibemus autem, nè Syn-
,, dicus in ſua perſona hujuſmodi an-
,, nuos redditus recipiat diſtribuendos
,, ipſis Fratribus.

56. For-

,, 56. Formula proteſtationis videa-
,, tur ſupra *num.4.*
,, 57. Eſt autem hæc proteſtatio ne-
,, ceſſaria, ut optimè decernit D. Bona-
,, ventura hanc diſputans quæſtionem,
,, & ex Apoſtolicis Declarationibus Re-
,, gulæ noſtræ colligitur. Et ut omnibus
,, ſit compertum id, quod tantoperè eſt
,, nobis neceſſarium, ipſam D.Bonaven-
,, turæ quæſtiunculam ex ſuo Apologe-
,, tico deſumptam hic apponere de in-
,, duſtria non gravabimur, quæ talis eſt,
,, ut ſequitur.
,, 58. Cùm aſſeratis vos ſecundùm
,, Regulam, & profeſſionem veſtram,
,, nullos debere recipere proventus red-
,, dituum, ſeù poſſeſſiones, exceptis do-
,, mibus, in quibus habitatis, videmini
,, tranſgreſſores Regulæ veſtræ in eo,
,, quòd recipitis domos, vel areas non
,, contiguas veſtris areis, in quibus ha-
,, bitatis; eodem enim modo, ſi hoc
,, licet, poteritis, etiam vineas recipere,
,, & agros,& manſos, & ſimilia quæque
,, recipere, imò Grangias, & Villas, &
,, Caſtra, & Terras, & Oppida, & quæ-
,, cumque fuerint vobis data, & ſic pri-
,, ſtina paupertas, & mendicitas, quam
pro-

Digitized by Google

„ profeſſi eſtis, paulatim evaneſcet, & „ non eritis diſcipuli S. Franciſci, cùm „ non ſequamini veſtigia ejus, nec ejus „ Regulam teneatis. De domibus enim „ nobis contiguis poteſt eſſe excuſabile, „ quòd pro dilatanda area veſtra illas „ quandoque recipiatis, ſed de aliis non „ ità, in quibus homines alios pro cenſu „ locatis, quem Procurator veſter loco „ veſtri exigit, & in uſus veſtros convertit de voluntate veſtra.

„ 59. Si quis in talibus incautè „ agunt, dolemus, contradicimus, & „ prohibemus. Qualitèr autem in hoc „ licitè agere poſſimus, adverte, & tunc „ non judicabis nos (ſi ſanè intelligis) „ tranſgreſſores. Proteſtamur nos ſecundùm Regulam noſtram nil debere, ſeù „ velle poſſeſſionis, vel certorum redditum recipere, vel habere. Quia verò „ mendici ſumus, & pauperes, ea, quibus „ pro præſenti neceſſitate indigemus, „ ideò recipimus, proùt licet, ſivè pro „ ſolvendis debitis, vel neceſſariis procurandis.

„ 60. Cùm verò aliquis ex devotione vult nobis legare domum ſuam, vel „ aream non contiguam noſtræ manſioni,

„ ni, non recipimus eam per nos, nec „ per interpoſitam perſonam, ut no„ ſtram; ſed ſi ille eam diſponit, per „ alium quemcunque, ut, eâ venditâ, „ de pretio ejus provideatur nobis ex „ parte ſui, in his, quibus tunc indige„ mus, procurandis, vel ſolvendis debitis, „ acceptamus. Si autem ille timeat, nè „ fortè ejus talis diſpoſitio per hæredes „ ſuos, vel alios impoſterùm impedia„ tur, & propter hoc præoccupat robo„ rare illam ſigillo alicujus Judicis, vel „ Civium, vel alterius, &c. & ſic com„ mittit eam alicui amico ſuo, vel Fra„ trum, qui conſervat, quod ipſe diſpo„ nit de domo tali, vel area, nil ad nos; „ cùm de rebus ſuis poſſit ordinare, „ quod vult: nec locum talem, vel do„ mum dicimus eſſe noſtram, cùm nihil „ juris nos in ea proteſtemur habere.

„ Similitèr ſi aliquis diſponeret per „ amicum, vel alium, quòd de pretio, „ vel de proventibus illis, vel illis daren„ tur Fratribus tot panes quotidiè, vel „ tantùm eleemoſynæ ſingulis ſeptima„ nis, aut annis, non eſſemus propter hoc „ prædii, vel reddituum poſſeſſores; nàm „ ſi, me petente eleemoſynam, aliquis

dives

„ dives promittat, quòd ſingulis annis
„ velit dare Fratribus duas tunicas, vel
„ tantùm unam, vel ſingulis hebdoma-
„ dis tot panes, & hoc committat Offi-
„ çialibus ſuis, ut vice ſui iſta dent, etiam
„ eo abſente, & hoc pro Fratribus reci-
„ piam; vel etiam, ſi illi negligant dare,
„ admonendo exigam, numquid pro-
„ptereà certos redditus habere dicendi
„ ſumus? Cùm non ex jure, ſed ex gra-
„ tia ſolùm talem eleemoſynam reci-
„ piamus, vel exigamus.

„ 61. Et ſi poſt obitum illius uxor
„ ejus, vel alii amici pro anima illius ad
„ huc velint aliquo tempore talem no-
„ bis eleemoſynam per ſe, vel ex diſpo-
„ ſitione illius largiri, poſſumus ſimili-
„ tèr accipere ex tali gratia, ità quòd
„ quandocumque nollent amplius iſta
„ dare, nihil peteremus ab eis, quaſi ex
„ debito, ſed more Mendicorum recur-
„ reremus ad domũ clementis Domini
„ pro quotidiana eleemoſyna, quamdiù
„ illi placeret; ſed quando plus nollet,
„ diſcedimus vacui, gratias agentes de
„ dato, non murmurantes de negato. Hęc
„ eſt vera, & pura vita Mendicorum,
„ quod datur ex gratia recipere, non ex
„ jure.

62. De

,, 62. De cenſibus verò domorum
,, Fratribus Legatarum nihil quærimus,
,, ſicut nec de aliis redditibus. Si autem
,, antequàm vendantur, aliquem indè
,, cenſum dare volunt hi, in quorum
,, tunc poteſtate ſunt illæ domus, nihil
,, juris habere in eo proteſtamur, ſed
,, eleemoſynam nobis ſpontè oblatam
,, ſimplicitèr recipimus, ſicut aliunde
,, donatam. Quia verò Dominus docet,
,, *nos cavere ab hominibus*. *Matth.* 10. &
,, Apoſtolus *ab omni ſpecie mala abſtinere*,
,, 1. *Theſſal*:5. ne putemur ab ignoranti-
,, bus tranſgreſſores Regulę noſtræ, debe-
,, mus apertè proteſtari nihil nobis juris
,, in talibus donationibus velle habere:
,, ſicut tenetur ſuſpectus de fornicatione
,, illa cavere, ex quibus poſſet iſta ſuſpi-
,, cio probabilis judicari. Hæc omnia
,, D. Bonaventura.
,, 64. Sed quia in his caſus ſolet ali-
,, quandò venire, quòd annuus redditus
,, ob temporis antiquitatem non compe-
,, riatur habere aliquem patronum, cui
,, fieri debeat talis, ut ſupra proteſtatio,
,, decernimus, quòd in tali caſu ſervetur
,, ſtatutum Ordinis Minorum ſub Paulo
,, II. contentum in Conſtitutionibus *ſuper*

„ *c.6. Reg.& §. Inhibemus.* Quòd nimirum „ hujuſmodi redditus aſſignetur Rectoribus ſpiritualibus, aut temporalibus „ Collegiorum, aut Communitatum, „ Terrarum, aut Civitatum, qui tales „ eleemoſynas, ſivè fructus, vel redditus „ annuos nomine Eccleſiæ Romanæ, vel „ donantium, ſine Fratribus exigant, & „ recipiant: & Fratribus, ſive aliis Sacerdotibus, quando Fratres voluerint tales Miſſas, vel ſuffragia juxta piam intentionem benefactorum, in toto, vel „ in parte ſecundùm quantitatem talium obventionum, dicere faciant.

„ 64 Itèm, ſtatuitur, ut deinceps „ nulla inſtrumenta publica fiant à Fratribus capitularitèr congregatis, nec „ quocumque alio modo ſe habentibus, „ in quibus transferatur dominium, & „ proprietas alicujus Capellæ, ſivè Sepulturæ, cùm hoc omninò ſit contra Regulam, & noſtro repugnet Inſtituto: „ nàm, quomodò aliquis dat, quod non „ habet? Si tamen occaſio ſe obtulerit, „ in quo oporteat ſatisfacere devotę fidelium voluntati, id fiat per modos noſtræ Regulæ, & Inſtituto congruentes. „ Eſt autem proteſtatio prædicta neceſſaria,

,, ria, ne,ut ait D. Bonaventura, ab igno-
,, rantibus noſtrum Inſtitutum , Regulæ
,, noſtræ tranſgreſſores judicemur.Cujus
,, Seraphici Doctoris ſententiam hìc in-
,, ſerendam judicavimus , quatenus è
,, medio tollatur abuſus ignorantiſſimo-
,, rum aliquorum,qui exiſtimantes Cha-
,, ribdim fugere, in Scyllam inciderunt,
,, in favorem Ordinariorum , vel alicu-
,, jus tertii, vel hæredis renuntiantes præ-
,, dicta Legata, quaſi non eſſet opus pro-
,, prietatis, & dominii donare, ſicuti
,, accipere, & ſumma dementia alienum
,, renuntiare.

,, 65 De hujuſmodi autem bonis ,
,, ſeù illorum pretio Generalis,vel Com-
,, miſſarius Generalis unâ cum conſilio
,, Guardiani, & Diſcretorum Conven-
,, tus in uſum Sacriſtiæ,Fabricę Eccleſiæ,
,, & Conventuum provideat , prout ,
,, illorum neceſſitate perſpecta ſalubri-
,, tèr in Domino expedire arbitrabitur .
,, Et de hac proviſione quamprimùm
,, ſacram hanc Congregationem fideli-
,, tèr certiorem faciat.

,, Hanc verò bonorum abdicatio-
,, nem , & Legatorum renuntiationem
,, fuiſſe executioni demandatam, conſta-

„ re debebit huic Sac. Congregationi ex
„ Generalis, vel Commiſſarii Generalis,
„ & Ordinariorum atteſtationibus gra-
„ tis, & abſque ullo Fratrum diſpendio
„ concedendis.
„ 66. Deindè, à Fratribus particula-
„ ribus auferatur cujuſcumque rei pro-
„ prietas, ſi qua ſit, & omnia in com-
„ muni redigantur ad Regulæ, ſacrorum
„ Canonum, Apoſtolicarum Conſtitu-
„ tionum, & Sac. Concil. Trid. diſpoſi-
„ tionem. Potiſſimùm verò tollantur
„ pecuniæ, & quam primùm inſuman-
„ tur in veras, & communes ipſorum
„ Conventuum neceſſitates, idque fiat
„ à Syndicis Apoſtolicis tantùm, itaùt
„ nihil pecuniæ mediatè, vel immediatè
„ ſuperſit in manibus, vel poteſtate Fra-
„ trum, etiam Superiorum.
„ 67. Ad hæc tollantur abuſus Aro-
„ matariarum, ita ut de cetero illæ non
„ retineantur, niſi ad uſum Monaſterio-
„ rum dumtaxàt; nec liceat res illarum
„ cuique vendere.
„ 68. Prætereà, nullo modo habeant
„ in eorum Eccleſiis, vel Sacriſtiis, aut
„ alibi cippos, aut truncos ordinatos ad
„ offerentium, ſeù donantium pecunias,
nec

„ nec capſulàs pro eleemoſynis Miſſa-
„ rum.
„ 69. Ac demùm, Superiores Regu-
„ lares invigilent, ut Fratres communi
„ menſa utantur, divina Officia tempo-
„ ribus debitis recitent, vacent Orationi
„ mentali, & divinum cultum diligentèr
„ exerceant, ac cętera impleant, ad quæ
„ pro Regulæ obſervatione tenentur.
„ 70. Hæc autem ſuperiùs expreſſa
„ fuiſſe ad effectum perducta conſtare
„ debebit eidem Sacræ Congregationi
„ ex atteſtationibus, medio juramento
„ Generalis, aut Viſitatorum, prævia
„ diligenti informatione capta in Viſita-
„ tione ſingulorum Conventuum cujuſ-
„ que Provinciæ. *Romæ* 14. *Junii* 1628.

F. A. Card. S. Honuphrii.

P. Fagnanus Secret.

Lecta, & publicata fuere præfata Decreta die 15. *Junii* 1628. *in Congregatione Fratrum Minorum de Obſervantia in præſentia Illuſtriſs. & Reverendiſs. Card. Gipſii, Præſidentis ejuſdem Congregationis.* Hæc ſunt in *tomo* 4. *Bullarii ad Conſtit. Sacroſanctum Urbani VIII.* 51.

Alia ejuſdem S. Congregationis decreta vide ſuprà §. 1. 2. 3. & 4.

§. VIII.

Decretum Sac. Congregat. Fabricæ Principis Apoſtolorum de Urbe supèr Legatis, relictis PP. Minor. de Obſervantia S. Franciſci.

,, 71 CUm ſæpiùs fuit habitus recur-
,, ſus ad Sacr. Congregationem
,, Vener. Fabricæ S. Petri ſuper annuis
,, Legatis factis, ſeù faciendis ad favo-
,, rem Fratrum S. Franciſci Min. de Ob-
,, ſerv. cum onere Miſſarum, ſeu Offi-
,, ciorum, ſive gratis, ſive alio modo.
,, Prętendente Ven. Fabrica S.Petri
,, ad illam ſpectare propter dd. Fratrum
,, incapacitatem hujuſmodi legatorum.
,, Dictis autem Fratribus alleganti-
,, bus, poſſe annua legata hujuſmodi
,, recipere tutâ conſcientiâ, quatenùs
,, hæres ex ſua libera voluntate voluerit
,, illa dare in eleemoſynã,& committere
,, Fratribus dictis Miſſas, & Officia juxtà
,, ſententiam S. Bonaventuræ, & decreta
,, S. Congreg. à S. D. N. Frat. Minor. de
,, Obſerv. Sancti Franciſci Ciſmontanæ
,, Familiæ Conſultationibus præpoſitæ

ſub

„ *ſub die* 14. *Junii* 1628. publicata.
„ Eadem Sacra Congregatio pro
„ opportuna præmiſſorum proviſione,
„ facta prius relatione S. D. N. Urbano
„ Papa VIII. ac de illius expreſſo ordine,
„ & mandato, decrevit in futurum ſuper
„ hujuſmodi legatis obſervari, ut infra.
„ 72. Quòd hujuſmodi Legata per
„ debitores, vel hæredes non extinguan-
„ tur, vel reducantur per compoſitio-
„ nem cum Miniſtris Fabricę faciendam,
„ vel alio quovis modo, ſed *illorum capi-*
„ *tale, ſive ſors principalis, vel proprietas*
„ *abſque alia diminutione cõſerventur ſemper,*
„ *& perpetuò ad effectum, ut in uſus Romano*
„ *Pontifici pro tempore exiſtenti benè viſos*
„ *poſſint applicari*; Ita tamen, ut quam-
„ diù applicationem ſpecialem Auctori-
„ tate Apoſtolica fieri non contigerit,
„ hæredes, vel debitores poſſint liberè,
„ ſi velint, dictis Fratribus dare dicta
„ annua Legata per eoſdem Fratres reci-
„ pienda in eleemoſynam, non autem
„ per eos exigenda. Et quòd quævis ex-
„ tinctio, reductio, ſeù diminutio capi-
„ talis, ſeù proprietatis, alitèr abſque
„ ſpeciali Romani Pontificis permiſſio-
„ ne facta, eo ipſo nulla ſit, nec Debito-

„ ribus, aut aliis quibuſcumque ſuf-
„ fragetur.
„ 73. Quodquè Commiſſarii, alii-
„ que Miniſtri Ven.Fabricæ ſuper hujuſ-
„ modi capitale, ſeù proprietate ſupra-
„ dicta ſe de cœtero non intromittant,
„ nec dictos hæredes, ſeù debitores ali-
„ quo modo moleſtent, niſi ad effectum
„ reinveſtiendi in caſù reinveſtimenti,
„ ſeù providendi, ut conſervetur, ut ſu-
„ pra, aut aliàs in executionem applica-
„ tionis auctoritate Apoſtolica facta, vel
„ facienda.
„ 74. Et quòd, nolentibus dictis hæ-
„ redibus, vel debitoribus dare ſupradi-
„ ctis Fratribus dictas eleemoſynas, ſeù
„ annuas præſtationes, ſivè Legata, ut
„ ſuprà ſolvere, vel illas, ſeù illa non ſol-
„ ventibus, tunc, & eo caſu lapſis duobus
„ annis à die obitus Teſtatorum, ſi fuerit
„ maturatum Legàtum, vel à die matu-
„ ratæ illius ſolutionis, eadem Fabrica,
„ & illius Commiſſarii, & Miniſtri id
„ totum, quod ſolutum non fuerit pro
„ præteritò, pro rata tamen, in qua fue-
„ rit, ut ſuprà elapſum biennium, vel
„ ultrà, poſſit, & valeat, annuas præſta-
„ tiones hujuſmodi exigere, exigique
face-

,, facere ad ſui beneficium, juxtà ſuas
,, facultates, & Privilegia: *Salvo ſemper*
,, *capitali, ſeù proprietate*, ut ſuprà, ad
,, effectum, quòd hæredes, vel debitores
,, (dummodò de eis per Romanum
,, Pontificem pro tempore exiſtentem
,, alitèr non fuerit diſpoſitum, nec præ-
,, dicta Legata in alios uſus ejus auctori-
,, tate applicata fuerint, vel applicari
,, contigerit) poſſint, ſi velint, quando-
,, cumque futuris temporibus, & dein-
,, ceps in perpetuum *dare dictis Fratribus*
,, *dicta annua Legata in eleemoſynam*, ut ſu-
,, pra: nec Fabrica eoſdem hæredes, vel
,, debitores moleſtare poſſit, & valeat
,, toties, & quoties caſus contigerit, niſi
,, pro præterito: & tunc in illis terminis
,, tantùm, poſt quorum maturationem
,, fuerit elapſum biennium, vel ultrà,
,, ut ſuprà; ſalva ſemper erectione Bene-
,, ficiorum, & applicatione Legatorum,
,, ſeù quorumcumque bonorum, & red-
,, dituum, ac jurium eiſdem Beneficiis,
,, ſeù aliis uſibus piis auctoritate Apo-
,, ſtolica facta, vel impoſterum quando-
,, cumque, & quomodocumque facien-
,, da, & executione Litterarum Apoſto-
,, licarum deſuper expeditarum, ſeù ex-

,, pediendarum. Itàut præfata decreta ad illas nequaquàm ſe extendant, ſed ,, illæ ſemper firmæ, & illæſæ remaneant, ac ſuos plenarios, & integros ,, effectus ſortiri debeant, ità quòd neque Fabrica, neque hæredes, vel debitores prefati ullo modo illas impedire, ,, retractare, vel controvertere valeant; & ,, ſalvis ſemper Sedis Apoſtolicę auctoritate, & facultatibus competentibus dictæ S. Congregationis Ven. Fabricæ.

,, 75. Prohibuit eadem Sacra Congregatio Fratribus ſupradictis *ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, nè audeant, ſeù præſumant, nec quilibet eorum andeat, ſeù præſumat per ſe, nec per alios, Syndicos, Miniſtros, ſeù Procuratores, tàm Sæculares, quàm Regulares dictas annuas præſtationes, ſeù Legata, nec judicialitèr, tàm coràm quocumque Judice Eccleſiaſtico, quàm Sæculari, Ordinario, vel Delegato, nec aliàs, niſi juxtà formam dicti decreti Congregationis Fratr. Minor. de Obſerv. S. Franciſci Ciſmontanæ Familiæ à S.D.N. deputatæ, ab hæredibus, ſeù quibuſvis aliis eorum debitoribus petere*; ,, minuſve dictis hæredibus, ſeù debitoribus facere aliquas receputas pro dictis annuis præſtationibus, niſi pro rata, & pe-

,, & pecunia, ſeù eleemoſynis ſupradictis
,, cum effectu,ac verè,& realitèr eiſdem
,, Fratribus data,vel ſoluta, ſeù datis, vel
,, ſolutis: nec ſub alia data, niſi ſub ea,
,, qua verè fuerit iiſdem Patribus, aut
,, aliis pro eis facta realis ſatisfactio; &
,, inſuper, nè Proviſos Apoſtolicos pro
,, tempore de Beneficiis, quibus Legata
,, ſupradicta fuerint applicata, vel eo-
,, rum Procuratores, & Miniſtros ſuper
,, erectione dictorum Legatorum dire-
,, ctè, vel indirectè, impedire, vel mole-
,, ſtare quovis quæſito, colore, vel præ-
,, textu audeant, vel præſumant. *In quorum fidem &c. Datum Romæ, &c. die* 14.*Februarii* 1633.

§. IX.

Conſtitutio Clementis X. confirmantis Decretum S.Congr. in cauſa Turritana Legatorum.

,, 76 CLemens Papa X. Ad futu-
,, ram, &c. Nuper pro parte
,, dicti Filii Syndici Apoſtolici Conven-
,, tus S.Petri de Syrchis in Sardinia Ordi-
,, nis S.Franciſci de Obſerv.&c. Congre-
,, gationi Fratrum noſtrorũ S.R.E. Cardina-

„ dinalium, negotiis,&c. Epiſcoporum, „ & Regularium præpoſitæ expoſito, „ quòd quondam Petrus Moros de Mo- „ linos in ſuo ultimo Teſtamento,quod „ anno 1645. condiderat, diverſa annua „ Legata pro Miſſis per Fratres dicti Or- „ dinis celebrandis fecerat, modo ſe- „ quenti: *Primò mando, quòd meus hæres teneatur expendere pro confectione tumuli, & exequiarum quolibet anno libr. 25. pro una Miſſa cantata, & aliis ſexdecim Miſſis pro animabus meorum Parentum celebran. à Fratribus Franciſcanis S.Petri de Syrchis, & pro hoc Legato volo, quòd ſint perpetuò obligata bona mea.* Item, *volo, quod dictus meus hæres ſolvat ex dictis bonis meis quolibet anno lib.40. quæ inſerviant pro oleo lampadis meæ Capellæ majoris in dicta Eccleſia S.Petri.* Item, *relinquo in perpetuum Miſſas ſeptem qualibet hebdomada pro Animabus Purgatorii,&c. & eleemoſyna ſit ſeptem ſolidorum pro qualibet Miſſa, &c. & proprietas illarum eſt 1400. libr. quæ ſit ſuper domo mea, in qua habito.* Item, *relinquo pro eleemoſyna dicto Conventui S.Petri de Syrchis lib. 300. ut illæ applicari debeant per meos Curatores in loco ſecuri ad rationem lib. 24. annuarum, & inſerviant pro emendis linteaminibus pro pauperi-*

peribus Fratribus infirmis. Item,*quia D.Mater mea reliquit, ut dicantur duæ Miſſæ perpetuæ qualibet hebdomada à dictis Fratribus, mando, quòd ſuper bonis meis ſolvantur quolibet anno lib.*28. Item, *quia D. Pater meus reliquit unam Miſſam perpetuam qualibet hebdomada celebran. à dictis Fratribus, & reliquit pro eleemoſyna cenſum libr.*150. *debitum à Gavino Aduano, &c. quatenùs perdiderint ſupradictum, mando, ut meus hæres ſolvat lib.*11. *annuas, &c.* & factis aliis plu-
„ ribus Legatis profanis,&c.inſtituit ſibi
„ hæredem Deum, & animam ſuam,
„ mandans ſuis Execquutoribus,ut,adim-
„ pletis, & ſatisfactis Legatis, inſtitue-
„ rent unam tertiam dignitatem Archi-
„ diaconalem in Cathedrali Turritana,
„ cum annuo redditu lib. 1000.Et de reſi-
„ duo, unum, vel plures Canonicatus
„ ſecundùm caducitatem bonorum ſuo-
„ rum, & aliàs,proùt in dicto Teſtamen-
„ to dicitur uberiùs contineri.

„ 77. Et ſubindè in executionem di-
„ cti Teſtamenti unus Canonicatus, &
„ unusArchidiaconatus in Eccleſia Tur-
„ ritana erecti fuerant; dictus Achidia-
„ conatus, ex diſpoſitione ejuſdem Pe-
„ tri teſtatoris collatus fuerat quondam
Dida-

„ Didaco Moros ejus Fratri Germano,
„ Exequutori Teſtamentario, qui bona
„ fide, dum in vivis erat, eadem Legata
„ pia adimpleri curaverat; verùm poſt
„ ejus obitum de eodem Archidiacona-
„ tu proviſus fuerat dilectus Carolus de
„ Capudoro, ad cujus favorem dilectus
„ filius Pro-vicarius Generalis Turrita-
„ nus, neſciebatur quo jure, declarave-
„ rat: *Fratres Minores prædictos Legatorum*
„ *capaces tantùm, factorum pro oleo lapadis,*
„ *& linteaminibus infirmorum, & incapaces*
„ *pro reliquis*, quæ Archidiacono prædi-
„ cto adjudicaverat, proùt in ejus ſen-
„ tentia dicitur contineri; undè dictus
„ Syndicus, *tamquàm unus de Populo*, pro
„ ſuffragio animarum, pro quibus inſti-
„ tuta fuerunt dicta Legata pia, & pro
„ ſua pietate erga dictos Fratres de Ob-
„ ſervantia, qui in magna neceſſitate
„ propter eleemoſynarum deficientiam
„ in prędicta Inſula Sardiniæ reperieban-
„ tur, proùt ex atteſtatione juratorum,
„ & Officialis Civitatis Turritanæ con-
„ ſtare dicebatur: Nobis humilitèr ſup-
„ plicaverat, ut omnimodum adimple-
„ mentum Legatorum, prædictorum
„ Ven. Fratri Archiepiſcopo Turritano,
non

„ non obſtante prædicta Pro-Vicarii Ge-
„ neralis ſententiâ, committere de beni-
„ gnitate Apoſtolica dignaremur.
„ 78. Inſtantia verò hujuſmodi ad
„ prædictam Cardinalium Congrega-
„ tionem à nobis remiſſa, & de manda-
„ to ipſius Congreg.citato dilecto, etiam
„ filio Alexandro Bulla ſupradicti Ca-
„ roli de Capudoro Archidiaconi Pro-
„ curatore, Syndicus prædictus pluri-
„ mùm cupiebat declarari, prædictos
„ Fratres Minores de Obſervantia poſſe
„ recipere præinſerta annua Legata Miſ-
„ ſarum, per modum puræ, & ſimplicis
„ eleemoſynæ, juxta doctrinam S.Bona-
„ venturæ in quadam Conſtitutione fel.
„ rec. Urbani Papæ VIII. prædeceſſoris
„ noſtri, cujus initium: *Sacroſanctum Apo-*
„ *ſtolatus Miniſterium, &c.* proindè de-
„ bere dictum Archiepiſcopum Turri-
„ tanum, tamquàm executorem ulti-
„ marum voluntatum, & præcipuè pia-
„ rum, curare omnimodum adimple-
„ mentum eorum Legatorum, & vo-
„ luntatis dicti Petri teſtatoris, compel-
„ lendo hæredes, & detentores bonorum
„ ad ſatisfactionem, nè animæ ejus Au-
„ ctorum, & Benefactorum ſuffragiis
de-

„ defraudatæ remanerent; emanavit ab
„ eadem Cardinalium Congregatione
„ decretum tenoris, qui ſequitur. *Sac. Congreg. EE. S. R. E. Card. negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, Procuratore Archidiaconi Turritani ſæpius citato, referente Eminentiſs. D. Cardinali Portocarero, decrevit eſſe dandas declarationes ſæpè aliàs factas, videlicet, Fratres Minores de Obſervantia non poſſe poſſidere cenſus, & bona ſtabilia, poſſe tamen recipere per viam eleemoſynæ, quidquid eis traditur ab executoribus ultimarum voluntatum pro celebratione Miſſarum, & Anniverſariorum; & propterea committendum, proùt præſentis decreti tenore committit, Archiepiſcopo Turritano, ut ad limites prædictæ declarationis in cauſa, de qua ſuprà agitur, procedat, & ad illius obſervantiam, quantùm opus fuerit, juris remediis, & in ſubſidium, etiam cenſuris Eccleſiaſticis compellat. Romæ 3. Auguſti* 1674. *Cardinal. Brancacius.*

„ Cùm autem, ſicut dictus Syndi-
„ cus Nobis ſubindè exponi fecit, ut de-
„ cretum hujuſmodi firmiùs ſubſiſtat, &
„ obſervetur exactiùs, Apoſtolicæ No-
„ ſtræ confirmationis patrocinio com-
„ muniri ſummoperè deſideret. Nos
ipſum

„ ipſum Syndicum,&c. abſolventes,&c.
„ ſupplicationibus ejus inclinati,&c.De-
„ cretum preinſertum Authoritate Apo-
„ ſtolica tenore præſentium approba-
„ mus, & confirmamus, illique invio-
„ labilis Apoſtolicæ firmitatis robur
„ adjicimus, &c. ſicque in præmiſſis
„ per quoſcumque Judices, &c. irri-
„ tum, &c. *Datum Romæ apud S. Mariam*
„ *Majorem die* 22. *Auguſti* 1674. Pontifi-
„ catus noſtri anno quarto, &c.

59. *Decretum S. Congregat. Epiſcop. & Regul.in una Lucana ſub die* 26.*Martii* 1677. *ut in Regeſto ejuſdem: Oſſervanti di Lucca.* Sac. Congreg. &c. *Sæpiùs declaravit Fratres Minores de Obſerv.S.Franciſci, quamvis, attenta diſpoſitione,* Exivi de Paradiſo *Clement. V. & conſtitut. Nicolai III.* Exiit, *ſint incapaces obtinendi cenſus perpetuos, & bona ſtabilia, poſſe tamen per viam puræ, & ſimplicis eleemoſynæ recipere, quidquid ab Executoribus ultimarum voluntatum eis traditur, pro celebratione Miſſarum, pro ornamento Eccleſiæ, aliiſque neceſſariis procurandis juxtà doctrinam D. Bonaventuræ relatam* in Conſtit. ſan. mem. Urbani VIII. incipiente, Sacroſanctum Apoſtolatus Miniſterium; *atque in præfatis caſibus dictos Executores ulti*ma-

timarum voluntatum curare debere, ut hujuſmodi piæ petitiones adimpleantur, nè Teſtatorum Animæ debitis ſuffragiis defraudatæ remaneant; quam quidem declarationem, illiuſque tenorem in caſu, de quo agitur, eadem Sac. Congreg. ſervari præcepit, committendo Ordinario Lucenſi, pro tempore exiſtenti, ut, quatenus alius Executor non exiſtat, prænarratam pii Teſtatoris diſpoſitionem executioni demandet, &c.

Decretum Sacræ Congregationis Fabricæ editum 15. *Decembris* 1646. *ad providendum indemnitati Fratrum in annuis Legatis, & occurrendum hæredum, vel Executorum malitiæ.*

„ 80. Sacra Congregatio Generalis „ R. Fabricæ S. Petri de Urbe ad conſulendum, non minùs indemnitati Fratr. „ Ord. Minor. de Obſerv. S. Franciſci, „ quàm providendùm malitię hęredum, „ & aliorum quomodolibet obligatorum, qui differunt ultrà biennium illis „ ſolvere annua Legata pia cum onere „ Miſſarum, ſeù Officiorum, vel, etiam „ gratis, dictis Fratribus, ſeù eorum Eccleſiis relicta, ac in futurum relinquenda, ſub ſpe poſteà ſuper illis pro „ minori ſumma ſe componendi cum Com-

„ Commiſſariis, & aliis R. Fabricæ Mi-
„ niſtris, & Officialibus, prohibuit, &
„ expreſsè mandavit Commiſſariis, Eco-
„ nomis, Secretariis,& aliis quibuſcum-
„ que Officialibus, & Miniſtris R. Fabri-
„ cæ præſentibus, & futuris, tàm Urbis,
„ & Status Eccleſiaſtici, quàm Regni
„ Neapolitani, & aliorum quorum-
„ cumque Locorum, ſub pœnis arbi-
„ trio ejuſdem Sac.Congr. nè de cœtero
„ cum hæredibus, vel aliis quomodòli-
„ bet obligatis ad ſolutionem dictorum
„ Legatorum, ad aliquam compoſitio-
„ nem, remiſſionem, vel tranſactionem
„ deveniant, ſed ab illis omnes annatas
„ ſuprà biennium decurſas, & non ſolu-
„ tas, integralitèr exigant, & exigere
„ faciant in beneficium dictæ R.Fabricæ
„ ſinè relaxatione alicujus minimæ por-
„ tionis, ſeù quantitatis, ſervato in reli-
„ quis tenore Decreti in hac materia ab
„ eadem Sac.Cogreg. editi *ſub die* 14.*Fe-*
„ *bruarii* 1633.& compoſitiones, &c. eo
„ ipſo nullas,& irritas eſſe decrevit,man-
„ dans, &c.

***

Y §. X.

§. X.

Epiſtola S. Congregat. R. Fabricæ concernens capacitatem Fratr. Minor. de Obſerv. circa Legata.

„ 81. Molto Rev.mio Amatiſſimo.
„ Hà fatto rappreſentare à queſta Sacra
„ Congregazione della Fabrica il Padre
„ Commiſſario di Corte della Religio-
„ ne de' Minori Oſſervanti di S. France-
„ ſco, come la q. Bartolomea Ginchelli
„ da Ancona, laſciò al Convento di det-
„ ta Città annui ſcudi cinque, perche li
„ celebrino un'Officio con trenta Meſſe;
„ e, che gl' Eredi ricuſano pagarglieli,
„ ſotto preteſto della loro incapacità:
„ Queſta Sac.Congregatione altre volte
„ dichiarò detti Frati capaci per mo-
„ dum eleemoſynæ: *però provederete il*
„ *Legato ſi eſeguiſca, nè ſotto il detto preteſto*
„ *li Eredi ritardino il pagamento*: Gover-
„ nandovi conforme al Decreto fatto in
„ queſta materia, e conſervatevi. *Roma*
31.*Decembre* 1634. Tutto voſtro:
Il Cardinal Lante.
Andrea Ghetti Economo.

Alia

Alia ejuſdem Epiſtola.

„ 82. Molto Rev.mio Amatiſſimo.
„ Per parte delli Frati Minori Oſſervan-
„ ti di S. Franceſco d'Offida è ſtato rap-
„ preſentato à queſta S.Congregazione,
„ che il Capitano Alfonſo Paolini per
„ il biſogno, che tenevano d'augmenta-
„ re il loro Orto, gli laſciò certo ſito à
„ quello contiguo,con peſo d'una Meſſa
„ la ſettimana. E perche a detti Padri è
„ permeſſo ritenere ſimili Orti per gli
„ erbaggi neceſſarj,non ſolo non li proi-
„ birete, ma operarete ancora con la
„ voſtra autorità, che detti Padri goda-
„ no il benefizio di detto Legato, facen-
„ dogli dagl'Eredi conſegnare detto Or-
„ to laſciatoli, e conſervatevi. *Roma li* 2.
„ *Novembre* 1641. Tutto voſtro: Il Car-
„ dinal Lante. Andrea Ghetti Econo-
„ mo. Apud Pitonium.
„ *Decretum S. Congr. Conc. in Faventina*
„ *Legatorum.*
„ 83. In aſſignatione bonorum facta
„ per Conſtantiam Severolam, anno
„ 1657. ad effectum fundandi in Terra
„ Mutilianæ, vel beneficium Eccleſiaſti-
„ cum, vel Monaſterium Monialium,
„ tria onera Fundatrix impoſuit. Pri-

„ mum, annuæ præſtationis, libr. 100.
„ olei pro manutentione lampadis antè
„ Sacras Reliquias in Eccleſia PP. Ca-
„ puccinorum dictæ Terræ. Secundum,
„ libr.25. ceræ albæ pro uſu ejuſdem Ec-
„ cleſiæ. Et tertium denique, unius fer-
„ culi valoris ſolidorum 20.ipſis PP.Ca-
„ puccinis per ſingulas hebdomadas ſub-
„ miniſtrandi.

„ Secuta de anno 1686. Monaſterii
„ fundatione, recuſarunt Moniales ſub-
„ miniſtrare dictas præſtationes, ſub præ-
„ textu omnimodæ incapacitatis Fratr.
„ Capuccinorum. Quarè ad inſtantiam
„ Alexandri Ronconi, tamquàm unius
„ de Populo, citatis, & informantibus,
„ quoque Monialibus, declarari humili-
„ tèr ſupplicatur.

I. *An Monaſterium Monialium teneatur ſubminiſtrare ſingulis annis dictas libr.* 100. *olei, &* 25. *ceræ albæ pro uſu Eccleſiæ Fratr. Capuccinorum?*

II. *An ſimilitèr teneantur præſtare ſingulis hebdomadis ſupradictum ferculum bononenorum* 20. *pro ipſis Capuccinis?*

Die 2.*Martii* 1697. S.C.C. *ad primum* reſpondit *affirmativè*.

Ad ſecundum, *ſervanda eſſe decreta Con-*

Congreg. Fabricæ die 14. *Februarii* 1633.

Votum Rotæ in Turritana Legatorum, quæ recenſentur ſuprà in Conſtitutione Clementis X. *num.*76.

84. *Rota per rationes deductas in poſtrema ex ſupraſcriptis Deciſionibus* (editis reſpectivè 10. *Januarii* 1695. & 6. *Aprilis* 1696. coram Emerix, quas non refero, nè ab intento brevitatis deflectam: Et poſſunt videri, tùm apud Monacellum in *formul.tom.*2. *in appendice*: tum apud de Luccia in *tr. de Legatis pro victu Religioſ. Mendicant.n.*351.*&* 358.)*eſt in voto Legata, de quibus agitur, deberi, & eſſe adimplenda juxtà modum in ea expreſſum*. Primò nempè, *deberi, & eſſe adimplendum Legatum relictum Capellæ majori pro oleo lampadis*.

Secundò, *abſolutè loquendo, non deberi Legatum pro ſyndonibus relictum ad uſum infirmariæ, ſed eſſe adimplendum ex parte hæredum, ſeù executorum in ipſamet ſpecie, & juxtà majores, vel minores indigentias ejuſdem infirmariæ arbitrio Ordinarii, ſecluſa ex parte Fratrum quavis inſtantia, & facta prius per ipſos ſolemni proteſtatione ſe nullum jus habere ad illius conſequutionem*.

Tertiò demùm, *reliqua Legata pro Anniverſariis, & Miſſis ſimilitèr non deberi*;

ſed nihilominus teneri hæredem, ſeù Executorem ad eorum implementum, committendo celebrationem Miſſarum, vel ipſiſmet Fratribus, vel aliis juxtà rationabile arbitrium ejuſdem Ordinarii: qui ulterius poſſit, ſi rei neceſſitas exigat, applicare Archidiacono partem proventuum ad hunc effectum relictorum, injuncta illi proportionabili Miſſarum celebratione: prout latius declaratur in eadem poſtrema deciſione.

Alexander Urſinus S.R.E.Decanus.

Rationes, propter quas S. Rota inducta eſt ad præjactas reſolutiones edendas, recenſentur in §.§. reſpectivè in præſenti Conſilio examinatis, & pro veritate facili methodo reſolutis.

§. XI.

Aromatariæ Fratrum Minorum.

85. OCcaſione decreti allegati *nu.* 67. examinatur: an liceat Fratribus Minoribus, Sæcularibus, aliorumque Ordinum Religioſis vendere res Aromatariarum, quas in Conventibus retinent ad uſum ſuorum infirmorum? Fundamentum dubitandi ſubnaſcitur propter decre-

decretum S. Congregationis Concilii 7. *Septemb.* 1647. quæ cenſuit, poſſe Regulares vendere Theriacam, Hyacintum, & Chimica; dummodo hæc poſtrema non ſint præparata, & compoſita, ut decrevit Sac. Congregatio Viſitat. Apoſtol. 22. *Decembr.* 1662. pro Regularibus Urbis, ejuſque diſtrictu.

86. Reſolutionem tamen dictæ Sac. Congregationis non ampliari ad Fratres Minores dubium eſſe non poteſt juxtà *Regul.* 81. *jur. in* 6. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimilitèr conceſſurus*. Oportet itaque, ut de illis fiat ſpecialis expreſſio, ut comprehendantur, & abſoluta locutio eos non afficit, propter altiſſimam paupertatem, cujus ſunt profeſſores, à qua inhabiles ſunt ad dominium, vel transferendum, vel recipiendum, prout opus eſt in vero venditionis contractu. Propter quod licèt Innocentius XII. *in Conſtit. nupèr de celebrat. Miſſar.*§.28.generalitèr præcipiat Regularibus cum expreſſa derogatione omniū, quæ poſſent obſtare, ut aſſervent in capſula ſub duplici clave eleemoſynas pro Miſſis, attamen ſub diſpoſitione Fratres Minor. Obſervantes non compræhendi

reſpondit Sac. Congregatio Concilii, ex adnotatis *tit. priori conſ.3.n.38.* & indè ipſi tenentur religiosè parere enunciato decreto *in* d. *num.*67. eſcripto, quod per ſe ipſos res aromatariæ vendi omnino prohibet.

87. Si tamen occurreret hypotheſis, quòd ex cõſuetis eleemoſynis, vel per recurſum ad amicos ſpirituales (quia nullus reperiretur, qui vellet onus ſubire) non poſſent in levamen Fratrum infirmorum Aromatariȩ de medicinalibus ſufficientèr provideri, tunc liceret Aromatario de licentia Generalis, vel Provincialis tradere petentibus medicamenta ſuperiùs expreſſa, aut alia quoque ad menſuram indigentiæ, eaque commutare in res opportunas ad medicinalia conficienda, zacharum, aromata &c., quæ iidem offerrent, ex reſolutis in *cap.exiit de verb. ſignif. in* 6. §. *Quia verò libros*, ibi: *& alia mobilia interdùm contingit, ſeù expedit vendi, vel etiam commutari.* Inter mobilia autem, medicamenta recenſeri notum eſt: at quæ major utilitas, imò neceſſitas, etiam ex mente ſaltèm implicita S. Patris, ut ea commutentur, quàm ubi ceſſant eleemoſynæ, nec adeſt Amicus ſpiritualis

ad erogandas pecunias in pharmaca ad effectum elevandi neceſſitates infirmorum? quos adeò Miniſtris, & Cuſtodibus ſummoperè ipſe commendavit, eiſque in *cap*.4.Regulæ recurſum prędictum iniunxit; & hinc commutatio illa foret in ſubſidium utriuſque,ac de interpretativa intentione S. Franciſci.

88. Quin etiam, ſi neque commutatio ſufficeret ad congruam medicinalium proviſionem pro infirmis Fratribus, poſſent medicamenta per Syndicum, vel ejus Subſtitutum, æſtimato pretio vendi,ut apertè deducitur ex *alleg. cap. & d.* §. *verſ. Si verò*, à quo juxtà textum eſſet pretium recipiendum, & per eum in res medicinales erogandum. Sed ad fraudes evitandas, & occurrendum abuſibus,quos eadem Sac.Congr. in ſæpè citato decreto *num*.67. tolli voluit, nonnullæ cautelæ in praxi obſervandæ proponuntur.

89. I. Ut veræ eleemoſynæ ceſſent, & ſit fruſtraneus recurſus ad Amicos ſpirituales.

II. Ut neceſſitas ſit vera, præterita, præſens, vel imminens à Superiore approbata; qui, ut ſufficientèr ſit de illa inſtru-

inſtructus, debet ſingulis annis recognoſcere ex libro in Aromataria, & alio penès Syndicum aſſervatis, tùm eleemoſynas, tùm ſumptus.

III. Ut pecuniæ à Syndico, ejuſve Subſtituto recipiantur; in libro ad hoc deſignato notentur, & per eos in ſolos uſus præfixos pro pharmacis infirmorum Fratrum convertantur.

IV, Ut Fratres circa eleemoſynas non ſe ingerant: quorum partes ſunt tantùm neceſſitates Syndico ſignificare.

V. Ut Aromatarius à negotiatione temperet.

VI. Ut neceſſitate ceſſante, ceſſet venditio per Syndicum.

Expedit etiam, ad removendam quoque ſpeciem mali, ut Aromatarius inſtruat petentes medicamenta, quòd illorum pretium non cedat ad relevandam mendicitatem Fratrum ſanorum, quoad victum, & veſtitum, utpote taxatum pro pharmacis pro infirmis, privativè quoad alios.

90. Singulæ ferè hujuſmodi reſtrictivæ præſcribuntur à Paolo V. qui ſub *anno* 1607. petente pro ſecuritate conſcientiæ P. Archangelo de Meſſana Miniſtro Gene-

Generali, confirmavit vivæ vocis oraculum à Greg. XIII. factum P. Gonzagæ, aſſervandi in Aromatariis indigentibus capſulam, in qua reponerentur eleemoſynæ in compenſationem medicamentorum, vel ex gratitudine à recipientibus oblatæ: cujus clavis exiſteret penès Syndicum Apoſtolicum. Subindè exhibitis Sac. Congreg. Epiſcop. & Regul. precibus pro confirmatione conceſſionis ipſa ſuo decreto *petitam facultatem conceſſit, ſervatis tamen omnibus conditionibus, & reſtrictivis in conceſſione à ſa. me. Paulo V. facta, præſcriptis, & præſertim: quòd pecuniarum exactio fieri debeàt à Syndico Apoſtolico cum aſſiſtentia Guardiani, Diſcretorum, & Aromatarii pro tempore: illaque in particulari libro deſcribatur: & in alios, quam in ſuperenarratos uſus minimè erogetur.* Romæ 23. Februarii 1679.

91. Attamen, quamquàm decretum quòad cœtera poſſit ad praxim tutò deduci (ſemper neceſſitate urgente) pro Fratribus infirmis, numquàm tamen quantùm ad retinendum in Aromataria capſulam pro eleemoſynis aſſervandis; quoniam hac in re opponitur *Clementina Exivi de Paradiſo de verb. ſignif.*

in

in qua Clemens V. §. *Quocirca* Fratribus prohibet *retinere cippos, vel truncos ordinatos ad offerentium, ſeù donantium pecunias reponendas*. Idcircò cenſetur, Religionem illud, quòad illam clauſulam numqàm acceptaſſe, cùm ejus mens ſit nullatenùs admittere diſpenſationem ullam, vel conceſſionem Apoſtolicam, quæ repugnet ſtrictæ obſervantiæ Regulæ, & Declarationibus Nicolai III. & Clementis V. ſed omnibus ex animo renunciat juxtà proteſtationem, quæ ſolet in omnibus Capitulis generalibus ſincerè præmitti.

Quæ præſenti §. notavimus ſub cenſura ſint dicta, *cum noſtrum non ſit* relaxare rigorem puritatis Regulæ, ſed potiùs cum ſtricta ejus obſervantia modum, proponere juxtà dictas Declarationes, ut poſſint ergà infirmos, etiam per pharmacorum remedia exerceri officia charitatis, & pietatis functiones tantò amoris fervore Miniſtris,& Cuſtodibus à S.Patre commendata. Sed vitentur abuſus, nec in fraudem paupertatis quidquam agatur; ſuper quo oportet Superiores eſſe ſummoperè vigiles.

CON-

CONSILIUM II.

An Fratres Minores poſſint ſe componere cum hæredibus Teſtatorum ſuper Legatis?

SUMMARIUM.

1 *Fratres Minores ſunt incapaces ad tranſactiones inſtituendas.*
2 *Tranſactio duplex, generalis, & ſpecialis.*
3 *Capitalia Legatorum cum onere celebrationis Miſſarum debent inveſtiri in bonis immobilibus.*
4 *Nec poſſunt ſinè licentia Sedis Apoſtolicæ alienari.*
5 *Super Legatis relictis favore Fratrum Minorum nullus poteſt tranſigere, & capitalia extinguere.*
6 *Concordia ſuper legatis reſciſſa à S.Congr. Concilii.*
7 *Decretum confirmatum à Papa, factum eſt Papæ.*
8 *Opinio Roderici, & Lantuſchæ.*
9 *Reprobatur.*

10 *Or-*

10 *Ordo ſemper rejecit diſpenſationes relaxativas puritatis Regulæ.*
11 *Legata immediatè Fratribus facta, quòad eos caducantur.*
12 *Non verò quoad opus pium adjectum Legatis.*
13 *Epiſcopus ex officio eſt Judex executor Teſtamentorum.*
14 *Opus pium eſt privilegiatum.*
15 *In diſpoſitionibus Teſtamentariis eſt facienda benigna interpretatio.*
16 *Conceſſio Pauli IV. non percutit Legata annua.*

1 JAM conſtat ex ſuperiori conſilio Fratres, inſpectâ puritate ſuæ profeſſionis, nullum jus habere, aut poſſe prætendere, tàm in capitali, quàm in prẹſtationibus Legatorum, à Fidelium pietate ad ſublevandas ipſorum neceſſitates diſpoſitis. Quod non modò procedit, quando gravantur hæredes, ut præſtationes in eleemoſynam eis conferant; ſed in fortioribus terminis, quando Legata ſunt, etiam Fratribus directè facta, vel ſors principalis ipſis legatur ad effectum, ut ex illa annuos proventus recipiant (quorum nullatenus ſunt capaces) & in-

& indè in conſequentiam de neceſſitate venit eorum incapacitas ad conventiones faciendas cum hęredibus per compoſitionem, tranſactionem, vel aliàs: cùm ſimilia ex ſui natura ab eo exire petant, qui de re poſſit diſponere, & civiles, & obligatorios contractus inire.

2. Quod eſt planè communitèr à Doctoribus receptum, ſivè tractetur de compoſitione, & tranſactione generalitèr, proùt importat actum, quo concordia inducitur, vel ab obligatione receditur, aut negocium quocumque modo ad finem perducitur, etiam de re, quæ nunquàm fuit in controverſia *l. tranſacta de verb. ſignif.* ſivè de ſpeciali, & propriè, ut nimirum idem eſt, ac conventio, qua à lite jàm mota, vel movenda, aliquo dato, vel retento, vel promiſſo receditur, & controverſia deciditur *tot. tit. & ff. de tranſact.*

3. In caſu Legati caudati onere Miſſarum celebrandarum, nullatènus dubitatur de inhabilitate procedendi ad compoſitionem cum hæredibus, vel aliis gravatis quòad implementum: nàm extinctio capitalis prohibetur omninò in conſtitut. Innoc. XII. *incip. Nuper de celebrat. Miſſar.*

Miſſar. in qua §.*Præterea*, Pontifex ſtatuit, & decrevit, *ut pecuniæ, ac bona immobilia Eccleſiis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſteriis, Conventibus, ac Locis omnibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, atquè illorum perſonis in futurum ſimplicitèr acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda à die realis acquiſitionis, ſtatim deponi debeant penès Ædem ſacram, vel perſonam fide dignam, & facultatibus idoneam ad effectum illa, ſeù illorum pretium quamprimùm inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.*

4. Et §. 7. *Ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium ſub eadem pœna, ut ſupra, deponi, atque in aliis bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum ejuſdem oneris repetitione, atque annexione converti debet.* Qua quidem manifeſtiſſima diſpoſitione Sanctæ Sedis intentum fuit providere, nè unquàm ad extinctionem capitalium procederetur, ſed ex integro conſervarentur, ut implementum, ut par eſt, Legata tem-

temporibus ſtatutis aſſequerentur.

5. Quantùm verò ad Legata annua in ſpecie facta favore Fratr. Minor. de Obſerv. tàm gratis, quàm aliquo onere gravata ſub 14. *Februarii* 1633. emanavit à S. Congr. R. Fabricæ S. Petri decretum *Cùm ſepiùs* approbatum ab Urbano VIII. quod refero *conſil. prior. num.* 71. In quo §. 1. prohibetur quævis *extinctio, reductio, & diminutio capitalis, & proprietatis per compoſitionem cum Miniſtris Fabricæ, vel alio quovis modo facienda. Et quævis facta abſque ſpeciali permiſſione Romani Pontificis, eo ipſo nulla ſit, nec debitoribus, aut aliis quibuſcumque ſuffragetur.*

Ponderetur clauſula, *vel alio quovis modo, & aliis quibuſcumque*; ſub qua omnes generalitèr modi comprehenduntur, & Fratres, etiam per ſe, vel alios ad compoſitiones faciendas inhabiles declarantur.

6. Propter quòd S. Congr. Concilii in *Salernitana eleemoſynarum*, de qua dictum eſt *conſil. prior.* §. 6. *n.* 36. petentibus PP. Thereſianis, ut confirmaretur concordia ſtipulata ex vi Conſtitutionis Clementis VII. (de qua ſtatim) cum PP. Capuccinis ſuper Legato ibi enunciato, petitionem 5. *Decembris* 1705. rejecit per

reſcriptum, *Lectum*; & compoſitio, intelligebatur reſciſſa, etiam per decretum ibi allegatum.

7. Circà verò decretum *Cùm ſæpiùs* eſt annotatione dignum, eſſe ubique Terrarum ad inſtar Legis obſervandum; neque in ipſo contenta ſunt executioni danda in Locis ſolùm, in quibus eſt acceptatum Tribunal Rev. Fabricæ, ſed in aliis paritèr ad terminos juris ſpectat ad Epiſcopos curare, ut omninò ſervetur. Cùm enim ejuſdem promulgatio fuerit facta prævia relatione ad Sanctiſſimum, adeòque, causâ cognitâ, evenerit, & de Pontificis ordine, & mandato præcepta obſervantia, omnes ad hanc tenentur, utpotè lege Pontificia præfixa: decretum enim poſt impertitam à Pontifice auctoritatem, eſt factum Pontificis, per text. in *cap. Si Apoſtolicæ de præbend. in 6.*

Et obſervant DD. quòd eſtò decretum, vel Breve ad reformationem emanatum pro aliquo Loco, in aliis non obliget, quatenùs reformativum, obligat tamen, quia contenta in illo fundata ſunt in jure canonico, quod in conſcientia adſtringit omnes ad ſui implementnm, ut per Sperellum *deciſ.* 147. Accedente etiam ratio-

ratione, quòd quotiès lex diſpoſuit ſuper re certa, ut juſta eſt in facto conſcientiæ ab omnibus obſervanda. Canones autem diſponunt ultimas Teſtatorum voluntates eſſe ſincerè ex integro obſervandas, *cap. Ultima* 13. *q.* 2. & conſequentèr, ubi ipſi alitèr non diſponunt, interdictum abſolutè eſt compoſitiones ſuper Legatis celebrare ad extinctionem, vel diminutionem capitalium, niſi Sedes Apoſtolica eas ſpecialitèr permittat.

Opponitur, hæc verificari, quantùm ad Legata, in quibus gravantur hæredes, ut Fratribus in eleemoſynam annuas præſtationes conferant; non verò quòad Legata ipſis Fratribus immediatè, & directè, ſeù modo non conveniente ſtatui, & conditioni Fratrum Minorum relicta, ac quoties per ſe ipſos, non autem ſi per Syndicum agant, ut expreſsè in *conſtit. Nuper Clementis VII. la* 15. *Bullar. tom.* 1. In qua conceditur, ut Fratres, mediantibus Syndicis Conventum, poſſint ſe cum hæredibus componere ſuper Legatis, & inſtitutionibus, quorum non ſunt capaces.

Subindè ad hanc conceſſionem Paulus IV. *conſtit. Et Clementi* 1. §. 2. *ibi*.

Syndicis facultatem fecit tranſigendi ſuper rebus Fratribus in Teſtamentis, vel alias donatis, & conceſſis.

8. Habitaquè conſideratione ad dictas conceſſiones, Roderico *to.2.qq.Regul. q.*126. & Lantuſca *Theatr. Regul. verſ. Legatum num.3.* dixerunt poſſe Fratres hodie illis uti, ſervatâ formâ præſcriptâ, hoc eſt, quòd ipſi non ſe ingerant in compoſitione facienda, ſed omnis actio Syndico relinquatur.

9. Qui certè palinodiam recitaſſent, ſi obſervaſſent dictam Clementis conceſſionem adverſari puritati Regulæ, ac ſtatui altiſſimæ paupertatis Frat. Min, juxtà Declarationes Nicolai III. in *cap. Exiit*. Et Clementis V. *Clement. Exivi de verb. ſignif.* Quoniam per eos fuit declaratum Fratres eſſe incapaces cujuſvis juris ad res temporales, & ut hæredes inſtituantur, ut diximus *tit.*1. *conſil.3.4. &* 5. Ideò nec, agente Syndico, poſſunt conventionem aliquam cum hæredibus, vel aliis celebrare; ſiquidem eſt planum hoc in Fratribus ſupponere aliquod jus ad bona ipſa: nàm nullus poteſt paciſci de re non ſua; & quatenus de re conveniat, actus corruit.

10. Qua-

10. Quapropter cùm conceſſio Clementis ſit contraria puritati Regulę, eam Fratribus nullatenùs licet ad praxim deducere; præſertim, quia ab Aula receſſit: enim verò cum eſſet privilegium, & diſpenſatio relaxativa rigoris obſervantiæ, fuit ab Ordine rejecta. Notum eſt, quòd Capitulum Generale Toletanum anno 1606. renunciavit omnibus conceſſionibus Pontificiis, quæ repugnarent puritati noſtræ Regulæ, decrevitque ad unguem ſervandas eſſe Declarationes per dictos Pontifices editas: quod fuit repetitum in Capitulo Generali *anno* 1612. Et in celebrato *an.* 1625. ab Urbano VIII. impetrata eſt Conſtitutio *Sacroſanctum* 51. *Bullar. to.* 4 In qua Urbanus confirmavit decretum dicti Capituli Generalis, quo diſponebatur: *Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus omnes, & ſinguli ejuſdem Ordinis profeſſores juxtà dicti Ordinis Regulam, nec non Declarationes piæ mem. à Nicolao III. & Clemente V. emanatas vivant: & abrogat omnes conceſſiones, ſeù indulta, tàm per litteras Apoſtolicas, & motu proprio, quam vivæ vocis oraculo, & aliàs quomodolibet conceſſa, eidem Regulæ quomodolibet contraria*, videatur *Portel. dub. Regul. verb. Legatum n.* 2. & Con-

ſtitutio Innoc.XI. *Sollicitudo*, edita 20.*Novembris* 1679. in qua ſimiles conceſſiones revocantur, & caſſantur.

11. Hinc Legata quorum proprietas non eſſet pœnes hæredes, vel alios gravatos, ſed forent Fratribus immediatè, & directè relicta (cùm ipſorum incapacitas ad ipſa ſit notiſſima, adeòut nec momento poſſint ea retinere) caducantur reſpectu ipſorum, & quòad ipſos remanent nulla; quæ in ſtatu Eccleſiaſtico, & Regno Neapolitano, in quibus eſt erectum Tribunal Rev. Fabricæ, debent ipſi Fabricæ applicari, cùm in caſu intrent facultates Fabricæ juxtà declarationes S. Congr. R. Fabricæ *de anno* 1598. *in compend.privileg. Veſpignani*, apud Petram ad *conſtit*.5. *Honorii III. ſect.* 4. *num*.19.

12. Ubi verò dictum Tribunal non repèritur erectum, tametſi Legata quòad Fratres, ſtante eorum incapacitate, ſint nulla, & caduca, ac ſi non fuiſſent ſcripta, adeòut nullum jus ei cenſeatur factum ad illorum conſecutionem; adhuc tamen non caducantur, quantùm ad opus pium ipſis annexum, ſed hoc adhuc eſt omnimodè ex parte hæredis, vel executoris adimplendum, ut tenuit Rota

dec.2.

dec.2. in Turritana Legatorum coram Emerix: & explicat Amoſtaz *de cauſ. piis cap. 3. num.74.*

13. Quin enim, Epiſcopus ex officio Judex executor ultimarum voluntatum ex Trident. in *decret. de Purgator. ſeſſ. 25.* debet eos ad implementum compellere. vel, iſtis recuſantibus, in alios capitale, & onus implendum transferre.

14. Opus enim pium, cùm reſpiciat cultum divinum, & favorem animæ, eſt adeò privilegiatum, ut præjudicium non recipiat ab extrinſeca incapacitate Legatarii. Præſumitur enim, quòd Teſtator voluerit ſaluti animæ ſuæ conſulere, *omni meliori modo*; quæ clauſula juxtà vulgatum, facit valere actum, eo modo, quo poteſt.

15. Et indè ubi opus injunctum non poteſt à Fratribus impleri, & Legatum acceptari, cenſendum eſt eum voluiſſe gravare eos, quos, vel hæredes inſtituit, vel, ad quos de jure omnia ſua bona tranſirent, ſi diſpoſitio ipſa non præceſſiſſet, & quos fortè gravaſſet, ſi inſtructus fuiſſet de incapacitate Fratrum: ſemper enim favore animæ in diſpoſitionibus teſtamentariis eſt ab unoquoque facien-

da benigna interpretatio; & cum aliis eo modo agendum, quo quis ab alio vult tractari, juxtà axioma notiſſimum, *quod tibi vis, alteri feceris.* Et propterea in caſu hæredes actionem non habent ad vindicanda ſibi dicta Legata, quaſi eſſent, etiam quòad opus pium implendum, caducata.

16. Neque poſſunt Fratres ſe tueri ſecunda conceſſione à Paulo IV. emanata. Nàm diſpoſitio Pontificis reſtricta eſt ad res *Ordini ſecundùm modos licitos, & congruos relictas, ut ex* §.10. Ità, relinquitur ad Fratrum neceſſitates relevandas domus, ut per Syndicum vendatur, & pretium in eum finem convertatur; petunt hæredes, ut ſibi domus relinquatur, loco cujus ſe paratos exhibent ad conferendum pretium æquivalens: in caſu intrat diſpoſitio Pauli, & Syndicus poteſt cum illis tranſigere, & ſe componere, dummodo nihil de valore domus eis remittat; tunc enim ab uteretur auctoritate ſibi facta; neque enim eſt dominus rei relictæ, ſed adminiſtrator, ideò fidelitèr ſe in ea adminiſtranda gerere debet.

Quæ conceſſio non eſt extendenda ad Legata annua, vel Fratribus immediatè

diatè facta, quorum ſunt incapaces; vel in quibus gravantur hæredes, ut annuatim quidquam perſolvant. Et conſtitutio intelligenda eſt, ut non repugnet, tam diſpoſitioni decreti *Cùm ſæpiùs*, quàm Declarationibus Nicolai III. & Clementis V. pro quarum obſervantia Ordo ſemper ſtetit, & conſtantèr rejecit, quidquid extraneum inducebatur ab ipſarum legitimo ſenſu.

CONSILIUM III.

An Fratres Minores ſint capaces Legatorum in perſona Syndici Apoſtolici?

SUMMARIUM.

1 *Fratres Minores non ſunt capaces redditũum in perſona Syndici.*

2 *Nec Legatorum, & num.4. &* 15.

3 *Incerta mendicitas, quid petat?*

4 *Decreta à Papa approbata ſunt facta Papæ.*

5 *Fratres non poſſunt habere ſtabilia in perſonis Syndicorum.*

6 *Opi-*

6 *Opinio Felicis exadverſo.*

7 *Reprobatur.*

8 *Mendicitas Fratrum nec per indirectum eſt lædenda.*

9 *Diſtinctio à Felice excogitata non ſuſtinetur.*

10 *Qualitas Syndicatus operatur, ut Syndico, tamquàm tertiæ perſonæ Legata pro Fratribus non poſſunt relinqui.*

11 *Syndicus eſt perſonalitèr alius à gravatis à Teſtatoribus.*

12 *Legatum factum Syndico, ut tertiæ perſonæ corruit.*

13 *S. Congr. in* Romana Donationis *non favet ſententiæ Felicis ad* 15.

16 *Quid agendum, cùm Legata ſunt immediatè relicta Fratribus, vel Syndico?*

17 *Syndicus non poteſt eſſe adminiſtrator dictorum Legatorum in Fratrum utilitates.*

18 *Quid ſit habere uſum poſſeſſionum?*

19 *Quid cenſendum de Legato celebrationis Miſſarum in Capella Teſtatoris exiſtente in Eccleſia Fratrum?*

20 *Legata nulla favore Fratrum, per alios habiles ſunt implenda.*

1. SYN-

1 SYNDICUS Apoſtolicus ex dicendis *tit. ſequen. conſil.* 1. eſt perſona aliqua pia, auctoritate Summi Pontificis nominata à Miniſtris Generalibus, Provincialibus, vel Cuſtodibus reſpectivè: ut nomine, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ac ut ipſius Procurator, & Oeconomus, quamplurima præſtet in utilitates Fratrum Minorum, ut expreſſius *loc. cit.* Verùm inter ea non eſt facultas, ut poſſit redditus retinere ad Fratrum neceſſitates ſublevandas: in eo enim non eſſet S. Sedis Procurator, ſed interpoſita Fratrum perſona; nàm redditus reciperet, & miniſtraret auctoritate, & nomine Fratrum, non verò Apoſtolicæ Sedis, quæ ipſorum dominium non recipit. Et in *Clementina Exivi de verb. ſignif.* declaravit Fratres eſſe incapaces recipiendi, & habendi annuos redditus: cùm verò abſolutè Papa loquatur, diſpoſitio extenditur, ut id non liceat per ſe, vel per alios; cùm autem facultas Procuratoris non ſe extendat ultra facultatem à Subſtituente conceſſam, non poſſunt Fratres prætendere eſſe in Syndico facultatem ad redditus retinendos; ſiquidem Sedes Apoſtolica

lica eam illi numquam conceſſit.

2. Item, Fratres non ſunt capaces Legatorum annuorum, quorum dominium directum ipſorum capitalium, & immobilium reſideat apud Syndicum Apoſtolicum, quia Syndicus agit nomine, & auctoritate Papæ; Papa verò prohibet expreſsè talium Legatorum receptionem, & retentionem: ità Nicolaus III. in *cap. Exiit. §. Ad hæc eod. tit. in 6.* ibi. *Declaramus, ordinamus, & dicimus, quòd ſi Teſtator modum, ſecundùm quem Fratribus (eorum conditione inſpecta) recipere non liceret, exprimat in legando: ut, ſi legaret Fratribus vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel ſimilia verba in ſimilibus proferret, aut modos ſimiles in relinquendo ſervaret, à tali Legato, & ejus receptione per omnem modum Fratres abſtineant.* Quibus excluditur quilibet modus, qui Regulę repugnet, & in fraudem paupertatis cenſeatur factus; adeòque nec per ſe, neque per Syndicum debent Fratres Legatum recipere, & acceptare.

3. Etenim Fratribus debet victum, & veſtitum præbere incerta mendicitas, per text. in *cap. Religionum de Religioſ. domibus in 6.* Incerta verò mendicitas hoc ex ſua natu-

natura petit, quod nihil certum habeant, undè victum ſumant, ſed quæſtuatione illum requirant. Propriè enim incertum Mendici ſuffragium in hoc ſtat, ut, quandoque ex miſericordia alterius illi ſubveniatur, quandoque non.

4. Hinc à Sac. Congreg. ab Urbano VIII. ſpecialitèr propoſita conſultationibus Fratr. Minor. de Obſer. Ciſmontanæ Familiæ ad effectum, ut ab ipſorum Conventibus removerentur omnes abuſus adverſantes Obſervantiæ Regulæ S.Franciſci, ipſo Urbano approbante 14. *Junii* 1628. plura conſtituit, videnda *conſil.* 1. *num.*53. & in *Bullar. tom.*4. *ad conſtit.Sacroſanctum* 51. *Urbani VIII.* inter quæ §. *Cum annuos redditus*, eſt hæc prohibitio directè Syndicis facta, ibi: *Inhibemus autem, nè Syndicus in ſua perſona hujuſmodi annuos redditus percipiat diſtribuendos ipſis Fratribus.* Quæ decreta, cùm ſint à Papa approbata, ſunt facta Papæ, dicente textu in *cap. Si Apoſtolicæ de præbendis in* 6. *quòd poſt impertitam à nobis auctoritatem, noſtra cenſeantur effecta*; & ideò ſunt ubique tamquàm lex Pontificia obſervanda.

5. Et ſubindè S.Congr. R.Fabricæ in *Æſina Legati* 26. *Novembris* 1692. *Cenſuit Fran-*

Franciſcanos Obſervantes, qui prætendebant ſtabilia nomine Syndici, eſſe incapaces ad iſta retinenda. Nec moveatur difficultas propter ly *ſtabilia*, quaſi lex noluerit comprehendere, etiam annuos redditus ex Legatis, vel aliàs provenientes. Nàm iſti ex *d. Clementina* §. *Cumque annui* inter immobilia, & ſtabilia ab jure, etiam civili reputantur; propterea excluduntur quoque cenſus, & cambia.

6. Hæc omnia admittit Felix in *exam. Confeſſar. to2.. par. 2. n.* 1189. Si Syndicus conſideretur, ut Syndicus, quia, ut Syndicus ſtat nomine Pontificis, & Pontifex ubi ſupra vult, quòd Fratres à dictorum Legatorum receptione *per omnem modum abſtineant*: ly *per omnem modum* excludit tàm Fratres per ſe, quàm per Syndicum.

Sed aliud ſyſtema ſervat loquendo de Syndico, ut eſt quædam tertia perſona, ſub qua ratione *num.* 1195. dixit, non eſſe contra Regulam, & noſtram paupertatem, ſi dominium directum Legatorum ſit apud Syndicum, ut eſt perſona tertia: ſicut enim Teſtator poteſt relinquere Collegio, Hoſpitali, vel alteri tertiæ perſonæ aliquod capitale ea lege, ut te-

teneantur illud reinveſtire in aliqua re ſtabili, ſeù cenſibus, & locis Montium non vacabilibus, ut ex fructibus reinveſtimenti quot annis tantum pro Fratrum neceſſitatibus ſolvant; ità ex identitate rationis ſibi videatur eandem praxim poſſe tenere cum Syndico, ut tertia perſona: officium enim Syndicatus non poteſt facere, quin hic valeat alteri ſe obligare ad aliquod onus gratis ſubeundum, ad ſuſcipienda nimirum bona immobilia Legantis cum onere diſtribuendi annuatim fructus pro Fratribus in ſuffragium animæ Teſtatoris.

Pro confirmatione allegat decretum S.Congr.Concilii in *Romana Donationis* ex Lantuſcha *verb. Legatum num.* 5. In qua, cùm Syndico Apoſtolico Conventus S.Mariæ de Ara-Cœli,& aliis in dicto officio Syndicatus pro tempore ſucceſſoribus quædam Pamphilia Mota donaſſet ſcuta mille cum conditione reinveſtimenti faciendi, ut ex fructibus perpetuò impenderent, & applicarent triginta ſcuta in emptionem panis albi ad beneficium, & ſervitium Infirmariæ dicti Conventus; & Procurator R.Fabricæ S. Petri,citatis PP. petiiſſet à d. S. Congr.

de-

declarari. *An prænarrata donatio valeat ſuſtineri?* Ipſa 2. *Junii* 1663. *cenſuit licere dictis Fratribus prænarratam annuam panis præſtationem titulo dumtaxat eleemoſynæ recipere, ad præſcriptum decreti Congr. Fabricæ* 14. *Febr.* 1633. *editi: Et Syndico Apoſtolico non poſſe à Miniſtris Fabricæ ratione hujuſmodi donationis moleſtias inferri, niſi ad formam ſupradicti decreti.*

7. Hæc congeſſit Felix pro ſua opinione firmanda. Verùm, vel nihil probant, vel aditum parant ad diſpenſationes relaxativas puritatis obſervantiæ Regulæ. Etenim, ſi Syndicus, ut tertia perſona, habilis eſſet ad retinenda legata pro neceſſitatibus Fratrum, poſſet etiam, cenſus, loca Montium, ac poſſeſſiones, eorumque fructus, imò & pingues hæreditates acquirere: cùm eadem ratio ſit de omnibus; & hinc via eſſet aperta excludendi Fratrum mendicitatem, & introducendi abuſus repugnantes puritati Regulæ.

8. Inter quos ante tempora dictæ Urbanæ Congregationis hic, etiam numerabatur, quòd Syndici annuos redditus in ſua perſona reciperent Fratribus diſtribuendos; ad quem eradicandum ipſa

ipſa abſolutè prohibuit, nè id amplius agerent, & introductum ſuſtulit. Nec eſſet ſatis proviſum, ſi, Syndicis inſpectis, ut tertię perſonę, adhuc illa praxis liceret: Tunc enim verificaretur Legata à Syndicis recipi: & per æquivalens, & indirectum mendicitas Fratrum læderetur.

9. Ideò arbitraria, & vana eſt in caſu diſtinctio illa Felicis, excogitata in fraudem legis, & ad palliandam tranſgreſſionem Regulæ, cùjus obſervantia in ſua puritate non pendet à præciſionibus Metaphiſicis; propterea ſub neutro conceptu eſt Syndicus habilis ad ipſa Legata recipienda, ſed ſub unoquoque excluſus cenſetur, tùm per Regulam in Clement. §. *Porro: ubi aliquid generalitèr prohibetur, quod expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum*; tùm ex 84. *jur. in 6. Cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*.

Maximè, quia tunc Fratres eſſent certi de annuis præſtationibus, & aliquid certi præſumerentur habere, ex quo vivere poſſent abſque eo, quòd deberent, vel precariò mendicare, vel recurrere pro neceſſitatibus ad Amicos ſpirituales. Etenim ſecuri eſſent, & confiderent,

quòd Syndicus, utpotè conſtitutus, ut eorum indigentiis provideret, illas præſtationes in eum finem expenderet; & ita læſa eſſet mendicitas, & fraus legi facta.

Imò, qualitas Syndicatus præſumitur principalitèr intenta, cùm nulla tertia perſona poſſet eſſe proprietaria Legatì, niſi eſſet Syndicus: proindè verbis, & linguâ tertia perſona conſtitueretur domina proprietatis Legati, ſed re, & effectu Syndico proprietas eſſet conceſſa. Tunc quidem cenſeretur Syndicus, ut tertia perſona electus, quando per occaſionem remotus à Syndicatu, adhuc capitale apud ipſum remaneret; ſed, cùm deberet tranſire in alium pro Syndico nominatum, conſequens eſt, ut non ratio tertiæ perſonæ ſit inſpecta, ſed qualitas Syndicatus, utpotè in caſu à diſpoſitione omnimodè impræſcindibilis.

10. A qua quidem qualitate unuſquiſque conſtituitur extraneus, ut non poſſit à Teſtatore ad eum effectum aſſumi. Neque enim rationi repugnat, quod una perſona ad certas actiones reddatur inhabilis, ad quas aliàs eſſet apta: ita Religioſi à qualitate profeſſionis inhabilitantur, ne poſſint teſtari, *cap. Quia ingredientibus*

tibus de teſtam. Et quatenùs ille aſſumeret dominium *Legati*, illa qualitate reſiſtente, penès eum non eſſet, nec apud hæredes Teſtatoris, nec apud Papam; adeòque eſſe deberet penes Fratres, quorum tunc Syndicus foret interpoſita perſona, cùm nomine Fratrum Legatum reciperet.

11. Ulteriùs conſideratur, à dicta Sac. Congreg. pro Ciſmontana Familia ſupponi Syndicum, ut perſonalitèr Diſcretum à gravatis à Teſtatoribus, ad annuas præſtationes Legatorum pro Fratribus dandas, ut conſtat ex *Conſil.* 1. *num.* 9. *ad* 2. *&* *num.* 12 *ad* 4., *&* *num.* 26. *ad* 8. Idemque emergit ex decreto d. *Cum ſæpiùs* reſolvente realem alietatem inter Syndicos, debitoreſque Legantium.

12. Tandem Legatum corrueret, adeout, tamquam factum perſonæ incapaci, intrarent facultates R. Fabricæ, proùt deducitur ex *Imolen. donationis, vel Legati* -- In qua, cùm Anna Maria Quaini „ aſſignaſſet capitalia cenſuum in ſcutis „ 1200. Syndico pro tempore exiſtenti „ Conventus PP. Reformatorum Civi„ tatis Imolæ, non tamquàm Syndico, „ vel aliqua ratione ſpectanti ad Fratres,

„ ſed ut perſonæ privatæ,adminiſtratori,
„ & executori fructuum ex illis prove-
„ nientium ea lege, ut eos perpetuò eiſ-
„ dem Fratribus conferret propter onera
„ in ipſorum Eccleſia per eos implenda,
„ celebrationis Miſſarum, & ſolemniza-
„ tionis quarundam Feſtivitatum; & in
„ caſu incapacitatis, propter quam R.
„ Fabrica jus aliquod in donatione poſ-
„ ſet prætendere, ſe cautelaſſet, & decla-
„ raſſet in tali caſu dominium capita-
„ lium, & fructuum remaneret apud ſe,
„ ejuſque hęredes, & donationem haberi
„ pro non facta; cùm verò Miniſtri Fa-
„ bricæ prætenderent donationem ad
„ Fabricam pertinere, utpote factam
„ perſonæ incapaci, provocatum eſſet
„ ad S. Congr. R. Fabr., hæc 16. *Martii*
1707. reſcripſit: *non intrare privilegia R. Fabricæ*. Et ſubinde, non acquieſcente reſcripto Procuratore Fiſcali d. Fabricæ, repropoſitâ causâ, eadem 20. *Julii d. ann.* ſtetit *in deciſis*; quaſi diceret: Legatum non eſſe factum perſonis incapacibus, & capitalia Legati ſpectare ad hæredes. Ideò cùm in noſtra hypotheſi proprietas Legati eſſet apud Syndicum, eſto, ut aſſeritur, tamquam tertiam perſonam, dubia

dubia haud eſſe poſſet nullitas, & caducitas Legati.

Nec tunc canonizavit diſpoſitionem Teſtatricis, qua parte inſtituit adminiſtratorem Syndicum. Nam ejus mens eſt non poſſe Fratres in perſona Syndici habere redditus, ut ex dd. *n.*5. & concordant adnotata *conſ.*1. §.6. *d n.* 39. de quo etiam *infra n.*17. ſed in eo proceſſit præciſivè.

13. Ideò opinio Felicis nullo modo in praxi regit, habita etiam conſideratione ad allegatum decretum S. Congreg. Concilii *nu.*6. Nàm prætermiſſo, quòd doctrina Felicis eſt generalis ad quæcumque Legata, & in quacumque ſumma concernentia utilitates, & commoda Fratrum pro quotidiano victu, & veſtitu: animadverti debet præjactum decretum eſſe in terminis legati, nequaquàm ordinati ad abſolutam, & neceſſariam ægrotantium ſuſtentationem, ſed reſtrictum ad aliquòd ſolatium, ſeù ſublevamen, majoremvè quamdam curam infirmorum, quàm, quæ aliàs per eorum Conventus poſſet illis ex mendicatione præſtari.

Quæ fortè, attentaque pietate Fidelium, ut notavit Rota in *Turritana Le-*

gatorum coram Emerix anno 1695. fuit ratio motiva dictæ reſolutionis; habito pari modo reſpectu ad clauſulas à Donatrice adjectas donationi, ut ſartatecta ſervaretur Fratrum mendicitas, proùt infrà: *Quòd, ſi ullo unquàm tempore Guardiani, ſeù Superiores pro tempore dicti Conventus de Ara-Cœli intentaverint quovis modo velle applicare dicta annua ſcuta triginta in aliam cauſam præterquam ſupradictam, tali caſu prædicta donatio, & omne commodum dictæ annuæ ſolutionis ſcutorum triginta ſit, & intelligatur ipſo facto caducata, & devoluta, proùt caducari voluit, & vult in favorem V. Archiconfr. B.Mariæ Conſolationis.*

15. Non deſunt tamen aſſerentes prædictam reſolutionem aliquam diſpentationem continere circa rigorem paupertatis, conſiderando donationem eſſe Syndico factam, qui à ſuis facultatibus capax non ſit recipiendi donationes perpetuas immobilium in Fratrum utilitates; & exindè penès ipſum non eſſet conſolidatum dominium donationis, ſed præſumeretur reſidere apud Fratres; & indè ipſe, in caſu de quo agitur, intelligeretur Fratrum perſona: & fictione juris, qui Syndico in eum finem donaſſet,

naſſet, cenſeretur donare Fratribus, qui ad ſimiles donationes inhabiles omninò declarantur, ubi ſupra à Nicolao III.

Sed petitur. *Quid agendum, ſi aliqua Legata reperirentur immediatè, & directè relicta Fratribus?*

16. R. In Statu Eccleſiaſtico, & Regno Neapolitano agendum eſſet per Syndicum cum Miniſtris Rev. Fabricæ, ad quam ſpectant Legata facta perſonis incapacibus juxta declarationes ejuſdem S. Congr. editas *de anno* 1598.

In locis verò, ubi non eſt erectum Tribunal Fabricæ, ſi ob temporis antiquitatem non reperiatur *aliquis patronus Legati, & redditus* (facta priùs proteſtatione, de qua diximus *conſil.* 1. *n.* 4.) aſſignari debent per eum *Rectoribus ſpiritualibus, aut temporalibus Collegiorum, aut Communitatum, Terrarum, aut Civitatum, qui tales eleemoſynas, ſivè fructus, vel redditus annuos, nomine Eccleſiæ Romanæ, vel donantium ſinè Fratribus exigant, & recipiant; & Fratribus, ſivè aliis Sacerdotibus, quando Fratres voluerint tales Miſſas, vel ſuffragia juxtà piam intentionem Benefactorum in toto, vel in parte ſecundùm quantitatem talium obventionum dicere, faciant*, ex dicta

Sac. Congreg. pro Familia Ciſmontana.

Quando verò adeſſent hæredes, illis deberent renunciari;& quatenus non vellent onus acceptare, eſſent per Ordinariũ loci cogendi, utpotè ex officio Executorem piarum diſpoſitionum ex Trident. *ſeſſ.25. in decret. de Purgat.* Quæ ex identitate rationis debet eſſe praxis,cum Legata Syndico relinquuntur.

Difficultas eſt. *An Syndicus, etiam ut privata perſona poſſit eſſe Adminiſtrator, & Executor fructuum Legatorum pro Fratribus: Ut, ſi Teſtator hac forma Legatum diſponeret?* Relinquo ſcuta mille, ut Fratres Minores tot Miſſas celebrent in ſuffragium animæ meæ; & volo, quòd dominium capitalis ſit ſemper penès meos hæredes, adminiſtrator verò, & executor fructuum ſit Syndicus Fratrum, non tamquàm Syndicus, ſed ut perſona privata ad Fratres non ſpectans.

17. R. Negativè. Nàm tunc aptiſſimè verificaretur Syndicum in ſua perſona recipere annuos redditus Fratribus diſtribuendos contra prohibita à S. Congregatione ſupra *n.4.* ſivè eſſet dominus proprietatis, ſivè tantùm adminiſtrator, aut, quà perſona privata, executor.

18. Alio-

Alioquin poſſet paritèr Syndico, tamquàm privatæ perſonæ committi cura, ut agros, & vineas per ſe, vel per alios coleret, exiſtente proprietate ipſorum penès alium, vel hæredes Teſtatoris, ad effectum, ut fructus erogaret in neceſſitates Fratrum. Hoc autem omninò repugnat, etiam ſi dicta cura eſſet apud alium, qui non eſſet Syndicus. Siquidem ità habere, teſte Hugone de Dina *tr.* 10. *plag. plag.* 6. eſt habere uſum redditũum, vel accedentium ad naturam redditus, ſeù uſum poſſeſſionum, Fratribus omnimodè interdicta in *d. Clement.* §. *Cumque annui redditus*; & ulteriùs hujuſmodi diſpoſitiones obvium eſt in fraudem eſſe paupertatis.

Ideò in ſimilis diſpoſitionis eventu non debent Fratres permittere, quòd Syndicus hujuſmodi curam, & adminiſtrationem acceptet: niſi velint actum eſſe de obſervantia Regulæ in ſua puritate. In quem finem ibi Clemens V. dixit à Fratribus evitandum eſſe non ſolùm, *quod malum eſſe dignoſcitur, ſed & omne, quod ſpeciem* (hoceſt, apparentiam) *habet mali*.

Quæritur. *An Legatum relictum pro Miſ-*

Miſſis perpetuò celebrandis in Capella Teſtatoris, exiſtente in Eccleſia Fratrum Minorum, per viam Capellaniæ, vel alio modo, cenſeatur factum Fratribus directè?

19. R. Affirmativè. Eſſe factum contemplatione Fratrum in fraudem paupertatis tenuit Baldus in *authen. Ingreſſi num.* 55. *verſ. idem dicit*; & poſt eum Ancharanus in *Clement. Exivi nu.* 6. *de verb. ſignif.* apud Fagnan. *in* 3. *ad cap. Nos quidem num.* 65. *de teſtam.* Neque relevat, quòd fuerit nominata Capella, vel Altare. Quoniam relictum Eccleſiæ Fratrum, vel Capellæ in eadem exiſtenti, cenſetur factum ipſis Fratribus: Eccleſia enim in caſu non accipitur pro ædificio materiali, quod eſt quid inſenſatum, ſed pro communitate Fratrum; & ideò Teſtator habuit conſiderationem ad Fratres, non ad parietes Eccleſiæ; niſi in caſu, quo declararet ſe aliquid relinquere, ut Eccleſia reparetur, & reaptetur.

Nec Teſtator cenſetur cogitaſſe de Sacerdotibus ſæcularibus, qui ſunt capaces, & de aſſenſu Fratrum poſſent Miſſas celebrare. Quoniam Religio Fratrum Minorum non conſuevit permittere, ut in ſuis Eccleſiis erigantur Capellaniæ per-

perpetuò officiandæ à Sacerdotibus ſæcularibus, ut ex praxi eſt notorium; & aliàs ea de re fuerunt S. Congr. Concil. exhibitæ à Procuratoribus Ordinum Mendicantium atteſtationes. Nec ad id cogi poſſunt inviti ex *conſtitut. Dum intra Leonis X. in Bullar. tom.*1. Videri poſſunt, quæ dixi *Offic.Cur. Eccleſ. cap.*9. *num.*8.*ver. quatenus*: ergo non cenſetur Teſtator diſpoſuiſſe, ut Miſſæ in ſua Capella à Preſbyteris ſæcularibus ſint celebrandæ. Siquidem non eſt credendū elegiſſe viam, qua diſpoſitio ſua reddatur inutilis, & eluſoria, *l.*3.*ff.de milit. teſtamen.* Propterea in ſimili caſu eadem S. Congreg. cenſuit Legatum fuiſſe ipſiſmet Fratribus relictum apud Fagna. *cit.num.*74. Et hinc fit, quod Legatum reſpectu Fratrum ob eorum incapacitatem corruat.

20. Sed adhuc eſt adimplendum per hæredes, vel providendū ab Epiſcopo:eſt enim generale,quòd ubi Legatum pium non eſt abſolutè, & ſimplicitèr propter ſe nullum, ſed modalitèr tantùm, vel propter modum de jure prohibitum (ut in caſu præſenti propter incapacitatem Fratrum) non poteſt haberi pro non ſcripto: neć debetur hæredi, ſed debet

per

per iſtos, aut aliàs perſonas habiles adimpleri eo modo, quo poteſt: favor enim animæ Teſtatoris, & divini cultus præferendus eſt cuicumque ratiocinio, quod eſſe poteſt exadverſo. Vide *tit.* 1. *conſil.* 5. *num.* 8.

TITULUS IV.

Syndicus Apoſtolicus.

CONSILIUM I.

An uſus Syndici Apoſtolici ſit diſpenſatio in Regula Fratrum Minorum?

SUMMARIUM.

1 *Syndicus Apoſtolicus eſt Procurator Papæ.*

2 *Ex nominatione Syndici per Fratres non ſequitur diſpenſatio in Regula.*

3 *Proviſio Martini IV. & V. ac Pauli IV. circà Syndicum non eſt contraria Declarationi Nicolai III.*

4 *Syndicus non eſt perſona interpoſita Fratrum.*

5 *Facultas Syndicorum ad plures actus extenditur.*

6 *Dominium rerum pro Fratribus relictarum eſt penès Romanum Pontificem.*

7 *Po-*

Digitized by Google

7 *Poteſt Syndicus vendere, & commutare, ac compoſitiones celebrare circà res, modo licito Fratribus legatas.*

8 *In alienatione rerum pro Fratribus relictarum non eſt neceſſarium beneplacitum Apoſtolicum.*

9 *Petendum eſt in alienatione rerum pretioſarum.*

10 *Etiam à Patribus Reformatis.*

11 *Poteſt Syndicus res aliquas pro Fratribus modo congruo legatas in judicio exigere, ad* 12.

13 *Proviſio Martini, & Pauli non repugnant* cap. Exiit, *ad* 14.

15 *Poteſt privilegia Fratrum defendere.*

16 *Concedit mandatum Procuratori ad lites, ad* 19.

20 *Syndicus ſupplicat pro reductione Miſſarum, ad* 21.

22 *Opinio Sanctoro rejicitur.*

23 *Dominium pecuniæ pro Fratribus donatæ eſt in Pontifice.*

24 *Syndici non recipiunt, neque expendunt pecunias nomine Fratrum.*

25 *Fratres poſſunt juxtà* cap. Exiit *nominare perſonam, quæ ſit Subſtitutus Donantiũ.*

26 *Rationes propter quas à Sede Apoſtolica emanarunt proviſiones de Syndico.*

27 *Fra-*

27 *Fratres nominant Syndicos ex facultate Papæ.*
28 *Syndici non poſſunt pecunias adminiſtrare, niſi ſecundùm intentionem Papæ.*
29 *Fratres cum Syndico actionem auctoritativam, & juridicam non poſſunt exercere.*
30 *Concordia deducta à Subſtitutis Donantium ad Syndicos; & ibi plurima ad praxim neceſſaria ad 42.*
43 *Declaratio Innocentii XI. de uſu Syndici licito, & non relaxativo Regulæ in ſua puritate.*
44 *Votum Portelli.*

Appellatione Syndici in præſenti venit Procurator, Oeconomus, & Miniſter, qui ex conceſſione Pontificis per Superiores nominatur, ut nomine, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ poſſit facere in Fratrum utilitates, quæ ipſi à Pontifice conceduntur in Conſtitutione inſtitutionis Syndicorum.

1. Quoniam verò à Fratribus ex clementia Sedis Apoſtolicæ nominatur, ac nominatus ab eadem Sede, facultate dona-

donatur (ut ejus nomine, & auctoritate recipiat, tùm res mobiles, & immobiles, tùm pecunias pro Fratrum neceſſitatibus oblatas, & modo licito Legatas, aliaque agat ad relevandas illorum indigentias, juxtà præſcriptum Regulæ, & Declarationum Nicolai III. in *cap. Exiit.* Et Clementis V. *cap. Exivi de verb. ſignif.*) appellatur Syndicus Apoſtolicus; ideò eſt legitimus Procurator Papæ, & adminiſtrator rerum Pontificis non Fratrum, licèt pro Fratribus.

Facultatem nominandi Syndicos Fratribus conceſſit Martinus IV. *conſtit. Exultantes in Domino.* Qua conceſſione licitè utuntur, non obſtante, quòd id prohibuerit Joannes XXII. *extravag. Ad Conditorem de verb. ſignif.* Nàm prohibitio fuit modificata, *niſi de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia.* Quæ ſubindè emanavit à Martino V. *conſtit. Amabiles fructus*, ut in Litteris Pauli IV. *Ex clementi* 1. *in Bullar. tom.* 1. In qua Paulus Litteras Prædeceſſorum innovavit, dictamque facultatem iterùm dedit.

2. Ex quá facultate nominandi non ſequitur ulla diſpenſatio relaxativa obſervantiæ Regulæ in ſua puritate. Etenim ipſa

ipſa purè obſervatur, cùm ſervatur juxtà præſcripta in Declarationibus Nicolai, & Clementis, ſecundùm quas Fratres in conſcientia vivere tenentur, ut declaravit Innocentius XI. *conſtitut. Sollicitudo edita* 20. *Novembris* 1679. innovata ab Innocentio XII. *conſtit. Aliàs ſub die* 2. *Julii* 1695. *la* 47. *in Bullar. Firmani*. Conſtat autem à Nicolao eſſe Fratribus conceſſum, ut perſonam idoneam nominent, quando Amicus ſpiritualis, vel de illa notitiam non habet, vel eam nominare non vult. Hæc ſunt in *cap. Exiit* §. *Cæterùm: dicimus*, ait Pontifex, *quod in nullo Regulæ puritas infringitur, aut quomodolibet ipſius obſervantia maculatur, ſi Fratres ipſi alicujus, vel aliquorum ſibi curent dare notitiam, ſeù aliquem, vel aliquos nominare, aut etiam præſentare, cui, vel quibus, ſi eleemoſynam facienti placuerit, committi poſſit executio prædictorum, ac ipſius habeatur aſſenſus ſuper ſubrogationibus infraſcriptis*. Si verò perſona nominata non poſſet per ſe neceſſitati ſatisfacere, ſequitur textus. *Liceat Fratribus cum conſcientiæ puritate quandam aliam perſonam ſubrogandam ad præmiſſa in nominando, & aliis (ſi ad primum Dantem non poſſit, vel nolint habere recurſum) cum*

iſta perſona facere, ſic ut ſupra proximè declaravimus eis licere cum prima.

Undè ſic diſcurritur. Licet Fratribus ex Nicolao III. cum puritate conſcientiæ (quando dominus pecuniæ, vel ipſas non vult, vel commodè non poteſt expendere in neceſſitates Fratrum) nominare, & ex conſenſu, & voluntate principalis domini ſubrogare quamcumque perſonam, quæ nomine, & auctoritate dantis pecunias in neceſſitates Fratrum convertat: &, cum perſona ſic nominata omnia agere, ſicut cum prima, ſeù Domino pecuniæ licebat: ergò pari modo, ſervatâ conſcientiæ puritate, poſſunt Fratres de licentia Papæ nominare Syndicum, vel Procuratorem in vim Martinianæ, & Paulinæ ad venditiones rerum, & receptionem, & expenſionem pecuniæ pro Fratribus oblatæ. Quippè hic in nihilo videtur diſſidere à perſonis à Fratribus, ut ſupra nominatis; neque aliud Fratres agunt, quàm ex voluntate principalis Domini (qui eſt Papa: cum ipſe per ſe vendere, & expendere non velit, nec perſonam ſubrogare) eum nominare, qui nomine illius vendat, & pecunias expendat in Fratrum neceſſitates.

3. Et

3. Et eo magis, quòd diſpoſitio Martini, & Pauli, quantùm ad Syndicum, nullatenus contrariatur Declarationi Nicolai, ſed eſt eidem omninò conformis; cùm ipſi ſuppleverint, quod Nicolaus à Sede Apoſtolica (hoc eſt, à Sedente in illa) agendum reliquit, & ipſe non fecerat, proùt conſtat ex §. *Siverò res*, ibi. *Si verò res hujuſmodi* (hoceſt mobilia Fratrum, ex pediens erit, quòd vendantur, ut dixit ſupr a) *æſtimato pretio vendi contingat; cùm Fratribus ipſis per ſe, vel per alium recipere pecuniam* (*Regula prohibente*) *non liceat: ordinamus, quòd talis pecunia, ſeù pretium recipiatur, & expendatur in rem licitam, cujus uſum Fratribus liceat habere per Procuratorem à præfata Sede, vel Card. Protectore deputandum*. Illud *deputandum* ſignificat à Nicolao non fuiſſe deputatum. Marchant in *relect. theol. ad expoſit. Reg. diff.* 2. refert tranſumptum Card. Mattæhi Protectoris: ex quo conſtat, etiam tunc temporis fuiſſe ad nominationem Miniſtrorum Procuratores deputatos: datum illud fuit *anno* 1280. uno anno poſt Declarationem Nicolai.

Nec nominatio per Fratres Syndico auctoritatem confert, ſed eſt pura con-

 ditio

ditio declarativa, quòd auctoritas à Papa in perſonam nominatam derivetur: & certificativa pro ſecuritate, tàm perſonæ nominatæ, quàm illorum, cum quibus in venditionibus, & expenſis ad Fratrum neceſſitates tractare debet, quòd nomine, & auctoritate Papæ procedat, & eo modo, quo Pontifex voluit. Et quia à Papa auctoritatem recipit, & ex ejus facultate eum Fratres nominant, à Papa cum proprietate dicitur inſtitui, juxtà Regulam 72. *jur. in 6. Qui facit per alium, eſt perindè, ac ſi faciat per ſe ipſum.*

Reſpondent, quòd hoc verificaretur, ſi Syndico competeret ſola actio enunciata, ſed alia plura exequitur, quæ adverſantur Declarationi Nicolai.

R. Nicolaus non reſtrinxit, ut Syndico illa tantùm facultas concederetur: ergò ubi aliæ dictæ Declarationi non repugnant, non eſt contra puritatem Regulæ uti Syndico habente aliàs facultates.

4. Hinc ſequitur hujuſmodi Syndicos nec eſſe, neque dici poſſe perſonas interpoſitas Fratrum; nàm parificantur cum Syndico, ſeù perſona à Fratribus juxtà Declarationem Nicolai nominatam; quæ ideò perſona interpoſita Fratrum

trum non eſt, quia pecuniam recipit, ac expendit, & quidquid agit, nomine Donantium operatur. At Syndici paritèr ſecundùm proviſionem Martini, & Pauli, quidquid faciunt, agunt auctoritate, & nomine Papæ, à quo auctoritatem recipiunt: cujus auctoritate nominantur, & ſubrogantur: & cujus, tamquam principalis Domini, eo in munere vices tenent.

5. Facultates Syndicis Apoſtolicis ad quinque actus, ſeù officia extenduntur, ut ex *d. conſtit. Pauli*.

Primò. Poteſt Syndicus recipere nomine Sedis Apoſtolicæ res omnes mobiles, & immobiles modo congruo oblatas, donatas, & in Teſtamento pro Fratribus relictas.

Secundò. Poteſt vendere, commutare, & alienare mobilia; item & immobilia, hac lege relicta, ut vendantur, & pretium in neceſſitates Fratrum convertere.

Tertiò. Poteſt in judicio repetere res, etiam pecuniarias modo licitò, & Ordini congruo Fratribus in Teſtamento legatas, juxtà dicenda *num.* 12.

Quartò. Poteſt agere in judicio pro

omnibus privilegiis, juribus, & immunitatibus Fratrum.

Quintò. Poteſt nomine Sedis Apoſtolicæ recipere omnes eleemoſynas pecuniarias undecumque, & quomodocumque provenientes, eaſque in Fratrum neceſſitates, monenre Superiore, expendere, proùt ibi in textu.

Quantùm ad primum,& ſecundum actum concedunt, etiam Corduba in *cap. 4. Regulæ q.16.v. tertium punct.* & Sanctoro *comment. in ſtat. cap. 4. ſtat. 4. v. Certum eſt ſecundo* licere Fratribus, quò ad utrumque Syndico uti, quin rigor Regulæ intelligatur relaxatus, utpotè conformes allegatis Declarationibus.

6. Illudque ſatis eſt notum quòad primam facultatem. Nàm ipſi Fratres valent per ſe ipſos ad ſuum uſum recipere res tàm mobiles, quàm immobiles, quarum uſus facti illis non prohibetur; & quæ eis dantur, vel in ultima voluntate modo ipſis congruo legantur: ità, licitè recipiunt mobilia eis relicta neceſſaria tùm ad vitæ ſuſtentationem, tùm ad officiorum ſui ſtatus executionem: & immobilia, ut domum ad habitationem Conventualem reducendam, & aream

Con-

Conventui unitam pro incremẽto horti, ex alibi dictis ſecundùm doctrinam Divi Bonaventuræ : ergò nihil obſtat, quin poſſit Syndicus ea civilitèr accipere nomine Romanæ Eccleſiæ, ad cujus dominium ſpectant. Siquidem in dominio Apoſtolicæ Sedis ſunt res omnes (dummodo aliud Donantes non exprimant) quarum facti uſus eſt Fratribus conceſſus, & modo ipſis licito legantur, ut expreſsè *cap. Exiit* §. *Ad hæc cùm*, & *Clement.* §. *Proindè*.

7. Pari modo, non relaxato Regulæ rigore, eo utuntur quòad *ſecundam facultatem* componendi, vendendi, & commutandi etiam, tàm res mobiles Fratribus datas, proùt ex §. *Si verò ſupra num.3.* quàm immobiles. Ità poteſt vendere domum, vel agrum pro Fratribus relicta, ut per eum vendantur,& pecunia in neceſſaria Fratrum covertatur,per text.in *d. c. Si verò modum*. Ubi Nicolaus decrevit, quòd domus, vel ager ad eum effectum relicta vendi poſſùnt, per perſonas idoneas: quis nam autem magis idoneus Syndico? Quin etiam, ſi Teſtator perſonam non nominaſſet neque hæredes vellent nominare, ſubintraret ex officio

Syndicus, à Fratribus nominatus in ipſa conceſſione litterarum patentalium, utpotè ex tunc à Papa conſtitutus ad ſimilium diſtractionem.

Nec diſcrimen allegabitur, quòd, ſi domus ab aliqua perſona à Fratribus de conſenſu Domini nominata vendatur, non offendatur puritas Regulæ, & debeat lædi, ſi à Syndico alienetur. Sicut enim in primo caſu eſſet perſona illa ſubſtitutus Donantis, ſic in caſu Syndicus eſſet non Fratrum Procurator, ſed Papæ, cujus illa bona ſunt.

8. Neque in dicta alienatione eſt neceſſarium beneplacitum Apoſtolicum, & juris ſolemnitas; quæ minimè petitur in alienatione, quæ fit ex neceſſitate juris, vel, quia ab jure fieri præcipitur; ſecus dicendum de alienatione, quæ voluntariè fit, licet ex cauſa neceſſitatis, & utilitatis Eccleſiæ. Quæ praxis ſervatur in Curia, teſte Fagnan. *in 3. ad cap. Nulli de reb. Eccleſ. non alienan.* Ideò S. Congr. Concilii reſpondit: *Valere Legatum immobilium Fratribus Minoribus ſub modo licito, nempè, ut vendant, & pretium convertant in uſum Fabricæ, vel Sacriſtiæ; & idem ſi factum fuit ſimplicitèr, quia ſub modo licito factum intel-*

intelligitur ex c. Exiit §. Ad hæc quia, nec in hujuſmodi alienatione opus eſt ſolemnitate, quia fit ex præſcripto Regulæ ibi *num.28.* & dixi *ſupr. tit.1. conſil,4. num.7.*

9. Solemnitas tamen, dictumque beneplacitum neceſſarium eſt in alienatione rerum mobilium pretioſarum ſpectantium ad Eccleſias, ſivè ſint lampades, picturæ, candelabra, & paramenta, etiam per Fratres Reformatos S. Franciſci facienda, proùt expreſsè de mandato Urbani VIII. 7. *Septembris* 1624. decrevit S. Congr. Concilii, *prohibens alienationes dictorum fieri ſinè expreſſa S.Congr. licentia in ſcriptis, adjectis pœnis ipſo facto incurrendis à contrafacientibus, nulliſque alienationibus declaratis.*

10. Neque amplius poſſunt Reformati uti conceſſione habita à Clemente VII. conſtit. *In ſuprema* 35. *Bullar. tom.1.* In qua §.3. indulſit poſſe Fratres Conventus ſibi aſſignatos *expropriare ſuperfluis, & pretioſis, & ea in utilia, & neceſſaria commutare, mediante Syndico à Nicolao III. ordinato*: quoniam Sac. Congreg. in dicto decreto auctoritate Pontificis derogavit omnibus indultis, privilegiis, &c. ut dixi *Off. Cur. Eccleſ. cap.45. num.3.*

Sed

Sed hic advertas, quòd ſub prohibitione alienandi, etiam bona immobilia in d. decreto contenta, non veniunt bona illa immobilia, de quibus dictum eſt *ſup. num.7.*

Etenim quo ad illa d.S.Congreg.12. *Aug.* 1625. cenſuit, *Minores Obſervantes non comprehendi ſub prohibitione alienandi immobilia, cenſus, & annuos redditus* ex Nicol. *lucubr. lib.2.tit.1.de alienan. bon. Eccleſ. ſub n.*20. Nequeunt tamen vendere bona immobilia, quarum præſtationes cœpiſſent percipere, per dicta *tit. prior. conſil.*1. §.4. *num.*26. *ad* 4. Hæc per Corollarium ſint dicta ad regulam pro praxi.

Quinimò, ſi hæc facultas Syndico non conveniret, non poſſemus indigentiis vitæ ſubvenire, nec Regulam ſecundùm puritatem obſervare. Sæpè enim humili mendicatione aliqua acquiruntur, quæ vendi debent, ut eorum pretio alia (quæ in propria ſpecie quæſtuatione non poſſunt haberi) quibus Fratres egent, emantur, In caſu verò, tàm emptio, quàm venditio à Syndico facienda eſt, juxtà textum Nicolai *ſup. num.3.*

11. Nec repugnat puritati Regulæ admittere Syndicum cum *tertia facultate,* prout

prout conſentit Sanctoro, aliis cumulatis *loc.cit.* & in terminis de actione judiciaria traditur à Marchant. expoſit. *in leg. relict. Theol. diffic.2. qu.2.* Ratio eſt, quia non agit nomine, vel auctoritate Fratrum, ſed Sedis Apoſtolicæ. Tùm quia, poſſunt Fratres in neceſſitatibus recurrere ad Amicos ſpirituales; atque ità & ad Syndicum, qui relictas pecunias, vel res ad Fratrum neceſſitates ſublevandas in judicio expectat, implorato Judicis officio, tamquàm Patris pauperum, nulla inductione, actione, vel auctoritate, & juriſdictione ex parte Fratrum concurrente; licèt poſſint monere Syndicum, ut ſuum officium fideliter impleat.

Quæ facultas ſupponitur à Nicolao *d.§.Si verò res*: ponatur, quòd res, de quibus ibi textus, vendantur, &, quod emens poſtea renuat pretium ſolvere Syndico: hic quidem ex natura, & qualitate ſui officii poterit in caſu ad Judicem recurrere, ejuſque officium implorare, ut debitorem ad ſolutionem compellat. Cùm enim ſit Sedis Apoſtolicæ Procurator, quoad res pro Fratribus relictas, debet curare nè dilapidentur, aut diſtrahantur contra intentionem, tùm Donantium, tùm

tùm Romani Pontificis, qui per ſuum Procuratorem voluit neceſſitatibus Fratrum providere.

12. Verùm hic advertendum, quòd Conſtitutio Pauli IV. interpretationem, & declarationem recipit à reſolutionibus Sacræ Congregationis Urbanæ allegatis *tit.3. conſil.1. quatuor diſtinctis* §§. Adeòut, ſi tractetur de rebus cedentibus in uſum Fratrum quoad victum, & veſtitum, unicaque ſolutione adimplentur, poteſt Syndicus officium Judicis implorare, ut *ibi* §.1.*ad* 2.Quid verò importet implorare officium Judicis ibi dixi *nu*.7. Ubi autem res pro Sacriſtia, fabrica Conventus, vel divino cultu relinquerentur, poſſet Syndicus eas in judicio exigere,prout ibi §.2. *ad* 2. & §.4. *ad* 2. Quæ interpretatio congruit menti Pontificis, qui Conſtitutionem edidit, non intendens niſi puram obſervantiam Regulæ, & conſcientiarum quietem.

Dices Nicolaus in alleg. cap. §. *Ad hæc legata*, executionem Legatorum pro Fratribus relictorum commiſit, tàm hæredibus Teſtatorum, quàm Executorum: & in caſu negligentię monuit Epiſcopos, & alios Judices, ad quos pertinet cura, ut

ut impleantur voluntates Teſtatorum,ut hæredes, alioſve cogerent ad ſatisfaciendum piæ diſpoſitioni: ergo opus non erat, ut à Martino, & Paulo ſuperadderetur proviſio Syndici: aut,quomodo dicendum non contradicere Declarationi Nicolai?

13. Reſp. Negatur conſequentia. Proviſio Martini, & Pauli tunc contradiceret Declarationi allegatæ, cùm quidquàm ſtatueret, quod rigorem paupertatis relaxaret, eiquè derogaret. Quod non contingit in caſu; quoniam illi Pontifices diſpoſitioni Nicolai ſuperaddiderunt tantùm quò ad illum effectũ, Syndicum in ſubſidium,quòd perſonę à Nicolao deputatæ aliquo titulo non poſſent operari circà executionem Legati, etiàm pecuniarii (de quo agitur in textu) relicti ad neceſſitates Fratrum ſublevandas.

14. Quinimmò perſona Syndici, qui nomine S.Romanæ Eccleſiæ de executione Legatorum eſſet ſollicita, in terminis tamen ponderatis *num. præced.* videtur perſona habilior conducens ad puriorem Regulæ obſervantiam: cùm à Fratribus poſſit faciliùs inſtrui ſuper neceſſitatibus, quibus Fratres premuntur; nec debeat

cum

cum incommoditate Fratrum executio Legatorum per multorum manus tranſire, ſed illius dumtaxat, à Sede Apoſtolica conſtituti ad Fratrum indigentias eleemoſynis relevandas, ut infra *num.*26.

15. Tandem, puritas Regulæ non offenditur, ſi admittatur Syndicus cum *quarta facultate*, ut de ſe notum eſt. Ita poteſt in judicio Fratrum privilegia, & exemptiones defendere: ut ſi graventur ad ſolvendas gabellas, collectas, ad quartam funeralem (putà, ubi hæc ſolvi non conſuevit) vel ad ſimilia cogerentur, ad quæ ipſorum ſtatu, & exemptione inſpectis, non tenentur, à Syndico poſſunt coram Judice à moleſtiis relevari, quin Fratres maculentur. Nullus enim habetur titulus, per quem puritas Regulæ videatur offendi.

16. Syndico quoque convenit concedere Procuratori ad lites, concernentes bona temporalia pro Fratribus relicta, mandatum Procuræ. Quod nullatenus poteſt à Fratribus dari, nec Procurator conſtitui. Quoniam nullam Fratres poſſunt actionem judiciariam in propria perſona in judicio exercere: conſequentèr nec alteri ſuas vices committere, ex vulgatiſ-

gatiſſima regula : *nemo dat, quod non habet*, & 67. in 6. *quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit*.

17. Quod maximè conſtat conſiderando, mandatum deſiderari, ut ejus virtute Procurator ex perſona Domini reum in judicium trahere poſſit. Et ideò in principio litis mandatum exhibendum eſt, ut Procurator doceat de ſua facultate, & in ſe ipſum fuiſſe à Principali ſuas actiones tranſportatas, juxta Gloſ. ad *cap. Qui ad agendum de procurator. in* 6. Cùm verò mandatum ſit quid facti, non præſumitur, ſed probatur, *l. in libello* §. *Facti ff. de captivis, arg. ex cap. ſi forte de elect. in* 6.

18. Ac ulteriùs patet ex terminis, quibus exponitur munus Procuratoris ad lites, dicendo: quòd *ſit is, cui alienæ rei actio, vel defenſio præſentis, vel abſentis permiſſa eſt mandato Domini, ſeu Principalis, qui in judicio litis cauſam ſuſtinet*. Cujus autem rei temporalis dominus eſt Frater Minor? Et quam poteſt ipſe actionem in foro contentioſo habere pro re temporali vindicanda? Nullam quidem ad præſcriptum Declarationum Nicolai, & Clementis, & hinc inhabilis eſt, ut alteri aliquam exercendam concedat.

19. Qua-

19. Quarè Procuratorem tractare litem, cauſamque de re temporali cum mandato à Fratribus recepto, perindè eſſet, ac ſinè mandato negotium agere; paria enim ſunt, aliquid non fieri, aut eo modo fieri, quo fieri non poteſt, *l.*1. §. *Quod ſi nemo ff. quòd ſi cujuſcumque Univerſit. nomine,& c.* Et hinc *cap. Alia de Procurator.* exigitur in Procuratore mandatum legalitèr, ſeù legitimè factum; alioquin, etiam parte non opponente, poteſt ab Judice repelli per Gonzalez in 1. *tit.* 38. *cap.* 1. *num.* 9. Nulliuſque momenti, & ponderis ſunt acta per Procuratorem, aut mandatum non habentem, aut cum inſufficiente operantem. Tunc enim conſideratur, non ut perſona repręſentans Principalem, ſed ut omninò extranea, & intruſa.

Inter cætera, ut mandatum in caſu dicatur legaliter factum, debet coram Notario, & Teſtibus fieri; ac continere nomen Syndici conſtituentis Procuratorem, & Procuratoris conſtituti: item, contra quem, & in qua cauſa: Item, coram quo, & ad quos actus, ad agendum, an ad defendendum. Inſerendus eſt etiam dies, & annus factæ commiſſionis,

nis, ac obſervanda ſunt cœtera, quæ ſunt in praxi in Curia illa, pro qua Procurator conſtituitur.

20. Paritèr pro obtinenda à S. Congregatione Concilii Miſſarum reductióne, preces eidem à Syndico exhibentur, proùt eſt praxis; hac enim in re nequeunt Fratres eſſe petitores; quia verſamur in materia, quæ ſaltem de indirecto res temporales Fratrum reſpicit, ſtipendia nimirum Miſſarum, quæ Fratribus celebrantibus ab Executoribus legatorum in eleemoſynam regularitèr conceduntur, ad quorum neceſſitates à Syndico licitè, & ritè recipiuntur.

Major difficultas excitatur circà quintam facultatem *ex n.* 5., & continet duo puncta. Primum, an dicta facultas ſit diſpenſatio quantùm ad eſſentialia præcepta Regulæ? Secundum, an, renunciatis diſpenſationibus, & privilegiis relaxativis puritatis Regulæ (ut regularitèr fit in omnibus Capitulis Generalibus) poſſint Fratres puritate conſcientiæ uti Syndico quòad illam facultatem?

22. Sanctoro *ubi ſupr.* cenſet uſum Syndici ſub titulo, ut recipiat omnes eleemoſynas pecuniarias in utilitatem

Fratrum oblatas, datas, vel relictas, eaſque in neceſſitates Fratrum expendat, continere modum repugnantem puritati obſervantiæ, & Fratres mortalitèr peccare, ſi eo utantur: conſequentèr diſpoſitionem factam à Martino V. importare diſpenſationem relaxativam puritatis Regulæ; ubi quamplurima infarciat ad illud probandum.

Contrà quem dicimus proviſionem Martini nec Regulæ, neque Declarationibus Nicolai III. & Clementis V. eſſe contrariam. Quod ità demonſtratur: ſi illis contrariatur; contrarietas provenit, vel ex parte *Pontificis* aſſumentis in ſe dominium pecuniarum; vel, ex parte *Syndicorum nominatorum*; *aut ex parte Fratrum, & modo recurrendi*. At nullum horum verificatur.

23. Non primum, quia in caſu Martinus V. nihil aliud egit, quàm quod Nicolaus III. qui pecuniam, aut ex Legato, aut ex rebus Fratrum uſibus prius datis, & donatis, ac divenditis provenientem in dominium ſuum, implicitè ſaltem, & virtualitèr aſſumpſit, ut ex ſæpè *cit.* §. *Ad hæc quia, v. ſi, vero*. Quam proviſionem Nicolaus hoc motivo conſtituit, *nè*, *res*,

res , & rerum pretia , ſivè pecuniæ , ſub incerto dominio maneant : non eſt enim perſona aptior , in quam devoluatur dominium rerum , & pecuniarum Fratribus propter Deum oblatarum , quàm perſona Romani Pontificis , cui quòad dominium acquiruntur ea : quæ Fratribus Minoribus modo licito offeruntur , vel conceduntur §. *Ad hæc cùm* .

Adnotandum tamen, Martinum non aſſumpſiſſe in ſe dominiũ, & adminiſtrationem pecuniæ cujuſcumque fuerint ; ſed illius ſolùm , quæ nullum haberet dominum, hoc eſt, pecuniæ , quam Donans , offerens , vel legans intelligeretur omnimodè à ſe abdicaſſe : tunc enim Pontifex jure Capitis , & Patris univerſalis pauperum ſuccedit in vices , & poteſtatem Donantis , vel Domini prioris : quapropter quemadmodum eſt impertinens ad Regulam , & Declarationes Nicolai , & Clementis , quiſnam ſit dominus , & adminiſtrator pecuniæ pro Fratribus oblatæ , dummodò ipſi Fratres non ſint ; ità nihil ſpectat ad Regulam , vel dictas Declarationes , ſi Martinus acceperit in ſe dominium pecuniæ , cujus dominium donans ſibì non reſervavit .

Quod, ut dictum eſt, fecit etiam Nicolaus, ſaltèm per æquipollens.

Et præſertim in caſu, quòd donans principalis decederet, voluit, quòd pecunia à Subſtituto, apud quem fuiſſet depoſita pro neceſſitatibus Fratrum, in illas expenderetur, etiam contradicente hærede. Quæ pecunia, donec ſit expenſa (cùm non ſit amplius Donantis, cùm mortuus ſit: nec Subſtituti, qui eſt ſolùm miniſter: nec hæredis, qui excluſus videtur) neceſſe eſt, ut ex vi Declarationis Nicolai ad dominium Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ redeat, ut expreſsè ex §. *Ad majorem*.

24. Neque officit Regulę, vel ipſius Declarationibus, quòd per Syndicos nominatos recipiatur, & adminiſtretur Quoniam Syndici non nomine Fratrum, ſed Romanæ Eccleſiæ pecuniam recipiunt, & expendunt. Tum quia, Syndici duplicem perſonam gerunt, hoc eſt, *Subſtitutorum* Donantium, quòad pecuniam, quarum dominium dantes ſibi reſervaſſent: & *Subſtitutorum* Papæ, quòad pecunias, quæ ſunt de dominio Papæ (cùm illud Donantes à ſe ablegaſſe cenſeantur.) Undè ſicut Subſtituti Donantium nihil Regu-

Regulæ, aut Declarationibus præjudicant, ex Nicolao §. *Cæterùm, cùm*; ità ex identitate rationis dicendum de Subſtitutis Papæ. Sicùt enim primi repræſentant Donantes, quorum nomine agunt; ità ſecundi repræſentant quòad hoc munus perſonam Papæ, cujus auctoritate pecunias recipiunt, & expendunt.

Dices. Secundum Declarationem Nicolai *alleg.*§. opus eſt, quòd ſi Donans nolint per ſe ipſum expendere pecunias in neceſſitates Fratrum, debeat Subſtitutum nominare, qui ejus nomine id agat? vel, ſi nominare ipſe non velit, conceditur, ut Subſtitutus ipſi à Fratribus præſentetur, vel nominetur, adeòut tot ſint Subſtituti, quot ſunt Donantes. In caſu verò de Syndico unicus aſſignatur pro omnibus, & tàm Donantes arctantur illi eleemoſynas conſignare, & non alteri, quàm Fratres coguntur ad illum, & non alium eos dirigere; neque poſſunt ſimul, & cumulativè alium nominare. Ideò proviſio Syndici Declarationi adverſatur.

R. Nullatenùs Martinus, & Paulus reſtrinxerunt poteſtatem Donantium, qui poſſent liberè per ſe ipſos, vel per

Subſtitutos à ſe nominatos expendere pecuniam, cujus dominium ſibi retinuiſſent; & liberum reliquerunt Fratribus ſervare modos à Nicolao declaratos.

25. Verùm in caſu, quo Donantes retinentes adhuc ſibi dominium pecuniæ, nollent per ſe illam expendere, vel perſonam ſubſtitutam nominare, ſed deberet perſona ſecundùm Declarationem Nicolai præſentari, vel à Fratribus nominari, Paulus providè ſecundùm Regulam ordinavit, ut unus à Miniſtris, vel Cuſtodibus nominaretur, qui eſſet Syndicus, & Procurator Sedis Apoſtolicæ: cujus fidelitati cœtera negotia Conventuum, concernentia Fratrum ſubſtentationem eſſent committenda.

26. Adverterant Fratres, proùt experimentum docuerat, ſibi durum, moleſtumvè fuiſſe ad plures perſonas, pro diverſitate Benefactorum recurrere; ſibique faciliùs eſſe informare unam, quàm plures, de modo expendendi pecunias in neceſſitates Religioſorum, de qualitate neceſſitatis, & aliis conducentibus ad puram Regulę obſervantiam; propter quod pro ſerenitate conſcientiæ, & ad removendos ſcrupulos recurſum habuerũt ad

Sedem

Sedem Apoſtolicam ſub Martino IV. & V. ac Paulo IV. à qua dictæ proviſiones emanarunt; quæ nihil puritati Regulæ præjudicant, nihilque continent, quod, inſpectum, ut oportet, ſubſtantiam vulneret obſervantiæ: proùt cuique conſideranti perſpicuum eſſe poteſt.

27. Quæ macula in obſervantiam ſequitur, quòd à Fratribus ex facultate Sanctæ Sedis unus Syndicus nominetur ad effectum, ut pecunias omnes adminiſtret? profectò nulla; ſicut quævis excludebatur, quod unam, vel aliam nominarent de licentia Donantium ex conceſſione Nicolai.

28. Nec tandem officit puritati Regulæ *quòad Fratres recurrentes*. Nàm Fratres nihil agere poſſunt circa Syndicos, quod operari non poſſent circa Donantes, & eorum Subſtitutos juxtà d. Declarationem Nicolai. Neque eſt Syndicis permiſſum, ut pecunias ad ſuum libitum adminiſtrent; ſed eſt ſervanda intentio Donantium, quantùm ad pecunias, quarum dominiū ſibi ipſi retinuerunt: & illa Pontificis quoad pecunias ad dominium Eccleſiæ jure devolutas. Horum verò intentio eſt, ut nonniſi in veras Fratrum ne-

neceſſitates, præteritas, præſentes, vel imminentes erogentur.

Dices. Tàm Martinus, quàm Paulus IV. in ſuis reſpectivè proviſionibus præſcripſerunt, quòd Syndici circa rerum receptionem, venditionem, & pecuniarum expenſionem, non pro ſua libertate procederent, ſed *ſicut, & quomodo de aſſenſu Superiorum fuerint requiſiti*. Quod quidem aliquod jus in Fratribus videtur inferre.

Item, purior erit obſervantia Regulæ, ſi ſerventur modi à Nicolao præfiniti §. *Cæterùm cum*, quàm ſi admittatur uſus Syndici Martiniani, vel Paulini.

29. R. Negatur illatum. Requiſitio ibi nullam actionem auctoritativam, juridicam, & præceptivam importat; ſed eſt ſolùm humilis inſinuatio, & expoſitio neceſſitatis; quæ Fratribus conceditur, etiam à Nicolao circa perſonas Donantium, vel Subſtitutorum: ibi: *Licèt tamen Fratribus ſuas neceſſitates inſinuare, ac ſpecificare, vel exponere perſonæ prædictæ, ac eam rogare, quòd ſolvat*. Propterea requiſitio eſt ſolùm *miniſterialis, conſultiva, ſpecificativa, directiva, & deprecativa*: & ideò nullo modo contra Regulam, & Regulæ Declarationem. Quo

Quo ſenſu accipitur auctoritas ab eodem Nicolao §. *Quia verò*, ibi: *commutatio rerum in alids Fratrum licitas fiat* (à Syndico) *de auctoritate Generalium, & Provincialium*. Non enim auctoritas ibi ſtat pro juridica, & civili, cujus Fratres ſunt incapaces, ſed pro auctoritate directiva, & conſultiva.

30. Ad item. De falſitate conſtat ex concordia, quæ eſt inter Declarationes Nicolai, & Clementis cum proviſionibus Martini, & Pauli quòad Syndicum *loc.cit. v.ſi verò* promiſſum.

31. Itaque I. Ex textu Nicolai §. *Articulum iſtum*, & ex illo Clementis §. *Cum etiam*, licet Fratribus pro veris neceſſitatibus recurrere ad Amicos ſpirituales, *ſivè*, ut ait Clemens, *ſint Dantes pecunias, ſeù deputati per ipſos, ſivè nuntii, vel depoſitarii, vel quocumque nomine appellentur*. Ergò pariter, ſalva puritate conſcientiæ, eis licet in caſu dictarum neceſſitatum recurrere ad Syndicos inſtitutos ad præſcriptum Litterarum Martini, & Pauli. Qui in proprietate ſermonis nominari poſſunt Subſtituti Amici ſpiritualis, Papæ nimirum, de cujus proprietate ſunt res pro Fratribus donatæ. Quin etiam ratione mini-

miniſterii non incongruè appellarentur *Amici*, *& Patres ſpirituales*. Sed lis non ſit in voce.

32. II. Nicolaus ibi declaravit, quòd, nolentibus Donantibus aliquem nominare, poſſent Fratres tutò unam, vel plures perſonas ſibi bene viſas nominare, ac etiam mutare, ſi opus eſſet; qua itaque ratione dicendum eſt eis repugnare Syndicos ex beneplacito Apoſtolico nominatos?

33. III. Declarat Nicolaus *loc. cit.* Fratribus licere neceſſitates proprias ſignificare Subſtitutis Donantium; quo titulo debet eorum puritas maculari, ſi illas Syndicis ſignificent?

34. Subſtituti nomine Donantium, pecunias in adminiſtrationem recipiunt, ut modis Regulæ congruis neceſſitates Fratrum relevent. Hoc ipſum agunt Syndici, nomine Papæ.

35. V. Quemadmodum donans poteſt quovis momento repetere pecunias de manu Subſtituti. Sic Pontifex poteſt pecunias de manu Syndici repetere, quando expediens judicat, & in alios uſus convertere.

36. VI. Subſtitutus tenetur pecuniam

niam ſibi creditam defendere, & in judicio repetere arg. ex §. *Poſſint etiam* ex declaratione Nicolai; Idem onus à Martino, & Paulo imponitur Syndicis.

37. VII. Incumbit Fratribus inſtruere Subſtitutos Donantium, quod jus pecuniarum ad Donantes ſpectat ex Nicolao §. *Ità tamen*; non tamen ad Fratres *Clement.*§.*Cum etiam.* Quod paritèr debent exequi circa Syndicos, eos monendo reperiri apud Pontificem.

38. VIII. Nequeunt Fratres conſentire, ac plus ſcientèr Subſtituto à Donante concedatur, quàm veriſimilitèr pro veris neceſſitatibus exigatur ibi §.*Caveant.* Quo debito tenentur cum Syndico; graviterque peccant, ſi plus apud eum deponi permittant.

39. IX. Sicut eſt Fratribus prohibitum in judicio, vel extrà procedere adverſus Subſtitutum Dantis: aut ab ipſo computus juridicos exquirere de expenſis: vel, præcipere, quomodo pecunia expendenda ſit: ſeù, tenere clavem arcæ, in qua pecunia à Subſtituto aſſervatur, ex Nicolao §. *Ità tamen*, & Clemente §. *Attendant*. Sic pari modo ſunt hæc eis cum Syndico interdicta.

Et ſi

Et ſi interdùm Syndici computus reddere videantur, actus ille non eſt juridicus, & auctoritativus ex debito, vel obligatione civili ad Fratres; ſed eſt tantùm charitativa informatio præſtita Superioribus, ut, eâ notitiâ habitâ, videant, an eleemoſynæ excedant caſum neceſſitatis veræ, præteritæ, præſentis, vel imminentis; & quid ſit agendum.

Dices. Fratres mittunt Benefactores ad Syndicos, ut penès eos pecuniam deponant: quod repugnat Regulæ.

40. R. Non auctoritativè Fratres ſe gerunt cum Benefactoribus; quos non præceptivè, ſed conſultivè ſolùm, & deprecativè ad Syndicum dirigunt. Nec aliud tunc cenſentur agere, quàm, quod Nicolaus declaravit poſſe fieri circa principales Dantes, eorumque Subſtitutos, vel iſtis Subrogatos, cùm pecunia erat per diverſas manus tranſitura, §. *Si verò perſonam*, §. *In eo verò*.

41. Notabis, quòd, poſito, Dantem velle per ſe, vel alium à ſe Subſtitutum neceſſitati Fratrum providere, non licet Fratribus eumdem deprecari, ut pecunias apud Syndicum deponat; ejus enim electioni relinquendum eſt: ſed quatenus

ſit à

ſit à Fratribus aliquis nominandus, eſt nominandus Syndicus, ex dictis *num.* 26.

42. Eſt adnotatione dignũ, quòd,cùm Papa ordinat,Superiores debere nominare Syndicos,aliud non facit,nec majorēm eis confert auctoritatem, quàm conferat Amicus ſpiritualis, dum nolens per ſe Subſtitutum nominare, mandat, & conſentit, ut per Fratres nominetur; & quemadmodum perſona nominata auctoritate Donantis, & modo Fratribus licito debet pecunias expendere; ità Syndicus auctoritate Papæ, modiſque Ordini congruis tenetur pecunias adminiſtrare.

Hæc profectò concludunt Syndicos parificari cum Subſtitutis Donantium; probantque proviſionem deSyndico non tantùm non adverſari, ſed eſſe in totum conformem Regulæ, & Declarationibus Nicolai, & Clementis; nilque conferre Fratribus, quod rigorem Regulæ relaxet, ſed eſſe à benignitate Apoſtolica de remedio proviſum, quo ſecundùm circumſtantias temporum,puritati, & quieti Fratrum, ſinceræque obſervantiæ conſuleretur.

Quæ ſanè præponderant aliis, ponderatis à Corduba, & Sanctoro *loc. cit.* adver-

adversùs legitimum Syndicorum uſum; contrà quæ optimè valent, quæ fuerunt adeò doctè ſcripta à Marchant in *relect. theol. de uſu Syndicor.*

Quatenus verò reflexionibus hucuſque productis quis non cederet, nec rationibus adeò concludentibus acquieſcere vellet, vel ſaltèm urgeret, negari non poſſe, quin ſit probabile, quòd utentes Syndico Apoſtolico diſpenſationem admittant in puritate Regulæ, cùm id ſuadeant rationes à Corduba, & Sanctoro productæ (eſt enim cèrtùm opinionẽ aliquam eſſe probabilem, pro qua utrinque ſunt rationes, & motiva) adverſus eũ auctoritatem reporto, cui & ipſum cedere neceſſe eſt, & ſincerè fateri opinionem adverſam à probabilitate receſſiſſe propter decretum Apoſtolicum. Quod ſpeculationibus ſilentium indixit, & finem litibus poſuit.

43. Innocentius itaque XI. Conſtitut. *Sollicitudo ſub* 20. *Novembr.* 1679. revocatis, irritatis, annullatis, & caſſatis omnibus, & ſingulis diſpenſationibus, conceſſionibus, & conſuetudinibus, ſi quæ contra obſervantiam Regulæ in corpore Obſervantiæ irrepſiſſent adversùs puritatem

tem Regulæ, & Declarationes Nicolai III., & Clementis V. ſubdit: *Declarantes, quòd per præmiſſa non prohibentur in dicto Ordine* (de corpore Obſervantiæ) *Syndici Apoſtolici, cùm eorum uſus non ſit diſpenſatio in Regula, ſed modus à Romanis Pontificibus, Prædeceſſoribus noſtris proviſus pro puriori illius obſervatione: ſivè ejuſmodi Syndici aſſumantur ad præſcriptum Conſtitutionum Nicolai III. & Clementis V. Prædeceſſorum præfatorum, ſivè ſecundùm diſpoſitionem Conſtitutionum rec. mem. Martini IV. Martini V., ac Pauli IV. Prædeceſſorum paritèr noſtrorum; prout illorum uſus in ſingulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, ac Provinciis Ordinis prædicti reſpectivè fuerit receptus*. Qua declaratione poſita, planè, ſi nondum Corduba, & Sanctoro ſatis ceſſiſſent, palinodiam canerent, retractando, quæ ſcripſerunt adverſus uſum Syndici aſſumpti ad tenorem proviſionum Martini, & Pauli; & à cenſura temperarent, quòd illo utentes eſſent diſpenſati in Regula.

44. Concludendum eſt cum Portello *ſub. regul. v. Syndicus num.*4. quod Conventus non habens Syndicum ponit ſe in periculo tranſgrediendi Regulam; cùm, ut

ut ait, vix inveniendus ſit Cōventus quantumcumque reformatus, qui Syndico non indigeat: homines enim ſunt, qui ibi vivunt, & frequenter opus habent neceſſitatibus providere per pecuniam, quod quidem utplurimum implere non poſſunt, niſi per Syndicum; non enim ſemper Amici ſpirituales per ſe ipſos, vel alios nominatos volunt executioni mandare: pluresque interrogati, vel, quòd ipſi expendant, vel, quòd alteri perſonæ committant, ſolent reſpondere: *habetis Syndicum: mittam ad Syndicum, nec ulteriorem curam ſuſcipiam.*

CONSILIUM II.

Quiſnam Syndicos nominet?

SUMMARIUM.

1 *A quibus Syndici Apoſtolici nominentur?*
2 *Quæ perſonæ ſint nominandæ?*
3 *Facultas nominandi Syndicos poteſt committi aliis à Superiore?*
4 *Syndici ſunt ab Officio amovibiles.*
5 *Pro quolibet Conventu unicus Syndicus nominandus.* 6 *Sub-*

6 *Subſtitutus poteſt à Syndico deputari.*

7 *Comitatus euntium ad Capitulum Generale à Lege præfinitus.*

8 *Subſtitutos Syndicorum an Fratres valeant nominare?*

9 *Vndè conſtet de legitima nominatione Syndici?*

10 *Cautela ſervanda in nominatione Syndicorum.*

11 *Quorum inſtructio ſit à Superioribus Syndicis danda.*

12 *Nomine quorum Syndici pecunias adminiſtrent, ad 15.*

16 *Pecuniæ pro Cauſa unius Canonizationis pro alia expendi non poſſunt, niſi de licentia Pontificis.*

17 *Syndicis non licet eleemoſynas ad ſuperfluitates recipere.*

18 *In judicio Syndici non agunt nomine Fratrum.*

19 *Neque ipſorum nomine quietantias faciunt.*

20 *Nullus acquirit dominium Capellæ, vel Sepulturæ.*

1 *Quæ Guardiani debeant cum Syndicis practicare.*

2 *Inhabilitas Fratrum circà quietantias juridicas concedendas.*

23 *Epiſcopis de Ordine Minorum aſſumptis vetitum res Religionis aſportare.*
24 *Formula nominandi Syndicos Conventuũ.*
25 *Et pro aſſervandis, &c. pecuniis donatis pro Cauſis Beatificationum, &c.*
26 *Formula receputæ faciendæ à Syndicis.*
27 *Formula atteſtationis ſuper pecuniis à Syndico receptis per Fratres dandæ.*

1 Facultas nominandi Syndicos non eſt à Sancta Sede promiſcuè omnibus Fratribus, ſed taxativè aliquibus data, ut ex *conſtitut. Ex Clementi Pauli IV. 1. Bullar. tom. 1.* In qua conceditur Generali pro toto Ordine, Provincialibus verò, & Cuſtodibus pro ſua reſpectivè Provincia, & Cuſtodia, earumque Conventibus.

Eadem gaudent Procurator,& Commiſſarius Generalis Romanæ Curiæ ex conceſſione Eugenii IV. *ſub* 4. *Kal. Maii* 1432. apud Sanctoro *comment. in ſtat. cap.* 8. *ſtat.* 37. *ad calcem*. Plures enim expenſæ ſunt pro miniſterio exercendo neceſſariæ, quæ abſque Syndico Apoſtolico, ſalva puritate Regulæ, fieri minimè poſſent.

2. Verùm non quævis perſona cenſetur

ſctur habilis, ut nominetur; ſed nominanda non debet eſſe de Ordine ipſo Fratrum Minorum, proùt expreſsè ex allegatæ Conſtitutionis lectura, ſed ex ſtatu ſæculari aſſumenda eſt; & ſivè Eccleſiaſtica ſit, vel Laica, neceſſe eſt, ut, quantùm humana infirmitas patitur, ſit probatæ vitæ, integræ fidei, ac idonea, ut capax ſit recipiendi inſtructiones, & informationes de pertinentibus ad ſanam Syndicatus adminiſtrationem, ad hoc, ut cum merito, & juxtà modos Fratribus licitos in miniſterio ſe gerat.

3. Cœteri quoque Fratres poſſunt Syndicos nominare, dummodò illis nominatio à prædictis committatur; cùm enim illi in eo ſint delegati Papæ, donantur jure alios ſubdelegandi, ex notiſſima regula, quòd Delegato à Papa, vel Principe ſubdelegare conceditur, *cap. Si pro debilitate, cap. Prætereà de offic. deleg.* Et maximè, quia Paulus in d. Conſtitutione habilitat Miniſtros Generalem, & Provinciales, ac Cuſtodes, ut alios poſſint deputare ad nominandum, ibi: *Et ad hoc ab eis reſpectivè deputati Fratres pro tempore.*

Hinc patet, quod ubi à Guardiano,

etiam cum toto Conventu, commiſſione ab eis, ad quos ſpectat, non receptâ, Syndicus nominaretur, realitèr, & in effectu non Syndicus, ſed perſona eſſet interpoſita, utpotè ab inhabilibus intruſus, & propterea ageret auctoritate Fratrum: qui per ipſum dicerentur recipere pecunias per interpoſitam perſonam; & indè eſſent proprietarii, & Regulæ tranſgreſſores.

4. Nec modò Paulus præfatis indulſit, ut Syndicos nominarent, verùm etiam, ut nominatos ab officio amoverent, dum expediens judicarent: hæc ſunt in textu: *Revocandi quoque perſonas eaſdem, & earum quamlibet, ac alias ſubrogandi, vel nominandi per ſupradictum modum nominationis, quotiès opportunum fuerit... Generali, ac Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus, & eorum ſingulis, eadem auctoritate facultatem, etiam concedimus.*

5. Plures Syndici pro uno Conventu ſimul nequaquam eſſe poſſunt, ſed ſingulis Conventibus proprius, unicuſque convenit: Ex pluritate enim Syndicorum confuſio in Conventibus orietur; & de facili proviſio, quæ facta eſt, ut puriùs Regula obſervetur, fraudes paraſ-

paraſſet ad tranſgreſſionem. Unus enim ſufficiens eſt: & meliùs de requiſitis ad ſtatum Fratrum inſtruitur unus, quàm plures.

Evidens id eſt ex Conſtitutione Clementis VII. *Dum conſideramus* 19. *Bullar. tom.*1. in qua *uni tantùm* Syndico Conventuum quædam privilegia conceduntur, ut dicam infr. *conſil.* 3. Et in Litteris Innocentii XI. (editis 19. *Junii* 1686. *in Offic. Cur. Eccleſiaſt. cap.*51. *num.* 3.) quibus Pontifex decreta Sac. Congr. memorata privilegia concernentia confirmat, habetur: *ut unicuique Conventui dicti Ordinis* (ſcilicet S. Franciſci de Obſervantia) *aſſignaretur unus Procurator, ſivè Syndicus Apoſtolicus*, *qui omnes eleemoſynas* (notabis omnes poni adverſativè ad alium, qui aliquas recipiat) *tàm pecuniarias*, *quàm aliarum rerum colligere*, *illaſque ſolus in neceſſitates Fratrum applicare deberet*. De qua re nefas eſt dubitare; quandoquidem omnia decreta Apoſtolica uniformitèr procedant, & pro unico ſemper diſponant, & ſupponant, proùt videri poſſunt approbata in d. Conſtit. Innocentii; ac alia edita à Congregatione particulari ab Urbano VIII. præpoſita conſultationibus

Fratr. Minor. de Obſerv.' quæ excripſi *tit.3.conſil.*1. quatuor diſtinctis §.§. Idemque comprobatur ex Statutis generalibus in compilatione Sambucana *cap.*4. §.1. *num.*4. quò præſcribitur, *ut quilibet Conventus habeat Syndicum, & Procuratorem, ac etiam Subſtitutum, ſi opus fuerit, & non alios*. Syndicum ajunt,non Syndicos.

Quocirca non eſt recipienda doctrina Cordubæ in *cap.* 4. *Reg. quæſt.* 16. *verſ. tertiò notandum*, ubi tradit plures Syndicos poſſe eſſe pro uno Conventu, ad effectum recipiendi eleemoſynas pecuniarias, licèt duo tantùm privilegiis fruerentur; cùm enim adverſus ipſum ſtent jura ſuperiùs allegata, non eſt ejus opinio ad praxim deducenda; ne quis velit in Regulam offendere, & pro Syndico uti perſonâ interpoſitâ.Propterea,nè Fratres hallucinentur, nevè fortè ex malitia Benefactores ſeducant,regulam Superiores in nominatione novi Syndici debent ſibi præfigere, inſerendo in patentibus nominationis clauſulam, quòd annullant, caſſant, & revocant alias quaſcumque litteras ea de re conceſſas, ut dixi infra *num.*24.

6. Cœterùm Syndicus canonicè nomina-

minatus poteſt, cùm oportet, & expediens advertit, Subſtitutum nominare; cum enim Syndicus ſit Oeconomus, vel Procurator Sedis Apoſtolicæ in adminiſtratione Syndicatus, poteſt alium deputare, qui nomine Syndici recipiat, & pecunias expendat in utilitates Fratrum; qui Syndico rationem reddere tenetur. Fortè hùc faciunt dicta *num.3*. Et ulterius videtur res præfinita in *cap. Exiit de verb. ſignif. in 6.* ubi §.*In ea verò*, deciditur Subſtitutum principalis Domini poſſe alium Subſtitutum nominare; Syndicus autem eſt Subſtitutus Domini principalis, Papæ videlicet, de cujus dominio ſunt res pro Fratribus relictæ, ut alibi diximus, & ejus auctoritate expenduntur.

7. Supponiturque in Statutis Capituli Generalis *de anno* 1676. confirmatis in forma ſpecifica ab Innoc. XI. *conſtitut. Militantis*, ſub *die* 22.*Novembr.*1679.apud *Orb. Seraph. tom.* 4. *tit. pro utraq. Familia.* ibi: *Capitulum Generale præcipit ſub pœna privationis ſuffragii, quòd Miniſter, ſeù Pro-Miniſter, & Cuſtos cujuſcumque Provinciæ ſimul ad Capitulum iter faciant, cum unico tantùm ſocio Religioſo pro utroque: & ſi expenſæ aliquæ in itinere ex neceſſitate faciendæ*

ſint, adducant ſecum Tertiarium, qui Syndici Apoſtolici Subſtitutus ſit, & ipſius nomine expenſas prædictas inevitabiles faciat.

8. Dicitur *Subſtitutus* non Fratrum, ſed Syndici, cujus nomine agere debet; nàm ſi nomine Fratrum ſumptus faceret, vel pecunias oblatas reciperet, eſſet Fratrum perſona interpoſita, in Regula omninò prohibita. Proindè in nominatione Subſtituti Fratres alias partes non poſſunt habere, quàm, ubi Syndicus exigat, perſonam idoneam eidem proponere, vel etiam nominare, ſi ipſe conſentiat, ad text. in *d. cap. Exiit* §. *Articulum iſtum*.

9. In deputatione Syndici opus non eſt adhibere Notarium, vel Teſtes, aliamvè ſervare ſolemnitatem juris: neque eſt exquirendus conſenſus Conventus; quoniam ad hæc Superiores nullo jure arctantur, cùm eis facultas ſimplicitèr, & ſinè recenſitis reſtrictivis à Sancta Sede ubi ſupra concedatur. Propterea de nominatione legitimè conſtabit per litteras patentes in forma probante nominato traditas: hoc eſt, propria Nominatoris manu ſubſcriptas, & ſigillo officii munitas, & in regeſtis Secretariæ Ordinis, vel

Pro-

Provinciæ reſpectivè exemplatas.

10. Ponderandum hic eſt, Paulum IV. facultatem elargiri dumtaxat nominandi Syndicos, ut patet ex textu Conſtitutionis. Ideò Superiores cavere debent, nè plus ſibi uſurpent, quàm per conceſſionem tribuatur. Propterea cautelam ſervent, & non utantur hac forma, vel ſimili: *conſtituimus*, vel, *eligimus*: neque, *damus auctoritatem ad hoc*, vel *illlud*: ſed ſolùm *nominamus*. Neque aliud eſt hæc nominatio, quàm certificatio, tàm pro ſecuritate perſonæ nominatæ, quàm pro illis, cum quibus tractare debet in alienationibus, venditionibus, &c. Qua nominatione poſita, recipit nominatus à Sede Apoſtolica auctoritatem, ut legitimè exequi ea poſſit, eo modo, quo ipſa voluit. Formulam verò nominandi damus *num.*24.

11. De nonnullis ſunt Syndici à Superioribus inſtruendi pertinentibus ad Officium Syndicatus; nè,aut ex parte ſua error contingat, aut Fratribus relaxatis facilè in recurſibus contra Regulam condeſcendant. Quamquàm enim in Litteris Apoſtolicis Pauli inſeratur clauſula, quòd de ſibi commiſſis diſponant, proùt

prout à Miniſtris, & Cuſtodibus per ſe, vel per alios Fratres fuerint requiſiti, tamen hoc non probat Pontificem velle obſervantiam relaxare,& omnem recurſum juſtificare; ſed ſupponit requiſitionem juſtam, & puram eſſe, juxtà modificationem in textu Litterarum adjectam: hoc eſt: juxtà *modos Regulæ congruos, & licitos: vel, prout eis licet ex Regula, aut Regulæ Declarationibus*:per alibi hoc opere dicta.

12. Primò itaque moneantur, quòd tàm pecunias, quàm res Fratribus modo licito relictas, donatas, vel conceſſas adminiſtrant nomine Donantium, quando ſibi dominium reſervant; vel nomine Papæ, quando illud deponunt. Quod depoſuiſſe cenſetur, quoties pecunia, vel res offertur generalitèr pro neceſſitatibus Fratrum abſque ulla ſpecificatione in particulari; & maximè, ſi nomen Donantis non exprimatur:tunc enim dominium eſt ut minimùm incertum; & cùm res, vel pecunia ſit pro amore Dei pro pauperibus data, in dominium tranſit Sedis Apoſtolicæ, & ejus nomine à Syndico adminiſtratur.

13. Secundò. Quòd omnis res humili

mili mendicatione à Fratribus modo licito (hoc eſt, cujus uſus facti ipſis vetitus non eſt) acquiſita, adminiſtratur à Syndico nomine, & auctoritate Papæ; Etenim quæ mendicis à Donantibus in eleemoſynam traduntur, tanquàm bona pauperum propter Deum elargita, in jus Romani Pontificis tranſeunt, ut alibi notavimus: præſertim, ſi pauperes, pro quibus conceduntur, ſint dominii incapaces, prout ſunt Fratres Minores; & conſequenter nomine Papæ â Syndico, tanquàm ejus Oeconomo, & Procuratore ſunt adminiſtranda.

14. Tertiò. Quòd pecunia in neceſſitates Fratrum oblata titulo laboritii corporalis, vel ſpiritualis, ut pro Miſſis, Officiis, *Prædicationibus*, & *Sepulturis*, ad Romanam Eccleſiam pertinet; utpotè pro iis conceſſa, qui à Regula inhabilitantur ad rerum proprietatem, & dominia acquirenda.

15. Quartò. Quòd quævis res, & pecunia, modo Fratribus licito donata, vel teſtamento legata pro neceſſitatibus Fratrum, mortuo Donante, vel Teſtatore (niſi pro hæredibus aliud diſpoſuerint) ſt Eccleſiæ Romanæ, per alibi notata; ejus

ejus proindè nomine à Syndico in Fratrum utilitates debet converti.

16. Quintò. Quòd pecuniam traditam, ut expendatur pro determinata neceſſitate, non poteſt in alium uſum convertere, ut expreſsè, & in terminis terminantibus *Clementina Quia contingit de Relig. domib.* Enim verò Syndicis non licet operari præter intentionem Domini principalis, ut ex ſæpè dictis *conſil. prior. notum eſt*.

Et confirmat factum noſtris temporibus practicatum. Inſtante enim Canonizatione S. Joannis de Capiſtrano, cùm pecuniæ ſufficientes pro ea abſolvenda deeſſent, ſuppletæ fuerunt ex depoſito facto pro alia Cauſa; non quidem privata Superiorum Ordinis, aut Syndici Apoſtolici auctoritate, ſed expreſſa, & ſpecifica licentia Sedis Apoſtolicæ, ac aſſenſu Alexandri VIII. & tenuit Rota coram Card. de la Tremoille *in Mexicana depoſiti eleemoſynarum* 22. *Junii* 1699. & dixi *tit. ſequen. conſil.* 3. *num.* 22. & 23.

17. Sextò. Quòd Syndicis non licet nomine Papæ, vel Donantium recipere pecunias, & res ad ſuperfluitatem, theſaurizationem, & curioſitates Fratribus, & ipſo-

& ipſorum ſtatui incongruas. Ratio eſt, quia auctoritas Syndici à Pontificibus eſt reſtricta ad modos Fratribus juxta Regulam licitos; de quorum ſpecie non ſunt prædicti.

18. Septimò. Inſtruantur Syndici de modo tenendo, quando occurrit, ut debeant in judicio repetere, aut defendere res Fratribus modo congruo relictas. Tunc non nomine Fratrum actores debent eſſe; ſed, illo Romanæ Sedis, vel Donantium aſſumpto, agant, & rem tractent.

19. Octavò. Inſtruantur, quòd, quoties quitantiæ, & receptæ dandæ ſunt, non nomine Fratrum illas faciant, ſed nomine proprio, tamquam Oeconomi, & Adminiſtratores Papæ pro rebus in Fratrum utilitates convertendis. Formu-am vide *num.26.*

20. Nonò. Inſtruantur, quòd idem ervent, ſi opus ſit, ut aliquos contractus ipulent pro aliqua re Fratres concerente. Abſtineant tunc ab aſſumendo omine Fratrum, ſed proprio conventio-em ineant. Ità, ſi alicui Benefactori ncedendus eſſet uſus facti alicujus Ca-llæ, vel Sepulturæ, inſtrumentum nomine

mine proprio faciat; quod tamen nullatenus debet importare venditionem ipſarum, etiam quoad uſum. Permittit quidem ipſe, de conſilio, & aſſenſu Fratrum uſum facti, hoc eſt, quod Benefactor, ſuique hæredes poſſint Capellam ædificare, ornare, & in ea ſua arma apponere, cum excluſione aliorum; vel, ut jus habeat ſepulturæ, nimirum, ut tàm ipſius, quàm hæredum corpora in ſepulchro conſtructo ſepeliantur ad aliorum excluſionem; verùm illum locum neutiquàm vendere poteſt, juxta dicta *tit.* 1. *conſil.* 6. *num.*14.

Hinc obſervandum, in nullis Eccleſiis, vel Cœmeteriis poſſe vendi locum pro Capellis, vel Sepulturis ædificandis, adeòut acquirens fiat ipſarum dominus. Cùm enim Eccleſia ſit res ſacra, adeòque ſpiritualis, non poteſt nec in totum, nec in partem ſub dominio eſſe Laici, vel Clerici *l.quæ de tota ff.de rei vendicat.* Quocirca dicendum, quod acquirens locum habet uſum Sepulturæ, & jus honorarium ædificandi, & ornandi Capellam privativè etiam quoad alios, non tamen dominium, ità Barboſa *de offic. Parochi part.3. cap.26. num.*11. Peyrinus *de privil. Regul.*

Regul. additam. ad conſtitut. Leonis X. cap.4. num.36.

21. Curent proindè Superiores, & maximè Guardiani Syndicos Conventuum circa pręmiſſa docere. Sciantque ſe in caſu omiſſionis gravitèr peccare, cùm in cauſa ſint, quòd Syndici irregularem adminiſtrationē in ſuo munere teneant. Sanè omnes difficultates, & ſcrupuli excitati à Sanctoro in Commentariis in Statuta adverſus Syndicorum proviſionem, non tàm ipſas proviſiones percutiunt, quàm abuſus eorum, ad quos ſpectat eoſdem inſtruere, & illicitis recurſibus finem ponere. Satagant pariter ad obſervantiam reducere adnotata *conſil. præced. num.38. & ſequen.*

22. Advertant Fratres ſe inhabiles eſſe ad faciendas juridicas quietantias de recepta, vel expenſa pecunia; cùm hoc eorum ſit, qui vel domini, vel Adminiſtratores ſunt, aut jus in pecuniis habent. Quatenus verò aliquas faciant, noverint nihil per eas in judicio probari, utpotè procedentes à perſonis ab jure inhabilitatis. Poſſunt tamen teſtari à Syndico fuiſſe receptas. Quæ atteſtatio adminiculum ad probandum facit, vide *n.27.*

23. Pon-

23. Ponderent ſe in nullis poſſe rebus dominium, & jus prætendere, eaſque ſibi appropriare vetitum, & interdictum ſecum deferre, cùm ad Epiſcopatum promoventur, ut expreſsè legitur in Conſtitut. Alex. IV. *Ex parte* 5. *in Bullar. to.*1. edita ad occurrendum corruptelæ ab eis inductæ, qui tali dignitate à Sancta Sede donantur; ibi: *Nos igitur eorumdem Fratrum* (promotorum) *ſaluti, & indemnitati veſtri Ordinis paterna volentes ſollicitudine providere, ut libros, & alia, quæ ipſos promotionis ſuæ tempore habuiſſe, ſeù habere conſtiterit, tibi, fili Generalis Miniſter, vel tuis Provincialibus, ſubmota quacumque dilatione, reſignent: ipſis Fratribus jam promotis in virtute obedientiæ: illis autem, quos promoveri contigerit, ne reſignare differant, auctoritate præſentium duximus injungendum: niſi forſan vos ipſorum uſus eis ad tempus conceſſeritis de gratia ſpeciali.*

§. I. *For-*

§. I.

Formula Litterarum patentum pro Syndico Apoſtolico Conventus.

24. NOs Fr. N. &c. Miniſter Provincialis, &c. Dilecto nobis in Chriſto, Domino &c.

„ Cupientes, proùt noſtri poſtulat Miniſteriatus debitum, ut in noſtro Conventu N. regularis obſervantia non relaxetur, & ſartum tectum conſervetur altiſſimæ paupertatis capitale, ſuis Fratribus à S. Patre noſtro Franciſco legatum, animum convertimus ad ea media ab Apoſtolica Sede in eum finem providè, & ſalubritèr conſtituta. Cùm autem de clementiſſima ejuſdem Sanctæ Sedis benignitate (ad quam, nullo medio, ſpectat proprietas rerum noſtro Ordini modo congruo oblatarum) poſſimus, & debeamus Syndicos in Conventibus nominare, ut nomine, & auctoritate Romanæ Eccleſiæ ad ſublevandas Fratrum neceſſitates, ſalva puritate Regulæ, recipiant, & expendant pecunias pro illis

„ conceſſas, & donatas; ac curam ha-
„ beant de bonis, tàm mobilibus, quàm
„ immobilibus modo licito Legatis,
„ cum facultate ipſa alienandi, diſtrahen-
„ di, ac, quoties opus fuerit, in judicio
„ repetendi, ſervatâ tamen formâ præ-
„ ſcriptâ, tùm in Declarationibus Ni-
„ colai III. & Clementis V. tùm in de-
„ cretis emanatis à Sac. Congregatione
„ ſpecialitèr deputata à ſan. me. Urbano
„ VIII. pro Ciſmontana Familia, &
„ Rev. Fabricæ S. Petri; Nos de Tua ergà
„ Ordinem noſtrum benevolentia, & in
„ hanc noſtram Provinciam ſingulari
„ devotione, prudentia quoque, & zelo
„ ſatis edocti, & maximè confiſi, Te Syn-
„ dicum Apoſtolicum dicti noſtri Con-
„ ventus nominamus, & ità nomina-
„ tum declaramus. Monentes Te, quòd
„ à Nobis ità nominatus, Sedis Apoſto-
„ licæ Syndicus, Procurator, vel Oeco-
„ nomus ab eadem inſtitutus exiſtis, &
„ auctoritate donaris, proùt ex Litteris
„ Pauli IV. *Ex clementi*, ut ejus nomine
„ dictas eleemoſynas pecuniarias reci-
„ pias, & expendas: ſimulquè acce-
„ ptes bona pro ipſis modis licitis Lega-
„ ta, vel conceſſa, cum facultate ea alie-
nandi,

„ nandi, convertendo pretium in Fra-
„ trum utilitates.prout fuerit Tibi à Su-
„ perioribus ſignificatum: eaque in ju-
„ dicio repetendi: & in eo Fratrum pri-
„ vilegia, & immunitates defendendi,
„ ſervatis ſemper reſtrictivis earumdem
„ Litterarum, & Decretorum. Et ad
„ majorem redundantiam, potioremque
„ cautelam annullamus, caſſamus, &
„ revocamus alias quaſcumque litteras,
„ quas hactenus per Nos, vel Noſtros
„ Prædeceſſores fuerint ad memoratum
„ effectum conceſſæ. Requirentes, &
„ exhortantes Te, ut in officio procedas,
„ proùt decet, & Statui noſtro non re-
„ pugnat.

„ Nè verò vacuus, & abſque mer-
„ cede ſit labor, ac aliqua noſtræ gratitu-
„ dinis ſigna præſtando beneficio reſpon-
„ deant (pręter cētuplum, quod eris con-
„ ſecuturus in futuro ſæculo) oramus
„ Deum, ut Te cum tota Tua Familia
„ participem faciat omnium bonorum
„ ſpiritualium, quæ per Fratres,& Soro-
„ res hujus noſtræ Provinciæ, donante
„ Deo, ſolent præſtari. In quorum par-
„ ticipationem, & communionem in
„ vita paritèr, & in morte Te, Tuoſque

Ee 2 ad-

,, admittimus, & libenti animo coaptamus. Significantes Tibi eſſe conceſſa
,, omnia, & ſingula privilegia, quæ à
,, Sede Apoſtolica Syndicis Apoſtolicis
,, ſunt elargita; quibus omnibus uti,
,, potiri, & gaudere vales. In quorum
,, fidem præſentes manu noſtra ſubſcri-
,, pſimus, & majori officii noſtri ſigil-
,, lo muniri juſſimus. Vale.

Datum, &c.

Fr. N. Miniſter Provincialis.

Eadem, mutatis mutandis, poterit eſſe formula pro Syndico nominando à Generali pro toto Ordine, vel Provinciali pro Provincia, cum expreſſione tituli honorifici juxta conditionem perſonæ; in qua, ſi fuerit nobilis, non eſt inſerendum *Tu*, *Te*, &c. ſed *Vos*, *Veſtra* dominatio, &c.

§. II.

Formula nominandi Syndicum Apoſtolicum pro Cauſis Beatificationum, vel Canonizationum.

25 NOs Fr. N. totius Odinis Minor. Miniſter Generalis, &c. Dile-

ecto

Digitized by Google

ćto nobis, &c. Nobili viro, Domino N. &c.

„ Inter curas, quibus promoti ad
„ totius Ordinis noſtri Miniſterium te-
„ nemur intendere, illam Nos præcipuè
„ urgere cenſemus, ut rigorem altiſſi-
„ mæ paupertatis Fratribus à Seraphico
„ Patre noſtro Franciſco maximè com-
„ mendatæ relaxari non permittamus;
„ ac ſimul omnem ſollicitudinem præ-
„ ſtemus circa ea, quæ tendunt in majo-
„ rem Dei gloriam, exaltationem San-
„ ćtæ Romanæ Eccleſiæ, & honorem
„ Servorum Dei; hinc, cùm ad introdu-
„ cendam, promovendam (vel *proſequen-*
„ *dam*) Cauſam Beatificationis (vel *Cano-*
„ *nizationis*) Venerabilis Servi Dei (vel
„ *Beati*) Fr. N. de N. noſtri Ordinis ex-
„ preſsè profeſſi, & Provinciæ N. Filii,
„ opportunus ſit Syndicus Apoſtolicus,
„ qui eleemoſynas omnes à Chriſti Fi-
„ delibus ad eum effećtum conceſſas,
„ vel Teſtamento Legatas, recipiat, &
„ cuſtodiat, ac pro neceſſariis Cauſæ
„ ſumptibus ſubminiſtret: & cùm id
„ Fratribus nullatenus, ſalvâ puritate
„ Regulæ, liceat: Nos de Veſtra ergà
„ Ordinem noſtrum ſpecialiſſima devo-

„ tione, prudentia item, & rerum agen-
„ darum dexteritate maximè inſtructi,&
„ confiſi, Vos Syndicum Apoſtolicum
„ nominamus, ut res, & pecunias pro
„ memorata Cauſa donatas recipiatis,&
„ opportunè expendatis, proùt vobis
„ fuerit à Religioſo Poſtulatore per Nos
„ deputato inſinuatum; & ità à Nobis
„ nominatum declaramus. Monentes
„ Vos, quòd à Nobis ità nominati au-
„ ctoritate ad prædicta à Sancta Sede do-
„ namini,cum facultate dictas res,& pe-
„ cunias nomine Romanæ Eccleſiæ re-
„ petendi in judicio, vel extra, & adver-
„ ſus moleſtos retentores defendendi;
„ eaſque in loco ſecuro ad fructum,
„ & utilitatem Cauſæ inveſtiendi. Et ad
„ majorem cautelam annullamus, caſ-
„ ſamus, & revocamus aliàs quaſcum-
„ que Litteras per Nos, vel Noſtros
„ Prædeceſſores ſuper hoc negocio con-
„ ceſſas. Ut verò munus cum ſpe ſpi-
„ ritualis præmii læto animo ſuſcipiatis,
„ & ſerena fronte exequamini, ultrà
„ coronam, quam Vobis in noviſſimo
„ die erit redditurus juſtus Judex, Vos,
„ univerſamque Familiam Veſtram in
„ Confratres noſtros in vita paritèr, &
in

„ in morte ità recipimus, ut omnium
„ bonorum ſpiritualium, quæ per uni-
„ verſos Noſtri Ordinis Fratres, & So-
„ rores in dies præſtantur, fructum, be-
„ nedicente Deo, participetis: ſignifi-
„ camuſque Vos omnibus, & ſingulis
„ privilegiis, & indultis à Romana Ca-
„ thedra Syndicis Apoſtolicis hujuſmo-
„ di conceſſis, gaudere. In quorum fi-
„ dem, &c. *ut ſupra in alia formula*.

§. III.

Formula quitantiæ, ſeù receputæ à Syndico faciendæ, de receptis eleemoſynis pro Fratribus.

„ 26 PEr præſentes ego ſubſignatus,
„ Syndicus Apoſtolicus Con-
„ ventus N. Fratrum Minor. de Obſerv.
„ hujus Terræ N. tamquàm Admini-
„ ſtrator, & Oeconomus Papæ, quantùm
„ ad res, & eleemoſynas pro Fratribus
„ d.Conventus modo congruo donatas,
„ conceſſas, vel Teſtamento Legatas,
„ in verbo veritatis atteſtor, qualitèr à
„ Domino N. fuerunt mihi tradita, &
„ realitèr conſignata ſcuta, &c. (vel, *duo*

„ *rubia frumenti; aut duos cados vini, &c.*)
„ in eleemoſynam, favore ipſorum Fra-
„ trum. In quorum fidem has propria
„ manu dedi, ſubſcripſi, & proprio
„ ſigillo munivi.

Datum, &c.

Contractus paritèr venditionis alicujus reì pro Fratribus relictæ debent à Syndico ſtipulari, non nomine Fratrum aſſumpto, ſed proprio, facta expreſſione, quòd res vendita eſt, ut ejus valor in neceſſitates Fratrum convertatur, proùt ea fuit, & debuit eſſe Benefactoris intentio.

27. Formula atteſtationis, quæ poteſt à Fratribus præſtari ſuper receptione eleemoſynæ Syndico traditæ.

„ Ego ſubſcriptus Guardianus hujus
„ Conventus N. omnibus, & ſingulis
„ præſentes viſuris, lecturis, & audituris
„ ſincerè ſignifico, qualitèr Domino N.
„ Syndico Apoſtolico dicti Conventus,
„ fuerit conſignata eleemoſyna ſcuto-
„ rum, &c. pro Miſſis per Fratres cele-
„ bratis in Eccleſia N. (vel, *occaſione fu-*
„ *neralis quond. N.* aut, *pro implenda inten-*
„ *tione Domini N. in ſuo ultimo Teſtamento*
„ *expreſſa*) eroganda pro neceſſitatibus

Fra-

Fratrum. In quorum fidem, &c.

Datum, &c.

Hæc ſunt in exemplum: prudentia tamen poteſt formulas variare, & idiomate Italico eas concipere. Abſtineant ſemper Fratres, etiam à terminis, qui poſſent dominium, proprietatem, & jus ſonare; memoreſque ſint illius *Clementinæ Exivi de verb. ſignif.* in qua Clemens V. §. *Cum etiam* illis proponit, Sanctum Franciſcum voluiſſe *ſuæ Regulæ profeſſores totalitèr eſſe abſtractos ab affectu, & deſiderio terrenorum: & ſpecialitèr à pecunia, & ejus uſu totalitèr inexpertos, ſicut probat prohibitio de recipienda pecunia in Regula ſæpius* repetita.

CONSILIUM III.

Quibusnàm Privilegiis Syndici Apoſtolici gaudeant?

SUMMARIUM.

1 *Sancta Sedes Syndicis Apoſtolicis privilegia concedit, ad 5.*

6 *Extortæ interpretationes ſuper Conſtitutione*

tione Clementis VII. ea de re edita.

7 *Syndici gaudent privilegio fori in cauſis, motis, etiam ante deputationem.*

8 *Syndici ſunt exempti à repreſaliis.*

9 *Quid ſint repræſaliæ?*

10 *An Syndici exempti ſint ab oneribus communitativis?*

11 *Quanta ſit vis proemii in Conſtitutionibus.*

12 *Etiam Clerici comprehenduntur in Clementina.*

13 *Tridentinum non obſtat.*

14 *Ut Conſtitutio Pontificia deroget Tridentino, non eſt opus, ut id exprimat, ad* 15

16 *Non gaudet privilegiis, niſi unicus Syndicus pro unoquoque Conventu.*

17 *Quibus privilegiis Syndici gaudeant, ad* 19.

20 *Syndicus Apoſtolicus, & Procurator promiſcuè ſumitur pro Adminiſtratore rerum, & pecuniarum.*

21 *Diſcrimen inter Syndicum Conventuum Fratrum, & Monialium,*

22 *An Syndicus Monialium poſſit à Superiore Regulari removeri?*

23 *An Syndicus Hoſpitii gaudeat privilegiis, ad* 26.

27 *Agitur de Syndico Religionis, & Provinciæ.*

1. FA-

1 FACTA ab Apoſtolica Sede facultate Superioribus nominandi Syndicos juxtà dicta *conſil.* 1. *n.* 1. ad effectum, ut vera obſervantia, & Regulæ puritas in Ordine Minorum conſervaretur, ac magis augeretur, & Fratres ipſos ab omní rerum dominio (& quantùm ad pecunias, etiam ab uſu) & adminiſtratione alieni eſſent omninò; nè proviſio redderetur inutilis: præſtòque adeſſent perſonæ, quæ miniſterium Syndicatus recipere non renuerent, eadem Sancta Sedes, ſolitâ erga Seraphicum Ordinem clementiâ, iiſdem Syndicis mercedem laboris propoſuit, & in premium ſollicitudinis favores, & privilegia ſumma benignitate conceſſit, proùt ex Conſtitutione Clement. VII. *Dum conſideramus* 19. *in Bullar. tom.* 1.

Quæ in expreſſis terminis, nominatis *Syndicis, & Procuratoribus Domorum, & Monaſteriorum Fratrum Minorum S. Franciſci Regularis Obſervantiæ, & Monialium S. Claræ, Conceptionis, & Annunciationis Ordinum, & Sororum Tertiæ Regulæ S. Franciſci*, impertita eſt.

2. §. I. *Uni Syndico, & Procuratori hujuſmo-*

juſmodi, cum illius uxore, & liberis, præſenti, & futuro, ſingulæ Domui, & Monaſterio prædictis, pro tempore ſervientibus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, ipſi, & eorum quilibet omnibus, & ſingulis Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, favoribus, & gratiis, quibus Fratres Ordinis Obſervantiæ prædictorum utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeù uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, ac valeant.

3. §.II. *Et inſuper in quibusvis cauſis, & rebus ipſos Syndicum, & Procuratorem concernentibus, civilibus, criminalibus, & mixtis, nonniſi coram Judicibus Conſervatoribus Domorum illorum, quarũ ipſe Syndicus, & Procurator fuerit, de juſtitia reſpondere teneatur, auctoritate Apoſtolica concedimus, & indulgemus.*

Hìc pondera hujuſmodi exemptionem non extendi ad filios, & uxorem; nam textus loquitur ſolùm de Cauſis Syndicum, & Procuratorem concernentibus. Quia Pontifex voluit Filios, ejuſque uxorem gaudere de Indulgentiis, & gratiis ſpiritualibus, quibus gaudent Fratres, eos in diſpoſitiva §.1. nominavit, & expreſſit; quòd nullatenùs egit in diſpoſitione ſecundi §. & ideò conſtat ejus mentem

tem fuiſſe eos ab hoc privilegio excludere, quos tamen intendit ſub primo comprehendere.

4. §. III. *Inhibendo ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna univerſis, & ſingulis Judicibus, Commiſſariis, Eccleſiaſticis, & Sæcularibus, quacumque auctoritate fulgentibus, ac de cauſis contra dictos Syndicos,&Procuratores motis, & movendis, directè, vel indirectè, quovis quæſito colore, ſeù prætextu ſe intromittere quomodolibet de cæterò audeant, vel præſumant.*

5. §. IV. *Decernentes quoſcumque proceſſus contra dictos Syndicos, & Procuratores, per alios, quàm dictos Conſervatores, in cauſis dumtaxat contrà eos motis, & movendis, habendos, & ſententias ferendas nullas, & invalidas,nulliuſque roboris,vel momenti fuiſſe, & eſſe; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obſtantibus, &c.* cum ſolitis derogatoriis.

Dat. *Romæ* 16. *Aprilis* 1526.

6. Verùm,non obſtante adeò expreſſo Conſtitutionis tenore, & verborum ſenſu, nonnulli in diſtortas interpretationes diſpoſitionem trahebant, notorium præjudicium inferentes obſervantię

Re-

Regulæ in ſua puritate; quoniam propter excogitatos ſenſus textui ſuperadditos, durum erat aliquos reperire, qui Syndici munus aſſumerent, & Fratribus in miniſterio Charitatis deſervirent.

Nonnulli aſſerebant privilegium Clementis in aliqua ſui parte ab Aula receſſiſſe, ac amplius in uſu non eſſe. Quidam prætendebant privilegium non ſuffragari Syndicis, niſi quòad cauſas proprias Syndicatus, ſeù reſpicientes officium Syndici: non verò quòad illas pertinentes ad ipſos, ut tales perſonas, & homines Reipublicæ: quantùm ad iſtas eos privilegio fori ſpoliabant, declamando immunes nullatenus eſſe ab judicio Epiſcopi, vel Judicis laici reſpectivè.

7. Quibus tamen ſilentium impoſuerunt reſcripta Apoſtolica. Sacra enim Congr. Immunitatis difficultatem ſuſtulit: Interogata: *An Syndici, & Procuratores Apoſtolici Conventuum Ordinis Minorum gaudeant privilegio fori, etiam in cauſis, tàm civilibus, quam criminalibus, & mixtis, motis ante inſtitutionem officiorum, virtute Bullæ Clement. fel. record. Papæ VII.* Sacra Congr. *die* 23. *Maii* 1645. reſpondit. *Syndicos Conventuum Ordinis Fratrum Minorum*

de

de Obſervantia S. Franciſci ex Bulla fel. recor. Clement. VII. gaudere privilegio fori, tàm in cauſis civilibus, quàm criminalibus, & mixtis, etiam motis ante eorum deputationem, ſeù inſtitutionem in officium Syndicatus.

Quæ reſolutio cum aliis, tàm ejuſdem, quàm S.Congr. Epiſc. & Regular. fuit in forma ſpecifica approbata, & confirmata à ſan. mem. Innocentio XI. *conſtit. Aliàs pro parte*, edita 19. *Junii* 1686. quam refero *Offic. Cur. Eccleſiaſt. cap.* 51. *num.* 3.

8. Syndici paritèr gaudentes privilegio fori, fruuntur exemptione à repræſaliis, proùt in *una Spoletana* 7. *Januarii* 1699. cenſuit eadem S.Congr. Immunitatis, ut ibi *num.* 5.

9. Repræſaliæ verò ſunt pignorationes rerum concedi ſolitæ ob damna, vel injurias adverſus quoslibet habitatores loci, in quo fuerint commiſſa hujuſmodi delicta; ità Amalthea Onomaſtica; quæ repræſalias diſtinguit ab Androlepia, quod hæc ſit pignoratio hominum, ſeù corporum contra eos, apud quos homicidium perpetratum eſt.

10. Non poſſunt Syndici compelli ad exercenda munia publica Communitatis,

tatis, neque à quoquam moleſtari, niſi coram legitimo Conſervatore S. Congr, Immunit. 7. *Januarii* 1699. ibi *num*.4. Et 9. *Auguſti* 1701. Sacra Conſulta in favorem Syndici Conventus Terræ Fabriani extracti, ut exerceret munus Communitatis, reſcripſit: *Extrahi alium*. Cœterùm ſubindè S. Congr. Boni Regiminis, inſtantibus nonnullis Cõmunitatibus Status Urbini, *die* 19. *Julii* 1704. cenſuit. *Syndicos Apoſtolicos teneri ad onera communitativa*. Intèr onera verò communitativa adnumerantur, taxa ſalis, ſalarium pro Medico, refectio viarum, & pontium; ſed, an munus Prioris, Conſiliarii, aut ſimilis de Magiſtratu, dubitatur.

Difficultas eſt: *An Clerici in Syndicos nominati gaudeant privilegio fori?*

11. R. Affirmativè. Nàm Clemens in narrativa Conſtitutionis loquitur abſolutè per hæc, *Syndicis, & Procuratoribus*, quos intendit relevare à quibuſvis moleſtiis, & injuriis ſibi pro tempore illatis, ut ità faciliùs Fratres adinveniant, qui onus Syndicatus ſuſtineant.

Quapropter ex proemio Conſtitutionis cõſtat Clementem cogitaſſe, etiam de Clericis. Eſt autem ratio prœmii adeò po-

otens, ut ait Jaſon in *l. quadraginta ff. ad 'rebell.* & poſt eum Fagnanus *in* 1. *ad cap. ſd aures num.* 11. *de temp. ordin.* ut ab ipſa iſpoſitio reguletur, ſicut corpus ab ani- ıa.

12. Nec ex proemio ſolùm, vel nar- ıtiva Conſtitutionis ad Clericos Syn- :cos privilegia indulta amplientur, ſed iam eos ſub Conſtitutione comprehen- oſtendit textus in §.2. *&* 3. cùm loqua- ır indefinitè, & generalitèr, *Syndicos, & 'ocuratores*; in generali autem locutione ılla fit exceptio.

Quinimò, ſi prætendatur Clericos cluſos, ex quo §. 1. nominetur *Syndi- ſ cum illius uxore, & liberis*, concluden- m eſt, quòd Laicus in Syndicum no- inatus, non conjugatus, vel, ſi conju- tus non habens filios, privilegiis non ıatur; quod quidem nullus prudens :erit;etenim Pontifex ſua Conſtitutio - Fratres non arctavit, ut in Syndicos minarent Laicos uxoratos. Sed ſicut ınſtitutio eſt indifferens ad Laicos n matrimonio ligatos, quàm ſolu- , ità complectitur tàm Clericos, ìm Laicos in officium Syndicatus ımptos. Quod evidens profectò eſt,

inſpectâ causâ finali à Pontifice intenta, ac movente ad concedendum privilegium; ea enim eſt communis ad Clericos, & Laicos; quos voluit privilegiare in præmium laborum, & vigiliarum, quas aſſiduè in commodum Fratrum, & Monialium ſuſtinent,& in dies gravantur.

13. Nec videtur obſtare Tridentinum *ſeſſ.*14. *cap.* 4. *de ref.* ſtatuens *nullum Clericum cujuſvis privilegii prætextu tutum cenſeri, quominus juxta Canonicas Sanctiones viſitari, puniri, & corrigi poſſit*. Nàm Clerici Syndici legitimè nominati non videntur comprehendi ſub diſpoſitione Conciliari, ſed pertinere ad forum Conſervatoris; cùm ab Innocentio XI. ut diximus, fuerint poſt Concilium confirmata decreta, quibus S. Congregationes præſervarunt Syndicis privilegium fori juxtà Bullam Clementis VII. & aliàs d. Sacra Congregatio Immunitatis ſub 31. *Maii* 1639. *in una Fanen.* commiſit Epiſcopo, ut quòad exemptionem Syndici Fratrum Minorum de Obſerv. loci de Cartocceto curaret eſſe executioni dandam Bullam Clementis, proùt expreſsè in allegata confirmatoria Innocentii: vigore cujus eſt obſervantiæ reſtituta Clementi-

na,

a, quamquàm antè Tridentinum ema-
averit; & decretum loquitur abſolutè.
14. Neque attendendum eſt, quòd
on fuerit ab Innocentio expreſsè revo-
atum Tridentino: Non enim opus eſt,
t eidem ſpecialitèr, & expreſsè deroge-
ir; ſed ſufficit, ut Pontifex in ſpectan-
bus ad diſciplinam, & reformationem
n pertinentibus ad fidem, & doctrinam
orum decreta, & Canones ſunt omni-
ò immutabilia) ſtatuat directè contra-
ım illius, quod Concilium diſpoſuit;
ità fuiſſe ſæpiùs declaratum à S. Con-
eg. Concilii refertur à Fagnano *in 2. ad*
Si quis n.67. de foro compet. Quod quidem
ibit procedere, ſi Pontifex poſitivè
idquam ſtatuat contra Concilium;
n verò, ſi ſimplicitèr permittat, vel
itè per tolerantiam conſentiat, ut eve-
in conſuetudine; cùm contra Con-
ia generalia à S. Sede approbata, ut eſt
identinum, validè, ac legitimè con-
tudo nulla introduci poſſit. Et *in pri-*
m ad cap. Nulli num.30. de reſcrip. tra-
Conſtitutionem Apoſtolicam contra
reta Concilii generalis valere, quam-
Concilio non deroget, aut de illo
ntionem non faciat; idque, etiamſi

Conſtitutio poſterior ſit ſolius Papæ; quia Concilia generalia habent clauſulam derogatoriam ad ſequentia Reſcripta,non autem ad ſequentes Conſtitutiones. Et quamvis nonnunquàm, etiam in Conſtitutionibus, quæ per modum legis univerſalis eduntur,fiant derogationes ad contraria decreta in Concilio generali promulgata, id tamen cenſeri debet factum ad abundantiorem cautelam, non quòd derogatio expreſſa ſit neceſſaria: hæc ille. Quid autem interſit inter Conſtitutiones, & Reſcripta, vide Piringhi *compend. Juis titulis*.

15. Fortè hùc ſpectat textus in *cap. Licet de conſtit. in 6.* ibi: *Romanus Pontifex, qui jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere, Conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamvis de ipſa mentionem non faciat, revocare noſcatur*; maximè, ſi poſterior ſit priori directè contraria, ut ibi Gloſſ. *verb. priorem*.

16. Advertas nonniſi unicum Syndicùm eſſe nominandum pro unoquoque Conventu, *qui omnes eleemoſynas, tàm pecuniarias, quàm aliarum rerum colligere, illaſque ſolus in neceſſitates Fratrum præfatorum applicare debet*, ut ex d. conſtit. Innocen-

centii, adeòut unicus tantùm gaudeat privilegiis à Clemente elargitis: textus enim ait: *uni Syndico, & Procuratori*.

17. Quamvis autem Litteræ Clementis Syndicis Apoſtolicis concedant poſſe frui omnibus, & ſingulis favoribus, & gratiis, quibus gaudent Fratres, intelligitur diſpoſitio reſtricta ad terminos habiles, & favores compoſſibiles cum ſtatu ſæculari. Gaudet quidem Clericus Syndicus privilegio Canonis *ſi quis ſuadente*, ſed id non habet à qualitate Syndicatus, ſed quia eſt perſona Eccleſiaſtica.

18. Hinc, poſita legitima nominatione præter allegatum privilegium fori, participat de fructu omnium bonorum operum, quæ in Religione à Fratribus præſtantur, tametſi in litteris patentibus eorumdem fructus non enuncientur cõmunicari; ſiquidem Clemens, ut illis gaudeat, hoc neceſſarium non poſtulat.

19. Gaudent quoque Syndici privilegio, quòd, facta promulgatione excommunicationis, vel interdicti generalis in Terris, in quibus habent domicilium, illis non ligentur; niſi cauſam illis dederint, vel cauſam dantibus, & au-

ctoribus conſilium, auxilium, vel favorem præſtiterint per conſtitut. Leonis X. *Dum intra 22. in d. Bullar.* vel, niſi fuerint ſpecialitèr excommunicati, vel interdicti. Proindè admitti poſſunt cum uxore, & filiis, ſi habeant, in noſtris Eccleſiis ad audienda divina, dum in eis, januis clauſis, ſubmiſſa voce, & non pulſatis campanis, ac excluſis excommunicatis, & interdictis, celebrantur: hæc enim poſſunt Fratres in ſuis Eccleſiis tempore interdicti generalis Terræ, in qua ſunt, ſervatis dictis cautelis, celebrare: quatenus tamen ipſi Fratres cauſam interdicto non dederint, nec auxilium præſtiterint; vel, niſi ipſorùm Eccleſiæ fuerint ſpecialitèr interdicto ſuppoſitæ; ut in terminis habetur in *conſtit. Virtute conſpicuos Clement. IV. la* 4. §. 9. ibi.

Quæritur. *An in d. Conſtitutione Clementis, Syndicus, & Procurator ponantur, tamquàm diverſi?*

20. R. In re idem ſignificant: ſumuntur enim pro Adminiſtratore eleemoſynarum, & bonorum Conventuum Fratrum, & Monaſteriorum Monialium reſpectivè. Ideò Pontifex illa duplici nomenclaturâ eſt uſus, nè excitaretur quæſtio

ſtio de voce, & non poſſent privilegia negari Agenti, vel Adminiſtratori rerum Monaſteriorum Monialium in Conſtitutione expreſſarum ſub prætextu, quòd non Syndicus, ſed Procurator nominaretur. Non eſt curandum de voce, quando res ſignificata non eſt diverſa. Ita Sac. Congreg. Immunitatis in *d. Spoletana* reſpondens petitioni, qua petebatur, *an Agentes quorumdam Monaſteriorum Monialium illius Civitatis eſſent exempti à repræſaliis? cenſuit Syndicos tantùm gaudentes privilegio fori eſſe exemptos à repræſaliis.* Ipſos Agentes quoad dictum privilegium parificavit cùm Syndicis, quia reverà in illis concurrebat qualitas intenta à Pontifice, quamvis nomen eſſet varium.

21. Intereſt inter Syndicum Apoſtolicum Fratrum, & Procuratorem Monialium (non ad lites, quia hic non cadit ſub diſpoſitiva Clementis) quòd Syndicus à Fratribus ſolùm nominatur, auctoritatem verò participat à Sede Apoſtolica, cujus auctoritate, & nomine recipit, & expendit pecunias in neceſſitatibus Fratrum. Procurator verò Monialium, à Monialibus, ſervata ſolemnitate juris, eligitur, hoc eſt, per ſuffragia ipſarum,

capitularitèr congregatarum ; adeòut cenſeatur electus ille, in quem major pars conſenſerit, redditusque Monaſterii auctoritate à Monialibus recepta, adminiſtrat, & cœtera negotia temporalia tractat.

22. *An verò Syndicus, vel Procurator Monaſteriorum Monialium poſſit ab officio, & adminiſtratione bonorum removeri à Superiore Regulari, ſub cujus regimine Monaſteria exiſtunt?* Vide conſtitutionem Greg. XV. *Inſcrutabili* 18. *Bullar. tom. 3.* in qua hæc ſunt §.5. *Liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, ut Adminiſtratores amoveant: iiſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit.* Quamvis autem ibi enuncietur poſſe per Regulares bona Monaſteriorum Monialium adminiſtrari, hoc tamen ſibi Fratres Minores intelligant eſſe vetitum, tàm ex vi Regulæ, quàm in ſpecie ab Innocentio XI. *conſtit. Sollicitudo, ſub* 20. *Novembris* 1679. ut alibi dixi.

Queritur. *An Syndici Apoſtolici Hoſpitiorum Fratrum Minorum gaudeant privilegiis à Clemente, ut ſuprà, Syndicis elargitis.*

23. Hic

23. Hìc diſtinguenda ſunt genera Hoſpitiorum,ut petitioni fiat ſatis. Quarè alia ſunt Hoſpitia, quæ retinent naturam ſimplicis Hoſpitii ſæcularis; alia verò, quæ accedunt ad naturam Conventus. Primæ ſpeciei illa ſunt, in quibus non poteſt eſſe Eccleſia, vel Oratorium formale cum jànua in publica via, & campana; ſed permittitur tantùm Oratorium privatum, ſeù internum ad effectum, ut in eo Miſſæ celebrentur, & Orationes privatæ fiant, pro ſpirituali infirmorum ſolatio, & commodo Religioſorum itinerantium. Nec poſſunt ibi haberi publicæ conciones, vel celebrari divina, aut ſepeliri cadavera (niſi expreſsè à Sede Apoſtolica concedatur) neque Religioſi ad illa ſe trasferentes poſſunt ſibi aſſumere titulum Præſidentis, vel alterius Officialitatis; & in caſu contraventionis ſubjiciuntur ipſo facto pœnis contra Religioſos degentes extrà Clauſtra, proùt reſolvit S.Congr. Epiſc. & Regul. 15. *Septembris* 1690. decretum excribo *cap.* 16. *num.* 7. *d. Offic. Cur.* Alia plura recenſet Pignatellus *tom.*10. *conſult.* 84. firmans ex ſententia S. Congregationis in ſimplici hoſpitio non poſſe exerceri, nec

ri, nec reſpectivè retineri ſuperiùs expreſſa; neque ibi poſſe Religioſos continuò permanere, exceptis infirmis, & ſervientibus, durante infirmitate.

24. Hoſpitia verò, quæ accedunt ad naturam Conventus, ea ſunt, in quibus, de licentia Sac. Congregationis erectis, ſervatur forma regularis,& ſub regimine Superioris ſub titulo Præſidentis nonnulli Religioſi continuò ſunt permanentes, exercenturque functiones, ac retinentur ea,quę pro ſimplici Hoſpitio ſunt prohibita.

25. Pro Hoſpitiis primæ conditionis, receptis, etiam de conſenſu S. Congreg. diſpoſitiva Clementis non procedit:cùm privilegia impertiatur Syndicis *Domorum* Fratrum Minorum; nec appellatione *Domorum* veniunt materiales parietes, ſed Conventus, & Loca in ſenſu formali accepta, quatenùs nimirum in illis à Religioſis forma Regularis ſervatur: hujuſmodi enim egent Syndico, qui eleemoſynis piorum neceſſitatibus Fratrum commorantium occurrat. Quæ ratio non militat pro ſimplici Hoſpitio, & erecto ad commodum infirmorum, vel itinerantium. Quatenus verò ſumptus ali-

aliqui eſſent opportunè faciendi, poſſet à Syndico Conventus, in cujus diſtrictu foret Hoſpitium, nominari Subſtitutus, qui neceſſaria miniſtraret.

26. Ubi verò Hoſpitia eſſent ſecundæ naturæ, Syndicus foret neceſſarius ad effectum prætactum, de quo diximus *nu*.1. Qui propterea à Conſtitutione Clementis protegeretur, eique aſſiſterent privilegia, quibus Pontifex voluit à moleſtiis, & injuriis, eis illatis, Syndicos relevare, in præmium laborum, & vigiliarum, quas aſſiduè in beneficium Fratrum ſuſtinent, & læto animo aſſumunt.

27. A quibus oneribus non abſolvitur, & forſan majoribus curis gravatur Syndicus Provinciæ, & Syndicus Religionis, iiſdem idcircò favoribus fruitur juxtà *reg.*55.*jur.in* 6. *Qui ſentit onus, ſentire etiam debet, & commodum*. Circa quod ulteriùs non progredimur, quia res certa videtur, & prorſus innegabilis. Neque eſt attendendum, quod Clemens adhibeat terminum *Domorum*: quoniam, omiſſo, quòd Religio, & Provincia fictione, vel preſumptione juris domus reputari poſſit, eſt dubio procul hujuſmodi Syn-

di Syndicos gravia incommoda ſubire in beneficium Religionis, & Provinciæ, proindè equum eſt, ut de privilegiis participent; quibus gaudent Syndici ad laborantes unicè in commodum Religioſorum unius dumtaxat Conventus.

Obſtare videtur textus Clementis per ea verba: *uni Syndico, & Procuratori*, quæ ſunt alterius excluſiva. Hoc nequaquàm negocium faceſſit: nàm ly *uni* ponitur excluſivè ad alium Syndicum ejuſdem Conventus pro eodem tempore, non verò ad Syndicum Religionis, vel Provinciæ. Et quemadmodum duo ejuſdem Conventus Syndici pro eodem tempore privilegiis ſimul frui nullatenus poſſunt, ſimili modo duo Religionis, vel duo Provinciæ nequeunt copulativè illis gaudere; ſed ad unum nominatum pro Religione, & alium pro Provincia privilegia reſtringuntur, ſicut limitantur ad unicum pro unoquoque Conventu, ut diximus *ſuprà*.

Damnanda proindè eſt praxis quorumdam Superiorum, qui litteras patentes, uti Syndicis, concedunt particularibus perſonis cujuſvis Caſtri, vel Terrę apud quos hoſpitantur Quæſtores, & alii

Fra-

Fratres occaſione tranſitus: Gaudent illæ, ut Benefactores bonis ſpiritualibus Religionis, non verò privilegiis Syndicorum.

CONSILIUM IV.

An adverſus Syndicum aliquo titulo ab officio Syndicatus cedentem, detur actio judiciaria pro recuperandis eleemoſynis pro neceſſitatibus Fratrum à Benefactoribus elargitis.

SUMMARIUM.

1 *Syſtema caſus.*

2 *Fratribus non licet Syndicum in judicio experiri.*

3 *Carent Fratres jure in pecunia à Dante tradita Subſtituto.*

4 *Fratribus prohibita aſſiſtentia in Curiis Judicialibus.*

5 *Qua ratione poſſint Judices, & Advocatos informare? ad 6.*

7 *Actio judicialis competit novo Syndico.*

8 *Con-*

8 *Conceditur Fratribus monere Syndicum: & de quo! ad 9.*

10 *Paritas à Subſtituto Donantium ad Syndicum.*

11 *Syndicus omittens, quæ ſunt ſui muneris, de quo teneatur?*

12 *Perſonæ miſerabiles quæ?*

13 *Bona Syndicorum ſunt tacitè hypothecata pro ſecuritate eleemoſynarum.*

14 *Tacita hypotheca fit à lege, ad 15.*

16 *Pupilli, qui ſint?*

17 *Depoſitum aliud Regulare, irregulare alterum.*

18 *Depoſitarius gravatur de conſumptis pecuniis rationem reddere.*

19 *Depoſitarius tenetur de caſu fortuito ex ſua culpa ſuborto.*

20 *In concurſu creditorum Syndicus admittitur in petitorio.*

21 *Pecunia exiſtens in individuo, Syndico reddenda.*

22 *Syndicus pro eleemoſynis recuperatis non tenetur cautionem dare.*

23 *Cauſæ pupillorum, & miſerabilium perſonarum ſunt mixti fori.*

24 *Ex-Syndicus debitor poteſt conveniri, tàm in Foro Laico, quàm Eccleſiaſtico.*

1 CAsus figuratur in terminis, quòd Syndico Religionis, vel Conventus N. fuerint à Benefactoribus conceſsæ pecuniæ in neceſſitates Fratrum erogandæ; intereà Syndicus morte, aut reſignatione, vel decoctione ab officio Syndicatus cadit, vel removetur: ſubintrat in caſu difficultas, an adverſus dictum ex-Syndicum, vel ejus hæredes detur actio judiciaria pro dictis eleemoſynis recuperandis? Et quatenus affirmativè, quis poſſit judicialitèr petere, & agere?

2. Hoc Fratribus per ſe ipſos non licere notiſſimum eſt, inſpecta conditione ſui ſtatus: quovis enim jure civili in quibuſvis temporalibus carent, omnique dominio, & proprietate, tàm in communi, quàm in particulari ex qualitate profeſſionis ſpoliantur, proùt expreſsè habetur in *cap. Exiit de verb. ſignif.* §. *Ad hæc cum*, & diximus *tit.* 1. *conſil.* 3.

3. Et in ſpecie ibi §. *Ità tamen*, declaratur penès Dantem reperiri dominium, proprietatem, & poſſeſſionem pecuniæ, quam Subſtituto Dans tradidit, nullamque poſſe per Fratres actionem in judicio intentari adverſus Subſtitutum illius.

4 Qua-

4. Quapropter Clemens V. intendens de remedio providere (etiam, quò ad ea, quæ in Curiis per Fratres contrà conſcientiam, & puritatem Regulæ agebantur, eique fuerant propoſita) edidit *Clementinam Exivi ſub eod. tit.* In qua §. *Amplius* declarat Fratribus nullatenus licere ſe litigioſis actibus in Judicio immiſcere, vel *præſtando præſentiam*, vel *ſollicitando cauſam*, vel *inſtigando Advocatos*, & *Procuratores*; ſiquidem hæc ex parte Fratrum ſapiunt cooperationem à Regula, & Declarationibus Pontificum ſibi interdictam, importantque eos per ſe, vel alios jus proprium proſequi circa temporalia in proprium commodum convertenda.

5. Ex hoc verò eis non intelligitur denegatum, quin valeant extra-judicialitèr Judices, Advocatos, alioſve inſtruere de qualitate, & circumſtantiis ſummæ recuperandæ; enim verò in caſu non reputantur jus proprium proſequi, ſed opportunam notitiam iis exhibere, qui negotium debent judicialitèr tractare: Semper tamen cavendum eſt, nè offendiculum ponatur infirmis quoniam, ut ait Paulus I. ad *Corinth.* 6. *omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*.

6. Ideò

6. Ideò ad majorem cautelam debent proteſtationem præſtare, quòd præſtita informatio eò ſolùm tendit, ut res non ipſis Fratribus, ſed ei reddatur, cui ex juſtitia debetur; de quo ſcripſit Corduba *expoſit. in Regul. cap.* 6. *quæſt.* 8. *in princip.*

7. Hinc contra ex-Syndicum, qui, vel foro, vel bonis ceſſit, ad effectum recuperandi dictas eleemoſynas datur actio novo Syndico à Superiore, vel alio Fratre de ipſius commiſſione, prævia revocatione alterius, nominato, per dicta *conſil.* 3. *num.* 22. A quo tamen judicialitèr agente non eſt aſſumendum nomen Fratrum, vel jus eorumdem in pecuniis allegandum; cùm nullum habeant, & ſpectent ad Sedem Apoſtolicam, vel Dantes,, ſi Dominium ſibi retinuerint, eſtò convertendæ in utilitates Fratrum: & proindè nomine Papæ, cujus auctoritate agit, negotium eſt ab eo pertractandum.

8. Fratribus verò permittitur ſolùm extrà judicium Syndicum, alioſque, ut diximus *num.* 5. præmonere de quantitate eleemoſynarum, quæ aliàs fuit apud debitorem, aliaque lumina præbere neceſſaria ad opportunam expeditionem. Id-

que conſequitur ex iis, quæ ex Declaratione Nicolai §. *Poſſint etiam*, Fratres valent licitè exercere circa Subſtitutum Dantis exhortando, & inducendo, ut fidelitèr in re commiſſa ſe habeat: Syndicus autem venit in locum Subſtitutorum donantium. Idcircò illum debent monere, ut receptum munus fidelitèr exerceat; quod includit ea præſtare, quæ neceſſaria ſunt ad aſſecuranda, & aſſequenda bona pro pauperibus data, & à Decocto ad uſus irregulares, & non permiſſos diſtracta.

9. Clemens V.paritèr ſupponit poſſe Syndicũ res, & pecunias modo congruo pro Fratribus relictas judicialitèr petere, dicente textu in *d. Clementina* §. *Quapropter, ad ſolos dominos pertinere, qui dederunt, & eos, quos ipſi deputaverunt ad hoc ipſum*; Syndicus verò à Fratribus nominatus, ad id deputatus intelligitur ab Apoſtolica Sede per adnotata *conſil*. 1.

10. Compulſio judicaria adverſus debitorem comprobatur innegabili paritate, in his terminis: Amicus ſpiritualis ſuo Subſtituto conſignat pecunias in neceſſitates Fratrum expendendas: interim Fratres monent Amicum de infideli

admi-

adminiſtratione per Subſtitutum exercita: tunc dixerit nemo, non poſſe Amicum d. Subſtitutum in judicio compellere, ut rationem reddat, receptaſque pecunias reſtituat. Ità verificatur de Pontifice, qui, ut verus dominus (ſi donans aliud non exprimat) eleemoſynarum, quæ pro Fratribus conferuntur, judicialitèr petit per ſuos Delegatos (adeòque per Syndicum, qui eſt ejus Procurator) illas ab infidelibus adminiſtratoribus, eoſque urget, tùm ad computus liquidandos, tùm ad diſtractas eleemoſynas reddendas. Ipſique Fratres ſecundùm modos ſuæ Regulæ congruos poſſunt, ſalva puritate Regulæ, hujuſmodi judicialis compulſionis effectu gaudere; ſicut, ſalva Regulæ puritate, fruuntur fructu repetitionis factæ ab Amico. In neutro enim caſu exactio ipſos tangit, nec adeos pertinet, licèt in eorum utilitatem ex beneplacito repetentium cedat; cum neque ipſorum concurſu, aut nomine ſit facta, ſed ſolùm per Amicum ſpiritualem, proprio nomine aſſumpto, vel per Syndicum Apoſtolicum, nomine, & auctoritate Pontificis.

11. Neque exactio illa eſt ſolùm

Syndico facultativa, verùm alligatur oneri intentandi judicialem compulſionem adverſus ex-Syndicum enunciatum, ut ſibi reddat eleemoſynas pro Fratribus donatas. Quatenùs verò de aſſecutione non ſatagat, debet de propriis ſupplere, juxtà notam regulam Moraliſtarum: *quòd adſtrictus ex officio impedire, nè damnum dominus in ſuis bonis patiatur, ſi ſuo muneri non ſatisfacit, tenetur ex lege juſtitiæ de ſuo tantum reddere, quantum ejus incuria fuit deperditum.*

12. Aptaturque decíſio in Clement. *Quia contingit de Religioſ.domib.in 6.ubi.* Clemens V. in Concil. Viennen. ſtatuit, quòd *hi, ad quos pertinet* (*cura Locorum piorum,* & eleemoſynarum) *occupata deperdita, & alienata indebitè, in ſtatum reduci debitum faciant.* Cùm itaque Fratres inter miſerabiles perſonas numerentur (ſivè miſerabiles perſonæ dicantur, ex quo eis naturâ movemur ad miſerandum propter fortunæ injuriam: ſivè, quia propter miſeriam, in qua ſunt conſtitutæ, ſunt miſericordiâ dignæ: eſt autem miſeria non quicumque defectus, ſed tantùm defectus naturæ rationalis, quia opponitur ipſius felicitati, ex D. Tho. *1.p.q.21.art.4. & 22.*

& 2.2. *q.* 30. *art.*1.) eleemoſynæ pro illis conceſſæ gaudent privilegio rerum conceſſarum ad ſuſtentationem miſerabilium perſonarum; hinc onus imponitur Syndico eas adminiſtrandi, ut ex-Syndicum, qui eas indebitè dixtraxit, cogat ad formam juris reſtituere.

13. Nullatenùs verò novus Syndicus à dicto onere abſolutus cenſetur, quòd ſimiles pecuniæ apud ex-Syndicum debitorem, vel ejus hæredes amplius non extent, ſed præter uſus præfinitos fuerint conſumptæ, & alienatæ. Hæc namque exceptio non regit, cùm Syndico detur actio adverſus perſonam debito gravatam, ejuſque bona, utpotè tacitè hypothecata ad ſecuritatem pecuniæ ſibi in adminiſtrationem à Benefactoribus commiſſæ, non quidem eo fine, ut negotiationi exponat, vel aliàs alienet, ſed taxativè pro neceſſitatibus Fratrum; ſibique imputet, ſi ex propriis ſupplere debeat: extrà terminos enim facultatis non debebat excurrere, & mentem Pontificis, ac Donantium vulnerare, ſciens in dicta Clementina eſſe à Clemente in generali præſcriptum, *quòd ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata Fidelium, ad illum*

debeant, non ad alium (*ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate*) *converti*. Quibus conſtat cœteris vetitum poſſe uſum deputatum variare, ſolique Pontifici reſervatur commutatio uſus eorum, quæ per Fideles propter Deum pauperibus, & miſerabilibus perſonis donata ſunt, vel relicta certis uſibus in individuo applicanda.

14. Quamobrem ad uberiorem notitiam conſiderabis, tacitam hypothecam eſſe, quæ fit à lege, & legis auctoritate contrahitur; ità bona viri ſunt tacitè hypothecata pro ſecuritate dotis uxoris, *l. aſſiduis qui potiores*. In aliis, etiam juris articulis extrà partium conventionem tacita hypotheca inducitur, ut in adminiſtratione rerum pupillorum, pro quorum ſecuritate bona Tutoris, & Curatoris legis ſupplemento (quæ etiam pupillis, & incapacibus miniſtrat) obligantur *C. pro officio ff. de adminiſtr. Tutor.* Item, eam habent legatarii in bonis defuncti pro rebus legatis *l. 1. C. communia de legat.* Item, bona Prælati tacitè obligantur pro mala adminiſtratione Eccleſiæ, apud Majol. in *Decalog. par. 2. ſept. præcept. quæſt. 3. art. 4.* Gonzalez *in 3. tit.* 21. *cap.* 5. *num.* 12. & ſimilia apud alios.

15. Tan-

15. Tantæ verò efficaciæ eſt dicta hypotheca, ut actionem relinquat adverſus hæredes debitoris præ defuncti, ad quos illius bona tranſeunt, tacitè vinculata ad compenſanda credita realia ab eodem contracta, juxtà *cap. In litteris de raptorib.* & hic hæredibus committitur ſatisfactio condigna juxtà facultates ſuas pro damno contrà juſtitiam à defuncto irrogato; ubi Gloſſ. in *verb. juxtà facultates ſuas* notat, hoc intelligendum de facultatibus à defuncto relictis; quia hæredes, ſi fecerint inventarium, non tenentur ultrà vires hæreditatis *Cod. de jure delib. l. ſancimus* §. *Si autem*, vide Gonzalez *in 3. tit. 28. num. 6.*

16. Hinc cùm pecuniæ piè à Benefactoribus elargitæ pro Fratrum neceſſitatibus, & ad hunc effectum ex-Syndico commiſſæ aſſimilentur rebus pupillorum, ſeù carentium parente, privilegio ſimili gaudent: & ſicut pupilli ex propria conditione ſuis rebus præeſſe non poſſunt, ſed ab Adminiſtratoribus gubernantur;ità eleemoſynæ pro Fratribus oblatæ ab ipſis, eorum ſtatu inſpecto, adminiſtrari nequeunt, ſed opus eſt Syndico Apoſtolico, qui de illis nomine

Papæ curam habeat: cujus bona proindè pro ſecuritate ipſarum remanent vi tacitæ hypothecæ obligata, ſicut illa Curatoris, & Tutoris idem onus ſubeunt pro rebus pupillorum. Propter quòd ex bonis ex-Syndici debet, favente lege, damnum reparari, ſi ipſe indebitè adminiſtraverit, nè pauperes Chriſti opportunis auxiliis fraudentur, ex *d. cap. Exiit* §. *Ad hæc quia*. In quem finem lex ipſa cum tacita hypotheca ſupplet carentiam expreſsæ, per notiſſimam regulam: *Cui damnum obvenit ex natura legis, eidem ab eadem lege remedium præſtari debet*.

17. Neque videtur obſtare, quòd pecunia fuerit apud ex-Syndicum debitorem apertè depoſita, non verò clauſa ſacculo, vel involucro obſignata, ex quo præſumi poſſet ei tacitè facta facultas illam exponendi negotiationi; nam ex hac ſpecie facti hoc ſolùm conſequitur, quòd depoſitum fuit irregulare; quatenùs, regulis non obſervatis, fuit factum; etenim ad regulare, & ſtrictæ ſpeciei recenſita qualitas concurrit.

Tandem, licèt irregulare, adhuc gaudet privilegiis ſtricti depoſiti; cujus hæc ſunt quoque propria. Primùm, quòd

Depo-

Depoſitarius poteſt, captis pignoribus, & carceris coercitione cogi ad depoſitum reddendum, ex *cap.Gravis de depoſito.* Secundum, quòd Deponens poteſt, quandocumque voluerit, revocare depoſitum, Rota coram Card. de la Tremoille in *Mexicana Depoſiti* 16. *Februarii* 1696. Conſiderant enim jura, depoſitum non fieri in gratiam Depoſitarii *d.l.* 1. §. *penult.* & ad nutum Deponentis revocatur. Quamquàm verò ſæpè tempus depoſito addatur, id non ſervatur, quaſi Deponens non valeat rem ſuam, quandocumque repetere; ſed fit ponendo obicem Depoſitario, ut non valeat antè tempus cuſtodiam depoſiti relinquere, per Tuſchum *verb. depoſitum concl.*200. *num.*10.

Idcircò præſumpta conjectura evaneſcit. Nam quomodo poſſet Papa, vel Donans prætactas pecunias adhuc in neceſſitates Fratrum non erogatas ad ſuum placitum repetere, ſi fuiſſent negotiationi implicatæ? Quin etiam hoc innegabili fundamẽto reputatur aſſerta facultas denegata, quòd ſint pecuniæ talis naturæ, quòd ad cuſtodiã ſint traditæ cum arctatione ad uſus determinatos; & indè pro illis urget diſpoſitio allegata *n.*12.*&*13.ex *Clementina Quia contingit*. 18.Non

18. Non negamus Laymanum *Theol. Moral. lib.3. tr.4. cap. 5. num. 3.* ſcripſiſſe, quòd commiſsâ Depoſitario pecuniâ numeratâ, non clausâ, vel obſignatâ, cenſetur ipſi mutuò data, tacitèque facta facultas eam alienandi, vel convertendi in uſum mercaturæ, adeòut depoſitum à tempore, quo pecunia eſt conſumpta, tranſeat in mutuum: de cujus natura eſt ut, tàm dominium ſortis, quàm hujus periculum ad mutuatarium ſpectet. Sed applicando doctrinam caſui noſtro, controverti non debet, adhuc remanere in Syndico onus providendi neceſſitatibus Fratrum per pecunias ſibi proprias. Licèt enim Benefactores ei eleemoſynas non conſignent in ſpecie, & individuo expendendas, ſed in auro acceptas valeat in argenteas convertere, & his proprio muneri ſatisfacere; hoc tamen eſt certum, pecunias ei *per ſe* non conferri ad effectum negotiationis (quemadmodum videntur tradi, quæ ab aliis non clauſæ penès Banchario deponuntur) &, ſi illas ad mercaturam adhibet, eſt *per accidens*, utpotè alteri fini *per ſe* annexas.

19. Quin etiam propter conditionem talis pecuniæ tenetur, etiam de caſu fortuito,

tuito; quia ab ipſius voluntate pendet, ut ipſam negotiationi expoſuerit, quæ, fortunâ adverſâ, in deteriùs proceſſit; ſibi imputet, ſi pecunia illa deperdita ſit, non debebat eâ uti in uſus improprios, ſed in taxatos, & non aliàs.

Petitur I. *An in concurſu Creditorum ſit in petitorio admittendus novus Syndicus adverſus ex-Syndicum decoctum, vel ejus hæredes, quatenus ipſe non ſatisfecerit?*

20. R. Affirmativè. Quoniam ex-Syndicus ſupponitur liquidus debitor pro pecuniis, quæ ſunt Papæ, & quas ipſius auctoritate debebat expendere in neceſſitates Fratrum; ideò ſubſequens Miniſter Papæ tenetur curare, ut pecuniæ diſtractæ, viâ, etiam juris recuperentur. Cùm verò Syndicus à Fratribus nominatus in hac re ſit Procurator Papæ, cum cœteris creditoribus admitti debet, ut judicialem petitionem intentet, & hac forma pecunias indebitè ab infideli Adminiſtratore alienatas ſuo principali recuperet.

Verùm, admiſſio ipſa nequit eſſe cum præjudicio tertii, illius videlicèt, qui anterior, vel potior eſſet in credito; proptereà in caſu creditoribus anterioribus,

bus, vel potioribus cederet; ſed poſterioribus, eſtò habentibus expreſſam hypothecam præferendus eſſet beneficio legis, per tacitam hypothecam ſuperantis expreſſam de qua re agitur expreſsè *tit. ſequen. conſil.3.....*

21. Dum tamen pecunia pro indigentiis Fratrum donata, in individuo ab aliis diſcreta reperiretur (de quo, vel ſyngraphâ appareret, vel eſſet in ſcrinio deputato ad aſſervandas eleemoſynas pro Fratribus oblatas) eſſet novo Syndico tradenda, quacumque aliis creditoribus actione quantùm ad ipſam denegata, ex nota regula juris, *quod res ſemper clamat pro domino, ubicumque, & apud quemcumque ſit*. Undè ad occurrendum litigiis, quæ poſſent ſuboriri circa pecunias pro Fratribus à Benefactoribus donatas, inſtruendi ſunt Syndici, ut eam praxim ſervent in illarum aſſervatione.

Petitur II. *An Syndicus, quantùm ad pecunias in concurſu exactas debeat ſolitam de reſtituendo obligationem præſtare, aut loco cautionis eas in tot locis Montium inveſtire?*

22. R. Negativè, quò ad utrumque: neutrum enim in facto regit. De primo conſtat, quoniam perindè eſt hujuſmodi obli-

obligationem exquirere, ac rem moralitèr impoſſibilem petere; nullus quippe reperiretur, qui vellet tale onus ſubire: Fratres pro eo ſuſcipiendo ſunt incapaces ex dictis *tit.* 1. *conſil.* 6. alius extraneus nollet fidejubendo ſe exponere periculo ſolvendi de proprio in caſu reſtitutionis faciendæ. Quod quidem periculum, nec Syndicus, ut perſona privata in ſe eſſet ſuſcepturus: & quà Syndicus reduplicativè inhabilis eſſet; quia aliàs ſuo miniſterio obligaretur Sedes Apoſtolica (cujus nomine, & auctoritate agit) quæ à nullo poteſt in obligationem adduci: cùm ſit omninò à conventionibus per inferiores ſtipulatis independens.

Quò ad ſecundùm, reſiſtit qualitas pecuniæ in eleemoſynam datæ, quæ ex intentione Donantium, & Pontificis manualis, & in promptu eſſe debet, ut in opportunas Fratrum neceſſitates erogetur, ſub quo ſtatu, admiſſo inveſtimento, nullatenùs eſſe poſſet, obſtante inveſtimenti naturâ, quæ petit, ut perpetuò ſtet pro vinculo cautionis: de quo paritèr *loc. cit.*

Petitur III. *Coram quo Judice debeat debitor conveniri, Eccleſiaſtico, vel Laico?*

23. R.

23. R. Coram utroque poteſt. Cauſæ enim miſerabilium perſonarum ſunt mixti fori, niſi cauſa ſit Eccleſiaſtica. Hinc pupilli, viduæ, orphani, cœteræque miſerabiles perſonæ habent electionem fori, & poſſunt adverſarios ſuos (non Clericos tamen) trahere ad Curiam Principis: eſtò namque Summi Pontifices receperint pupillos, & viduas ſub protectione Eccleſiæ ex *cap. Licet omnibus* 87. *diſt.* non intendunt tamen Principum Sæcularium interturbare juriſdictionem; nam inquit Innocentius III. *cap. Ex tenore de foro compet. Nos igitur ſic ſumus viduis in juſtitia debitores, quòd aliis injuſtitiam facere non debemus*. Ideò viduas, pupillos, & conſimiles miſerabiles perſonas (quibus natura movetur ad miſerandùm propter fortunæ injuriam) utpotè, quia regularitèr, ut ſcribit Sperellus *tom. 2. deciſ.* 156. de foro laico exiſtunt, Principum tuitioni commendat in *cap. Adminiſtratores* 23. *quæſt.* 5. de qua re agit expreſsè dictus Sperellus, & Fagnanus *in* 2. *ad cap. Ex litteris de foro compet.*

24. Secundùm hæc Syndicus poteſt debitorem pro aſſecutione pecuniæ indebitè diſtractæ convenire in foro laico (ſi verò

vero Judex ſæcularis fuerit negligens in adminiſtrando illi juſtitiam, debet ipſum trahere ad forum Eccleſiaſticum *d. cap. Ex tenore*) dummodo ex Syndicus non ſit perſona Eccleſiaſtica; quia in caſu ei aſſiſtit privilegium, quo conſtituitur ſub juriſdictione *Judicis Eccleſiaſtici* privativè, quòd ad quemcumque alium Judicem. Alia videas *tit. ſequen. conſil. 3.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS V.

Eleemoſynæ pro Cauſis Beatificationum, & Canonizationum, &c.

CONSILIUM I.

An Fratribus Minoribus liceat pro expenſis faciendis in Cauſis Beatificationum, ac Canonizationum, & Extenſionis, aut Continuationis cultus Sanctorum ſui Ordinis recurrere ad Amicos ſpirituales?

SUMMARIUM.

1 *Sumptus plures in Cauſis Beatificationum, & Canonizationum faciendi.*

2 *Expenſæ aliæ prævia, aliæ concomitantes actum ſolemnis Canonizationis.*

3 Ta-

3 *Taxa circa honoraria conferenda patrocinantibus Cauſas.*

4 *Et quantùm ad pretium pro impreſſione Scripturarum.*

5 *Fratribus licitus eſt recurſus ad Amicos ſpirituales pro expenſis faciendis in dictis Cauſis.*

6 *Et pro procurandis pecuniis pro conſervatione locorum Terræ Sanctæ.*

7 *Temeritas Hæreticorum circa Beatificationes, & Canonizationes.*

8 *Vuicleffi mendacia.*

9 *Erectio Montium Pietatis, cur facta, & à quo?*

10 *Recurſus ad Amicos ſpirituales pro dictis Cauſis non repugnat Regulæ.*

11 *Sancti ſunt templum Dei vivi.*

12 *Fratribus licet recurrere pro pertinētibus ad divinum cultum.*

13 *Pro bono ſpirituali eſt licitus recurſus.*

14 *Praxis Ordinis fuit recurrere ad Amicos ſpirituales pro Cauſis Beatificationum, & Canonizationum.*

15 *Recurſus fit, ſcientibus Romanis Pontificibus.*

16 *Quinam Fratres poſſint recurrere?*

17 *Pecuniæ à Fratribus recipi non debent.*

18 *Formula tenenda in recurſu faciendo.*

19 *Summa, etiam notabilis pecuniæ pro dictis Cauſis non repugnat paupertati Fratrum Minorum.*

1 CUM in Eccleſiæ Catholicę regimine nihil majus, aut gravius ſit, quàm homines ſanctitate claros, & in æterna Tabernacula receptos declarare pro Sanctis, eoſque uti tales colendos, & venerandos decernere, & proponere Eccleſiæ, proùt legitur in decretis editis à S.R.Congreg.de expreſſo mandato Innoc.XI. & ab eodē 15.*Octobr.* 1678. approbatis, ac ejus juſſu publicatis pro directione, & praxi tenenda in Cauſis Beatificationum, & Canonizationum; neceſſe eſt, ut in re adeò gravi exactiſſima diligentia, & maturitate procedatur. Quod conſtat nullatenus abſque opportunis, & neceſſariis impenſis exequi poſſe. Etenim nulli ab Apoſtolica Sede honor decernitur, nulluſque colendus, ut Beatus, vel Sanctus proponitur, niſi prius legitimè, & authenticè, probatis virtutibus, & miraculis: & indè opus eſt, ut prævię fabricentur proceſſus aucto-

auctoritate, tùm Ordinaria, tùm Apoſtolica, & ex illis excerpantur Summaria, & typis dentur: ſubindè examinanda eſt eorumdem proceſsuum validitas; ſimulque diſcutiendum, an conſtet de virturibus, fama ſanctitatis, & miraculis, tàm in vita, quàm poſt mortem patratis; hæc planè ſinè hominum miniſterio, ſtudio, & labore inagibilia ſunt. Ideò opus eſt, ut plures reſpectivè defatigent, & ſuper illis laborent: ut *Notarii*, *Procuratores*, *Advocati*, *Poſtulatores*, *ſimileſve Miniſtri neceſſarii*: qui gratis operas ſuas exhibere nullatenus debent, ſed juſto ſtipendio, & æqua mercede eſt eorum labor compenſandus, juxtà illud Lucæ 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua*. Et 1. *ad Corinth*. 9. *quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* & alibi paſſim in Scriptura.

2. Hæc, aliaque divina teſtimonia ſatis exprimunt laborantibus dignam conferendam eſse mercedem: ſivè operas ſuas præſtent circa præmiſsa, ſivè aliis incumbant concomitantia ipſum actum ſolemnis Canonizationis; proùt ſunt, *ornatus ampliſſimi Templi D. Petri, magnifica*

erectio Solii Pontificii cum annexis, & connexis, ut ſolemni pompa, & ritu ſacra Functio peragatur.

3. Honoraria conferenda Patrocinantibus Cauſas, & Notario S.R.Congr. regulanda ſunt ad præſcriptum taxæ ab eadem S. Congregat. editæ, & ab ipſo Innocentio die, & anno, de quibus ſupra, approbatæ: de ejus commiſſione publicatæ, & injuncta iis, ad quos pertinet, obſervantia, apud Lantuſca *Theatr. Regul. in ſupplemento*.

4. Pariformitèr procedendum eſt circa impreſſionem, & pretium pro Scripturis pertinentibus ad ipſas Cauſas, & attendenda eſt forma ab Alexandro VII. pro Curia præfinita: Inter quæ I. *Mandavit, ut in poſterùm Informationes, tàm in facto, quàm in jure: Summaria, memorialia, oppoſitiones R.P.D. Fidei Promotoris, reſponſiones, replicationes, ac omnes, & quæcumque aliæ Scripturæ quomodolibet pertinentes ad Cauſas Beatificationum, & Canonizationum, imprimi, & Typis mandari poſſint, & valeant.*

II. *Pontifex licentiam, & facultatem hujuſmodi impreſſionis privativè quòad omnes alios conceſſit Impreſſori, ſeù Typographo Camerali pro tempore.* III. *Pro*

III. *Pro minori Partium diſpendio, & ſumptus æquitate conſtituenda, congruam taxationem in certa ſumma, cujus limites nullatenùs tranſgredi poſſit, pro Scripturis ad Cauſas Beatificationum, & Canonizationum pertinentibus præſcripſit: & expreſsè declaravit, & mandavit, ut ad ſummum ſolvantur julii quindecim, obulorum decem in ſingulos, pro quolibet folio cum apoſtillis, & julii quatuordecim ſinè apoſtillis: omnibus, & ſingulis ipſius Impreſſoris ſumptibus, & impenſis, etiam quòad correctionem, papyrum, & alia quæcumque, imprimendo tamen.*

IV. *Ut folium contineat quatuor paginas: quælibet autem pagina, ſeù facies dicti folii debeat continere lineas quinquaginta quatuor: & quælibet linea litteras ſexaginta, quinque circitèr: additis prætereà apoſtillis opportunis in margine. Carta verò ſit alba, & quæ, vulgò dicitur* Franceſe da Scrivere, *melioris conditionis, quæ poſſit inveniri: & character Sylvius cum ſuo cuſcino ſimili, in apoſtillis tamen longè minor.*

V. *Sexaginta tantummodo exemplaria imprimantur, niſi plura deſiderentur à Secretario dictæ Congregationis Sacror. Rituum, quo caſu pro exemplaribus, quæ ſupradictum numerum imprimentur, ſolvantur julii tres dum-*

taxat pro unoquoque folio aliorum quinquaginta exemplarium: integro paritèr Impreſſoris ſumptu, ut ſupra; & ſic reſpectivè ad majorem, ſeù minorem quantitatem.

VI. *Pro correctione verò impreſſionis ab iiſdem Cauſarum Poſtulatoribus, ſeù earum Agentibus duo caroleni pro quolibet folio perſolvantur Correctoribus, ab iiſdem deputandis, qui deducendi erunt à ſumma prædicta juliorum quindecim, vel quatuordecim; niſi correctio ipſimet Impreſſori demandetur ab iiſdem Poſtulatoribus, ſeù Cauſarum Agentibus die* 19. *Julii* 1661. apud Matta *de Canonizat. Sanctor. par.*5. *cap.*3. *num.*22.

5. Hiſque præmiſſis, dicendum Fratribus licere recurrere ad Amicos ſpirituales pro ſumptibus opportunè faciendis in Cauſis Beatificationum, & Canonizationum, Extenſionis, vel Continuationis cultus. De qua re nullatenus videtur poſſe dubitari. Nàm, tàm Beatificatio, quàm Canonizatio, vel Extenſio, & Continuatio cultus cedunt in honorem Dei, decorem Eccleſiæ Catholicæ, exaltationem Fidei, ac bonum ſpirituale Fidelium; idcircò ad hujuſmodi bona procuranda non eſt Fratribus interdictus recurſus ad illos ad effectum, ut pecu-

nias

nias conferant pro impenſis opportunis in expeditione Cauſarum: finis enim adeò excellens recurſum juſtificat.

6. Qua ratione ſinè offenſione ſuæ profeſſionis legitimè procurant pecunias, tùm, ut loca Terræ Sanctæ (à pluribus ſæculis ex clementia Sedis Apoſtolicæ exiſtentia ſub regimine noſtri Ordinis) redimantur à tyrannide, & vexationibus Turcarum, ac Græcorum moleſtiis; tùm, ut in illis Chriſtianæ Religionis profeſſio conſervetur, celebrentur divina, & augeatur Fidelium devotio, illùc peregrinantium ad ea inviſenda. Quod quidem eſſet obtentu difficile inter gentes, quibus Chriſtianum nomen adeò eſt infenſum: niſi extorta ab eis tributa ſuo tempore ex pecuniis à piiſſimis Chriſtianis collectis prompta manu exſolverentur, proùt tradit Sanctoro *comment.*] *cit. tit.* 2. *conſil.* 3. *num.* 42. Quæ, retenta paritate, poſitam reſolutionem coadjuvant.

7. Potiſſimùm verò in ſpecie comprobari videtur, quòd Fratres ſollicitudine colligendi eleemoſynas ad effectum propoſitum, parent dictamini rationis, & charitatis præcepto, quo filii tenentur

injurias Matri irrogatas vindicare, & Romanam Eccleſiam ab impoſturis, & maledictis Hæreticorum pro viribus præſervare. Mordent iſti Beatificationes, & Canonizationes Sanctorum; & tamquam damnabilem Eccleſiæ politiam impia animoſitate imperitis venditant: notam, ut falſiſſimè ajunt, quòd ipſa non pauperes, & deſpectos Religioſos, ſed divites ſolùm, & potentes Faſtis ſacris adſcribat.

8. Eadem curâ Fratres incumbunt, ut factis quoque mendax Wicleffus notetur, quem neutiquam puduit blaſphemo ore evomere: *Peccant fundantes Clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici*. Item, *omnes de Ordine Mendicantium ſunt Hæretici*. Item, *ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem eo ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad Regnum Cælorum, niſi apoſtataverint ab eadem*. Quos errores cum aliis proſcripſit Martinus V. *conſtit. Inter cunctas Bullar. tom.* 1.

9. Maximè pro legitimitate recurſus facit, quòd recurrere ad Amicos ſpirituales ad malum præcavendum, inducendumque bonum ſpirituale non legitur

tur Fratribus Minoribus interdictum; quin potius à viris ſanctiſſimæ vitæ non ſemel, ut rem Deo gratam id aſſumptum refertur. Hoc narratur de B. Bernardino de Feltro, quin in ſubſidium pauperum, & ad avertendas enormes Judæorum uſuras enixus eſt, ut in nonnullis Italiæ Civitatibus erigerentur Montes Pietatis; pluresque fundaverat, adjuvante Civium pietate, quos rogaverat, ut pecunias in unum conferrent, ut pauperibus, & indigentibus mutuari valerent. Rem ſanè Deo acceptam à Bernardino exercitam factum mirabile præmonſtravit, relatum in *Menologio Franciſcano in Februario die 6. num.*7. ibi: *Cùm B. Bernardino Feltrenſi Montis pietatis erectionem Lucæ meditanti aliquot ejus Cives tergiverſarentur, ac ipſe Zeloſus Pater de aſſequendo negotio fermè deſperaret. Chriſtus Dominus præfati Montis inſtitutionem abſque dubio futuram revelavit Franciſco à Plebe S. Stephani, præcipiendo, ut prædictum Bernardinum hac de re certionem redderet*. Propter quod, ponderata ſimilitudine, ſequitur Fratribus vetitos non eſſe recurſus ad procuranda bona adeò excellentia, & quæ, etiam ex dictis Cauſis ſequuntur.

At

At difficultas eſt: *An hic recurſus ſit contrarius Regulæ*?

10. R. Negativè juxta Declarationem Nicolai III. in *cap. Exiit de verb. ſignif. in* 6. In quo §. *Et quia oportet*, Pontifex declarat Fratribus licere recurſum pro neceſſitatibus quoque, quæ, propria conditione inſpecta, neceſſariò tractum temporis habent: & exemplificat, ut in *libris ſcribendis, Eccleſiis conſtruendis, libris in locis remotis emendis, & aliis ſimilibus, ſi quæ occurrerint*. Ubi ponderandum ſub clauſula, *& aliis ſimilibus* &c. contineri, etiam recenſitas Cauſas, quæ ex ſui qualitate tractum ſucceſſivum includunt; & ex quibus æquè proveniunt bona ſpiritualia, quàm ex ſcriptione librorum, Eccleſiarum conſtructione, & conſervatione ſacrorum locorum Terræ Sanctæ, ut notorium eſt; quinimò, ſi non denegatur, ſed expreſsè conceditur Fratribus licere recurrere pro pecuniis, ut Templa materialia ædificentur, & ornentur, vetitum illis paritèr nullatenùs cenſendum eſt, quòd recurrant, ut tractentur, expedianturque Cauſæ Virorum proprii Ordinis, qui propter excellentiam vitæ, & integritatem morum fuerunt

hic

hic viventes templum Dei vivi, & in quibus habitavit Spiritus Sanctus ex 1. *ad Corinth. cap.3.* Par enim ratio militat: in neutro recurritur ad pecuniam pro relevanda Fratrum paupertate: In utroque divinus cultus intenditur, & promovetur profectus ſpiritualis Fidelium,

12. Ulteriùs, idipſum per æquipollens, & implicitum conſtat ex *Clementina Exivi eod. tit.* Ubi §. *Cùm etiam*, recurſus ex Regula reſtrictus ad neceſſitates infirmorum, & pro Fratribus induendis, ampliatur à Clemente V. ad alias, vel *ſimilibus*, ut ait textus; ſub quo loquendi modo, noſter caſus in generali continetur, conſentiente Gloſſa ibi, *verb. vel ſimilibus*: neceſſariis *nimirùm*, ut ait, *non voluntariis, ſeù iis, quæ ſunt neceſſaria ad victum, veſtitum, divinum cultum, & ſpirituale ſtudium*: Pecuniæ verò ad ſumptus pro dictis Cauſis neceſſariæ divinum cultum reſpiciunt: quandoquidem honor, qui Sanctis, & Deo amicis exhibetur, in Deum refertur: qui eſt auctor ſanctitatatis, juxtà illud Exodi *cap.* 21. *Ego Dominus, qui ſanctifico vos*.

13. Neque his opponatur Declarationes Nicolai, & Clementis reſtrictas

videri

videri ad neceſſitates Fratrum, & nihil aliud afficere. Nàm diſpoſitio in textu extenditur ad neceſſitatem, tùm temporàlem, tùm ſpiritualem, ut patet ex littera. Neceſſitas ſpiritualis figuratur in ſcriptione Librorum, & Templorum ſtructura, & ex conſequenti, etiam in tractatione dictarum Cauſarum; quæ neceſſaria eſt, tùm, ut Apoſtolica Sedes Religioſis in oſculo Domini defunctis honores Sanctorum definiat, tùm, ut noſtri Ordinis profeſſores novos concipiant virtutum ſtimulos, animentur ad ſancta; tùm, ut Fideles omnes excitentur ad amorem eorum, quæ Deus præparavit diligentibus ſe: tùm tandem, ut cunctis, notum ſit, quòd Seraphicus Ordo juxtà elogium Leonis X. *in Conſtit. Ite, & vos 23. Bullar. to.1. eſt Religio, quæ nihil, niſi divinum, angelicum, omni perfectione, refertum, Chriſtoquè nihil, niſi conforme, ut non immeritò ſua dicatur, repræſentat*; ac ſimul pateat Regulam Minorum *illicitam* minimè, & *inobſervabilem* eſſe, prout nonnulli eam mordebant temporibus Nicolai III. ex enunciatis in *d. cap. Exiit* §.*Hæc eſt*, quam ipſe Apoſtolico oraculo celebravit, *tot divinis teſtimoniis communitam*,

quæ

quæ credibilia facta ſunt nimis, in tot Sanctis viris, in obſervantia hujus Regulæ agentibus, & finientibus dies ſuos: quorum nonnullos Sanctorum Cathalogo Sedes Apoſtolica ex eorum vita, & miraculis fecit adſcribi.

14. Tandem, reſolutioni aſſiſtit praxis aſſidua in Ordine à Viris ſanctiſſimis obſervata. De S. Bonaventura legitur plurimùm adlaboraſſe pro Canonizatione S. P. Franciſci: illa Sancti Bernardini Senenſis promota aſſeritur à S. Joanne de Capiſtrano; Et certè veriſimile eſt per eos rogatos eſſe Amicos ſpirituales, ut neceſſaria pro ſumptibus miniſtrarent. Fatuum autem eſſet, Sanctis illis impingere, quòd prætacto recurſu peccaverint in Regulam, quam adeò rigidè obſervarunt, & de obſervantia ſolliciti nos paritèr ſanis, utiliſſimiſque doctrinis inſtructos fecere.

15. Ad extremum additur, recurſus non fieri, niſi ſcientibus Romanis Pontificibus, optimè de puritate Regulæ, & ſtatu Fratrum Minorum inſtructis. Quibus profectò perſpicuum eſt non poſſe ſumptus pro expeditione Cauſarum fieri de bonis Fratrum, qui omni bus temporalibus carent, ſed oportere,

ut

ut pietas Fidelium, Fratribus petentibus, manus adjutrices porrigat. Zelavit autem ſemper Sedes Apoſtolica rigorem paupertatis in Ordine, ut notiſſimum eſt ex Declarationibus Regulæ editis reſpectivè ab eodem Nicolao, & Clemente, ac Innocentio XI. *conſtitut. ſollicitudo*; & diximus *tit.3. Conſil.I.* Idcircò fundatiſſimè preſumitur Sanctam Sedem cenſere recurſum ad amicos ſpirituales ad effectum enunciatum, abuſum non continere contra Regulam, ſed medium eſſe, licitè eligendum ad intenti finis aſſecutionem.

16. Verùm, non omnibus Fratribus permiſſum eſt recurrere, ſed iis tantùm, quibus commiſſum erit à Miniſtris, & Cuſtodibus, vel Guardianis; quibus à Regula facultas recurrendi generalitèr præſervatur, ut *tit.2. conſil.4. n.48.*

17. Abſtinere tamen debent Fratres deputati à receptione pecuniæ; quatenus verò concedēs per ſe ipſum, vel Subſtitutum ſuum non velit pecuniam expendere, debet moneri, ut eam mittat Syndico proximioris Conventus, qui eas tranſmittat, vel Syndico Conventus loci, in quo fabricandi ſunt proceſſus, vel Syndico

dico generali Romæ exiſtenti, ubi Cauſę ipſæ tractantur; & in plures annos differuntur, tùm exigente qualitate materiæ: tùm, ut maledica ora Hæreticorum obſtruantur, blaſphemantium Sedem Apoſtolicam pręcipitantèr dictas Cauſas reſolvere, & cultum Famulis Dei decernere.

18. Formula verò in recurſu adhibenda eſſe poteſt: *Placet vobis aliquam eleemoſynam pecuniariam conferre pro introducenda Cauſa Beatificationis* (vel, continuanda illa Canonizationis, aut promovenda Extenſione, vel Continuatione cultus) *Servi Dei, Fratris N. de N. noſtri Ordinis*?

Quæritur: *An diſpoſitio teſtamentaria, qua legatur ſumma, etiam notabilis pecuniarum ad effectum, ut dictæ Cauſæ tractentur, repugnet ſtatui Fratrum Minorum?*

19. Reſpondetur negativè. Etenim hujuſmodi pecuniæ non concernunt utilitates, & commoda Fratrum pro quotidiano victu, & veſtitu, ſed decorem Eccleſiæ, gloriam Seraphici Ordinis, & cultum religioſum, exhibendum amicis Dei ab Apoſtolica Sede in numerum Sanctorum relatis. Conſtat autem relicta

pro

pro certo uſu cultus divini in Eccleſiis Fratrum, ut, pro oleo lampadis, & frumento pro Sacrificiis, aut pro utilitatibus Sacriſtiæ, vel Fabrica Eccleſiæ non repugnare arctiſſimæ paupertati Fratrum, ut tenuit Rota coram Emerix in *Turritana Legator.* 10. *Januarii* 1695., quæ relicta deberi cenſuit, ut diximus *tit.3. conſil.*1. §.5. ita in propoſito dicendum.

Dictum eſt *Summa, etiam notabilis*, quia ſi verſemur in caſu, quo moderata quantitas pecuniæ unica præſtatione ſolvenda relinquatur pro neceſſitatibus Fratrum, ſunt Fratres capaces recipiendi per modum eleemoſynæ ex ibi dictis §.1.*n.*6. niſi eſſet in fraudem paupertatis: quæ fraus præſumitur, cùm ſumma eſt adeo relevans, & tanta, ut propterea cenſeatur mendicitas Fratrum ita relevari, ut eximantur à quotidianis, & humilibus quæſtuationibus, quò ad ea, quæ ad Fratrum alimoniam, & veſtitum ordinantur, ex ibi dictis §.6.

CON-

CONSILIUM II.

An pecuniæ oblatę pro Cauſis Beatificationum, & Canonizationum, aut Extenſionis cultus poſſint inveſtiri in locis Montium?

SUMMARIUM.

1 *Quid ſint loca Montium?*
2 *Loca alia antiquæ, alia novæ erectionis.*
3 *Pecuniæ pro Cauſis Beatificationum, & Canonizationum conceſſæ poſſunt in locis Montium inveſtiri: & à quo?*
4 *Pecuniæ in locis Montium ſunt in loco ſecuro, & pro Cauſis fructificant:*
5 *Nequeunt illis emi cenſus: & cur ad 7.*
8 *Emptores locorum Montium de facili reperiuntur.*
9 *Capitale in locis Montium ſemper remanet.*
10 *Loca Montium novæ erectionis ſunt difficilioris extinctionis.*
11 *Penſionibus annuis compenſatur damnum,*

Ii *quod*

quod poteſt obvenire per extinctionem locorum Montium.

12 *Pecuniæ pro dictis Cauſis conceſſæ deponi non debent in ædibus Montis Pietatis.*

13 *Neque ex illis poſſunt creari cambia.*

14 *In mutuo nihil poteſt ſupra ſortem recipi: excipe.*

15 *Nec ratione periculi ad 16.*

17 *Nec quia Negotiator ſuas facultates auget ex pecunia mutuò recepta.*

18 *An verò poſſit, quia quis non conſuevit ſuas pecunias non tenere otioſas?*

19 *Pecuniæ pro Cauſis prædictis conceſſæ, ſinè beneplacito Apoſtolico in alios uſus converti non poſſunt.*

1 HIC Romæ ſunt loca quædam auctoritate Pontificis erecta, loca montium nuncupata, in quibus, ut in montibus pecuniarum, pecuniæ, tàm à Civibus, quàm exteris inveſtiuntur cum translatione dominii: quibus Camera Apoſtolica ad publicam utilitatem utitur; ſinguliſque annis per determinatos Miniſtros quandam penſionem ex vectigalibus pro quolibet centenario inveſtientibus ſolvit. Quæ loca in aliorum Principum dominiis fortè non

non deſunt, licèt aliis titulis nuncupata.

2. Variant hæc loca in nomenclatura: alia appellantur Baronalia, & quædam Cameralia; iſta ſunt quaſi moralitèr ſecura; cum pro illis debitrix ſit dicta Camera, quæ non poteſt bonis excidere vulgò, *fallire*. Et inter hæc quædam dicuntur antiquæ erectionis, diverſis nominibus intitulata, ut *Mons reſtauratus*, *Mons fidei*, *&c.* Quædam verò novæ erectionis nominantur; quæ idem nomen retinent, & variant ſolùm in numero, ut *Mons S. Petri primæ erectionis*; *Mons S. Petri ſecundæ erectionis*, *&c.*

3. Quibus præmiſſis, dicimus poſſe licitè dictas pecunias in locis Montium Cameralibus inveſtiri: nihil enim inveſtimento officit, aut hoc repugnat ſtatui Fratrum Minorum. Quoniam pecuniæ non ſpectant ad Fratres: cùm à Donantibus non pro Fratribus, ſed pro dictis Cauſis fuerint conceſſæ.

Nec nomine, vel auctoritate Fratrum inveſtiuntur, ſed, vel immediatè à Donantibus proprio nomine in apocha expreſſo, vel, per Syndicum Apoſtolicum, utpotè perſonam fideliorem, & magis idoneam, quæ per Religioſos

Cauſarum Poſtulatores inſtrui valeat de ſumptibus pro tractatione earundem.

4. Quinimò, non tàm verſamur in caſu de licito, ſed, ex debito quoque ſunt pecuniæ in illis inveſtiendæ; tùm, ut hac ratione pro opportunis expenſis fructiſicent (quæ quidem fuit veriſimilis Donantium voluntas) tùm etiam, ut in loco ſecuro deponantur: utraque qualitas eſt cum inveſtimento connexa: de fructu ex dictis conſtat: ſecuritas verò eſt notoria: etenim dicta loca à fide Principis ſunt aſſecurata, æquivalentque rebus immobilibus, & ſtabllibus, *arg. ex Clementina Exivi §. Cumque annui de verb. ſignif.* & indè periculum amiſſionis, vel capitalis, vel annuæ præſtationis excludi cenſetur.

Quod profectò non procederet, ſi Banchario, vel alteri Mercatori ad lucrum, etiam pro Cauſis concederentur. Quoniam, data horum ceſſione à foro, vel, rei familiaris conſumptione, interitus utriuſque foret neceſſarius, adeòut reimburſatio, aut in totum deſperaretur, aut nonniſi variis ſumptibus, & moleſtiis eſſet aſſequenda.

5. Propter quòd nec cenſus, hoc eſt, jura per-

percipiendi annuas penſiones *ex re alterius ſtabili, vel frugifera* (quæ eſt definitio cenſus) poſſunt dictis pecuniis comparari: contractus enim cenſualis repugnat intentioni Donantium pecunias, & fini, ad quem pietas Fidelium eas contulit. Enim verò, ſtipulato contractu cenſuali, nequirent amplius deſervire pro Cauſarum expeditione; cùm de natura cenſus ex parte emptoris ſit perpetuitas ex *conſtitut. Cùm onus S. Pii V. la 79. Bullar. to. 2.*

6. Pactum verò ab emptore initum cum venditore cenſus, ut intrà certum tempus debeat hic cenſum extinguere reddendo pecuniam in ſumma, quam in venditione accepit, ibi improbatur à S. Pontifice; declaranturque uſurarii contractus cenſuales cum ſimili pactione adſtipulati, aliiſque ibi præſcriptis non obſervatis.

7. Quin etiam capitale in contractu cenſuali ſubeſſet periculo interitus; frequentèr enim bona, quæ ſtant pro hypotheca cenſus, poſſunt etiam abſque culpa Emptoris perire, aut aliis debitis eſſe gravata; quatenùs verò hujuſmodi oneri ſupponerentur, in exactione facienda cedendum eſſet anterioribus creditoribus:

neque poſſet aliis bonis fieri compenſatio, cùm, vel nulla ſint, vel noniſi fideicommiſſaria, pro aſſecuratione cenſuum prorſus inepta; & indè recognoſcenda eſt evidens Cauſarum damnificatio.

Neque obſtat noſtro inveſtimento opponere. I. Quòd etiam loca Montium ſunt perpetua. II. Quòd illa quoque ſubſunt periculo interitus, in caſu nimirum, quòd Roma depredaretnr, & ab hoſtibus vaſtaretur. III. Sæpè Loca extinguuntur.

8. R. Nullum ex aductis convincit. Non primum, quia, eſtò perpetua, tamen quia à fide Principis aſſecurata de facili reperiuntur emptores; ſicut probat praxis quotidiana in emergentibus caſibus; & propterea in caſu expeditionis Cauſæ illa vendi poſſent, & pretium erogari pro requiſitis ad actum ſolemnis Beatificationis, vel Canonizationis; vel, tunc recurri poſſet ad Summum Pontificem, ut mandaret reſtitutionem capitalis: ex qualitate negotii inveſtiti pro Cauſa finibili. 1

9. Nec ſecundùm. Quoniam, illo item infortunio admiſſo, ſequitur ſolùm aliquas annuas penſiones eſſe ad tempus, vel deperditas, vel ſuſpenſas, ſalvo tamen

men ſemper capitali, quia Camera Apoſtolica illud deberet, & in futurum teneretur ex redditibus vectigalium, vel aliis præſtationes ſolvere, quoties receptas pecunias non reſtitueret. Dictum verò periculum eſt valdè remotum, & in conſideratione non habendum.

10. Minuſque obſtat tertium. Nàm Loca novæ erectionis, in quibus pecuniæ deberent inveſtiri, remotiſſima ſunt ab extinctione; ad quam nunquam proceditur, niſi prius per edictum locis publicis affixum moneantur creditores de extinctione, & reſtitutione capitalis facienda.

Dices. Cùm dicta loca extinguntur, à Camera Apoſtolica non redduntur, niſi centum ſcuta pro quolibet Loco, quando in inveſtimento fuerunt tradita centum, & quindecim plus, minuſvè: & ità Cauſæ in amiſſione exceſſus damnificarentur.

11. R. Hujuſmodi damnum compenſatur per annuas penſiones duorum ad minus ſcutorū cum dimidio pro quolibet centenario; quæ penſio non reciperetur, ſi pecuniæ otioſæ apud aliquem remanerent. Quinimò, permiſſo, damnum illud per dictas penſiones non reparari,

 ſanè

ſanè cenſendum eſt, quemquam velle prudentèr potius parva aliqua capitalis parte carere, quàm jacturam exintegro illius facere; vel dicendum, quòd detrimentum in parte illa compenſatur per præſtationes, quæ in tot annorum fluxu recipiuntur, vel, in ſubſidium expenſarum dietim contingentium, vel etiam in augumentum capitalis; quod fieri poſſet, dum in eſſe conſervatæ integrarent ſummam aptam pro inveſtimento alterius loci Montis.

Quæritur: *An dictæ pecuniæ debeant deponi in ædibus Montis Pietatis?*

12. R. Negativè. Tùm, ex quo ibi infructuosè manerent. Tum ex eo, nam eveniente, quòd Mons bonis cederet, vel violentèr deprædaretur, pecuniæ perirent Cauſæ; enim verò dominium pecuniarum in depoſitum Montibus Pietatis commiſſarum, in ipſos Montes non tranſit, ſed remanet apud eum, in cujus faciem partitæ, & depoſitum cantant: ſemper autem res domino perit. Sed vide *conſil.3.num.25*. exceptionem.

Quæritur II. *An poſſent ex illis creari cambia, in quibus recipiens debitorem ſe conſtituit pro ſumma recepta, & ulteriùs tene-*

tenetur dare quinque pro quovis centenario, ſivè in nundinis plus, vel minus pretium currat?

13. R. Negativè propter periculum amittendi, tùm capitale, tùm intereſſe promiſſum. Experimur enim ſæpè Bancharios, alioſvè, vel foro, vel bonis cedere, adeòut ex tunc impotentes ſint ad utrumque.

14. Ulteriùs obſervo, eſſe valdè dubitandum de honeſtate ſimilium cambiorum, quæ in re aliud non videntur importare, quàm pecuniam mutuò datam, ſuperaddita ſolùm appellatione cambii: in quo, ſicut in mutuo transfertur dominium in gravatum reddere. Cùm verò in mutuo nihil ſupra ſortem liceat recipere (aliàs præſumeretur venditus uſus pecuniæ, qui invendibilis eſt) ità & in cambio; quatenùs verò recipiatur uſura committitur, niſi titulus recipiendi juſtificetur ex legitimo titulo damni emergentis, vel veriſimilitèr lucri ceſſantis.

15. Juſta cauſa recipiendi aliquid ultra ſortem non reputatur periculum amittendi capitale, cui quis exponitur, ut quidam dixerunt. Nàm hujuſmodi peri-

periculum eſt remotiſſimum, & exintrinſecum mutuo, vel illis aſſertis cambiis. Quin etiam, tunc prætextu periculi poſſet juſtè plus à pauperibus exigi, quàm à divitibus; quòd nullatenus admitti debet, aliàs via aperiretur palliandi uſuras, ut dixi *cautel. confeſ. li. 2. c. 24. n. 31.*

16. Neque id probari videtur decreto Sacræ Congregationis Inquiſitionis approbato ab Innocentio X. *anno* 1645. in his terminis: *Sinenſes, ſi aliquid accipiant ratione periculi probabilitèr imminentis, non eſſe inquietandos*. Decretum enim non continet poſitivam approbationem, & conceſſionem, ſed tolerantiam dumtaxat ad tempus, non reſpectu omnium, ſed Sinenſium tantùm (de quibus agebatur) recentèr converſorum ad Fidem; quos non ſtatim S. Congregatio cenſuit à Miſſionariis inquietandos circa contractus, in quorum vim quidquam ratione periculi ſupra ſortem recipiebant, ſed tolerandos eſſe ad tempus, & in bona fide reliquendos, quouſque progreſſu temporis plenius inſtructi ſuavius poſſent à ſimilibus commerciis abduci. Poterant enim ignorantiam invincibilem habere de re, quæ eis non apparebat ab intrinſeco mala.

17. Alii

17. Alii titulum juſtè recipiendi auctarium in hoc fundant, quòd Negotiator ex pecuniis mutuo receptis ſuas facultates auget, & lucrum facit. Etenim hac ratione poſſet quicumque à Mercatoribus, & Banchariis mutuatariis aliquid ſupra ſortem juſtè recipere, eſtò abeſſet verus titulus, aut damni emergentis, vel lucri de proximo ceſſantis. Lucrum illud Mercatoris non eſt fructus pecuniæ, ſed induſtriæ ab eo pro illo exhibitæ. Quemaddum major quantitas frumenti, quæ agricolæ provenit, non eſt fructus frumenti ab alio mutuò recepti, ſed illius laboris, & induſtriæ; & propterea mutuans non poteſt ab agricola plus frumenti recipere, quàm dederit.

18. Quidam de juſto titulo non dubitant, allegantes, ſe non conſueviſſe ſuas pecunias otioſas tenere. Verùm videndum eſt, an reverà dictas pecunias quis deſtinaverit negotiationi licitæ, non uſurariæ: vel, in aquiſitionem alicujus fundi frugiferi, & annui cenſus, ſeù officii lucrativi; & quatenùs ità ſit, jus habet paciſcendi cum mutuatario, vel campſario de compenſatione lucri ceſſantis, quod ſibi veriſimiliter evenire poſſet

ex

ex negotiatione, vel prædictorum acquiſitione; quamvis aliàs habeat pecunias ad varios rationabiles uſus reſervatas, ut ad alimenta familiæ, dotem filiæ, ſimileſvè caſus, quos quiſque prudens debet præcavere.

Hæc digreſſio adjecta eſt,nè Syndici ſe implicent ſimilibus,contractibus,aptis ſolummodò ad palliandas uſuras; ſed ubi opus ſit, pecunias apud eos à pietate Fidelium depoſitas pro Cauſis enunciatis, in tot locis Montium inveſtiant, ut hinc, & ſecuritati ipſarum conſulant, & utilitatem in beneficium Cauſarum intendant.

Quæritur III. *Quid agendum de reſiduo pecuniæ, ſi, cauſis abſolutis, aliquid ſuperſit?*

19. R. In caſu proviſio ſpectat ad Sedem Apoſtolicam, ſinè cujus facultate nequeunt pecuniæ in alios uſus converti per text. in *Clementina Quia contingit de Religioſ. domib.* in quo quòad res ad certum pium uſum à largitione Fidelium deſtinatos, Clemens V. decrevit, *ad illum debeat, non ad alium, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate, converti*. Conſtat autem pecunias ad tractationem dictarum Cauſarum elargitas pio uſui eſſe ad-

addictas; ideò ad alios uſus diverti nullatenus poſſunt, niſi Romanus Pontifex, ſupplicante Syndico Apoſtolico, pro alia neceſſitate conceſſerit. Dominium enim ipſarum, utpotè pro Cauſis piis in Sedem Apoſtolicam tranſit; cùm præſumendum ſit Dantes illud à ſe abdicaſſe, ſi ſecus non exprimant; nam propter Deum illas conceſſerunt, ac ut deſervirent pro Cauſis piis; quæ finibiles quidem ſunt, ſed regularitèr, ipſis viventibus non abſolvuntur; & ideò aptior perſona non eſt, in quam dominium transferatur, quam perſona Romani Pontificiis; *arg. ex cap. Exiit §. Ad hæc cùm, de verb. ſignif. in 6.*

CON-

CONSILIUM III.

An adverſus Syndicum, qui, vel bonis, vel foro ceſſit, detur actio judiciaria pro recuperandis pecuniis oblatis pro Cauſis Beatificationum, Canonizationum, Extenſionis, vel Continuationis cultus? & quis debeat judicialitèr petere?

SUMMARIUM.

1 *Proviſio novi Syndici in caſu, quòd, alter foro, vel bonis cedat, aut aliàs à Syndicatu amoveatur, à quo facenda, & quæ partes Syndici ſuccedentis, ad 3.*
4 *Poſſunt Commiſſarii Terræ Sanctæ retinere unam clavem arcæ eleemoſynarum.*
5 *Pro ſecuritate recuperandi pecunias pro Cauſis donatas debent bona ex Syndici obligari.*
6 *Et bona dotalia.*
7 *Syndicus in concurſu Creditorum admitten-*

tendus in petitione adverſus debitorem.

8 *Tacita hypotheca ſit à lege.*

9 *Factis probatur admiſſio Syndici in Creditorum concurſu.*

10 *In concurſu Creditorum ſervatur graduatio.*

11 *Creditores hypothecarii expreſsi, qui ſint?*

12 *Et habentes privilegium tacitæ hypothecæ?*

13 *Creditum probatur, etiam per privatam ſcripturam.*

14 *Et per teſtes.*

15 *Creditores perſonales, alii privilegiati, alii ſimplices, ſeù chirographarii.*

16 *Syndicus in exactione crediti cedit Creditoribus anterioribus, & potioribus.*

17 *Regula juris,* qui prior eſt tempore, *&c. qualitèr uſurpanda.*

18 *Poſteriores Creditores habentes, etiam expreſſam hypothecam, cedunt Syndico judicialitèr petenti.*

19 *Clauſula in forma Cameræ non lædit jura alterius.*

20 *Creditores chirographarii, eſtò anteriores, ſemper cedunt poſterioribus hypothecariis expreſſis, vel tacitis.*

21 *Res ſemper clamat pro domino, & huic reddenda, ubicumque extet.*

22. *Res*

22 *Res ad certum uſum pium deſtinatæ in alios nequeunt converti.*

23 *Fidejuſſor ſolvit de proprio, ſi principalis non ſatisfaciat.*

24 *Sedes Apoſtolica à nullo poteſt in obligationem adduci.*

25 *Sumptus in dies occurrentes petunt pecunias, vel ipſarum fructus, eſſe manuales.*

26 *Conſignatio eleemoſynarum exactarum ex bonis decocti novo Syndico non repugnat Regulæ Fratrum, ad 27.*

28 *Pecuniæ aliarum Cauſarum non poſſunt ſtare pro cautione de reſtituendo, credito recuperato.*

29 *Agitur de aſſiſtentia Poſtulatorum in Curiis, Syndico judicialitèr petente.*

30 *Poſtulatores non exigunt à Syndico computus juridicos, ad 31.*

32 *Non ſunt confundenda debita, & credita Cauſarum, ad 34.*

35 *Expenſæ aliæ vivæ, aliæ mortuæ: & quæ?*

36 *Formula litterarum patentum pro deputatione Poſtulatoris.*

37 *Expeditio ipſarum per ſe pertinet ad Miniſtrum Generalem.*

HU-

Hujus qualitatis dubium concernens pecunias piè à Fidelibus in eleemoſynam oblatas ad Fratr. Minorum neceſſitates relevandas proponitur, reſolviturque *tit.*4. *conſil.*4. Et cùm ibi dicta, ſervata proportione, ſint ad præſentis intellectum aptabilia, relegi poſsunt. Verùm quia nonnulla in ſpecie animadvertenda occurrunt circa pecunias à Benefactoribus elargitas pro expeditione Cauſarum Beatificationum, Canonizationum, Extenſionis, vel Continuationis cultus Beatorum Ordinis Minorum, propterea in propriis terminis hìc difficultas examinatur.

1. Et in hac facti ſpecie præmonemus, quòd, eveniente caſu, ut Syndicus, cui fuerant commiſsæ pecuniæ ab eo opportunè expendendæ juxta inſinuationem Poſtulatorum dictarum Cauſarum, bonis, vel foro cedat, ac debitis ſupra vires gravetur, adeòut timeatur de interitu eleemoſynarum, Superior, vel de ejus commiſſione Poſtulator debet dictum Syndicum ab officio removere, novumque nominare cum facultatibus opportunis, de quibus diximus *loc.cit.*

Kk *conſil.*

conſil.2.n.25. & hic,ſuppoſita nominatione, in executionem proprii muneris tenetur adverſus Syndicum decoctum, vel debitorem, aut alio titulo ab officio Syndicatus amotum, judicialitèr agere pro aſsecutione pecuniarum, quas idem indebitè diſtraxerit, vel in præjudicium Cauſarum alienaverit:aut etiam,ſi adhuc apud ipſum exiſtant.

Nunquam tamen in Actis debet nomen Fratrum aſsumere, tamquam ipſorum Cauſam agens: ſed nomine Papæ, ad quem dominium pecuniarum ſpectat (vel Donantium, ſi illud ſibi expreſsè retinuerint) procedere, inſtando pro recuperandis eleemoſynis à Fidelibus elargitis ad effectum, & intentione, ut ipſæ Cauſæ pertractentur.

2. Hæc praxis nominandi novum Syndicum ſervanda pariter eſt, cùm Fratribus innoteſcit imminens eſse periculum decoctionis Syndici, cui primùm fuerant enunciatæ eleemoſynæ commiſſæ. Nec propterea Fratres maculantur; quin potiùs eis videtur incumbere,ut ſatagant, nè pia Donantium intentio fraudetur, & negligentiæ, ac incuriæ Syndici obvietur: in quem finem planè Superio-

rioribus conceſsa, etiam fuit facultas Syndicos nominandi, ut expreſsè in *conſtit. Ex Clementi Pauli IV.* 1. *Bullar. to.*1.

3. Videturque proviſio fundari in *cap. Exiit de verb. ſignif. in* 6. applicando noſtro inſtituto ea, quæ diſponuntur §. *Poſsint etiam* circa ſubrogationem faciendam Subſtitutis Donantium; ibi: *Si tamen interdum propter locorum diſtantiam, in quibus eſſet ſatisfactio facienda, & conditiones, seù circumſtantias alias, caſus emergeret, in quo videretur plurium perſonarum ſubrogandarum miniſterium opportunum, liceat ipſis Fratribus hoc in caſu juxtà negotii qualitatem* (*ſervato modo prædicto*: hoc eſt, de conſenſu Dantis, vel perſonæ ipſius Subſtitutæ) *plures perſonas aſſumere, nominare, seù præſentare ad iſtud miniſterium exequendum*. Sicut enim licitè in dictis circumſtantiis aliam, vel alias perſonas reſpectivè nominare poſsunt; ſic in præſenti facti ſpecie ad novi Syndici nominationem licitè procedunt, nè bona Papæ dilapidentur, pia Donantium intentio fruſtretur, & opportunis auxiliis Cauſæ priventur.

4. Maximè, quia verſamur in caſu eleemoſynarum, quæ, ipſis Fratribus

etiam fortè petentibus, donatæ ſunt pro Cauſis Sanctorum ſui Ordinis, conſequentèr ex debito charitatis naturalis tenentur per modos ſuæ Regulæ congruos providere, nè ipſarum interitus contingat; quamquàm jus nullum in ipſis prætendant, vel prætendere poſſint; ſicut onus habent providendi, ne expilentur eleemoſynę donatæ à Benefactoribus pro conſervatione, reſtauratione, & ſubſidio Sanctorum locorum Terræ Sanctæ, divinique cultus in illis augmento: & etiam pro Fratrum inibi degentium, & Peregrinorum illùc pergentium ſuſtentatione,& neceſſitatibus. In quem finem, & pro tutiori cuſtodia Innocentius X. *conſtit.Cùm ſicut* 11.*Bullar.tom.*5. conceſſit, ut Commiſsarii Terræ Sanctæ tutâ conſcientiâ poſsent retinere unam clavem arcæ, in qua pecuniæ pro illis Locis aſſervantur, exiſtente aliâ apud Syndicum Apoſtolicum: ut hac forma intactæ conſervarentur, & obviaretur periculo ammiſſionis: ſæpè enim plures fuerunt ſub interitu culpâ Syndicorum, vel in caſu decoctionis, vel, quia aliàs illis indifferentèr in ſuos particulares uſus, & intereſse utebantur.

5. Tunc

5. Tunc verò recens Syndicus alligatur oneri monendi ex-Syndicum, vel, ut amicabilitèr reddat, vel, legalitèr ſe, ſuaque bona expreſsè obliget pro ſecuritate ſolvendi debitum;& pro potiori cautela debent, uxore, & filiis conſentientibus, pro aſſecuratione vinculari bona, etiam dotalia uxoris ad affectum, quòd ſi illa viri ſatis pro ſolutione nō ſint,vel, ſit cedendum Creditoribus anterioribus, vel potioribus, ex aliis reimburſatio integretur.

6. Quod obſervatum eſt pro recuperanda ſumma pecuniarum, quæ exiſtebant apud Comitem de Sylva,Syndicum generalem Religionis pro Cauſa Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Sebaſtiani de Apparitio. In caſu enim, ſolidatis computis, d. Comes ſe fecit, & conſtituit verum, & legitimum debitorem in ſumma notabili; ſeque obligavit dictæ Cauſæ: & pro ea D. Marchioni Franciſco Nunez Syndico de novo nominato, illam exburſare promiſit, & pro uberiori cautela dictæ ſolutionis addendo jura juribus, ſe ſe ut principales principalitèr, & inſolidum obligarunt ejus uxor, & filii, ut latiùs, inſtru-

mentis editis reſpectivè, 20. *Aprilis* 1694. ac 8. & 9. *Octobris d. anni*.

Quæritur. I. *An Syndicus ſuccedens in officio Syndicatus debeat in concurſu Creditorum admitti pro recuperandis iis, pro quibus ex-Syndicus eſt debitor Cauſæ?*

7. R. Affirmativè per adnotata *tit. & conſil. citat. num.* 20. quæ punctualitèr in ſpecie hic quoque probant, poſita liquidatione debiti, quo ſupponitur ex-Syndicus gravari; cujus bona ſunt tacitè hypothecata in ſecuritatem eleemoſynarum, quas receperat expendendas in beneficium Cauſarum. Quemadmodum enim cœteri Creditores jus habent in ipſius bona propter hypothecam expreſſam, vel tacitam, ità à lege tacitâ hypothecâ Syndicus protegitur, ut adverſus decoctum, ejuſque bona poſſit juridicè procedere.

8. Tacita verò hypotheca in caſu fit à lege. Cùm enim à lege propriæ profeſſionis Fratres ſint incapaces ad expreſſam hypothecam imponendam, utpotè inhabiles ad aliquam obligationem activam, vel paſſivam contrahendam; nec de expreſſa hypotheca poſſint ipſæ Cauſæ paciſci, cùm ſint organa inanimata, & nolle

nolle, & velle careant; nec ab aliis perſonis valeat ea conventio expectari; & cùm aliàs lex ipſa diſponat, ut res, & bona ad pios uſus determinatè deſtinata in alios uſus non convertantur, ut expreſsè in *Clementina Quia contingit de relig. domib. in* 6. lex ipſa tacitè bona Executorũ, & Miniſtrorum obligat, ut, quatenùs illi relicta ad pios uſus indebitè diſtraxerint, ex propriis debeat damnum reparari, & pia intentio Fidelium impleri, ut ibi textus ſignificat. Ità, quia pecuniæ pro Cauſis relictæ ex-Syndico à Fidelibus conſignatæ, ſunt piis uſibus determinatè deputatæ, lex per tacitam hypothecam ſupplet expreſſam, conſulens ſecuritati, tùm pecuniarum, tùm executionis à Fidelibus intentæ. Verum tamen eſt, quòd Syndicus de novo nominatus poteſt obligationem expreſſam recipere à Syndico ab officio remoto, in ſecuritatem reddendi eleemoſynas receptas, quarum in ſolidatione computorum debitor eſſet. De tacita hypotheca, & depoſito irregulari, ac regulari nonnulla dicta ſunt *ubi ſupr. loc. cit. num.* 14. 15. 16. & 17. ibi videnda.

9. Subſecutis factis res comproba-

tur: & in ſpecie adverſus d. de Sylva, (realem, & liquidum debitorem in ſumma gravi ad d. Cauſam ſpectante) in judicio pro exactione proceſſit D. Marchio Nunez, ut ſupra. Subindè, ſecuta decoctione Leonardi Librii, apud quem, ut Syndicum generalem Religionis aſſervabantur in depoſitum irregulare ſcuta 2062. (proùt liquidatum fuit ex regeſtis ejus Banci) à Fidelium pietate elargita ad effectum ut 1255. erogaret pro neceſſitatibus Officialium Generalium, aliorumque Fratrum Familiæ Ultramontanæ; & ſcuta 807. ſubminiſtraret pro proſequendis quinque Cauſis Canonizationum: adverſus Librium, non obſtante prævia reſiſtentia Creditorum, cognito de bono jure D. Gulielmi Ricca Syndici ſubſecuti, fuit ab Judice favore hujus pronunciatum pro admiſſione in cauſa adverſus debitorem, à quo dicta ſumma fuit recuperata.

Sed oritur difficultas. *An Syndicus in exactione crediti præferendus ſit cæteris Creditoribus, ſi bona decocti omnibus debitis ſolvendis non ſufficiant?*

10. Eſt regula generalis, quòd, datò concurſu Creditorum, ſervanda eſt gradua-

duatio in exactione crediti. Quod, ut pleniùs conſtet, notandę ſunt ſpecies Creditorum.

11. Primò itaquè, Creditores alii ſunt hypothecarii expreſſi; de quibus verificatur ſibi pro ſecuritate crediti obligata habere, non tàm perſonam ipſam Debitoris, quàm aliqua ejus bona (ſi hypotheca ſit ſpecialis, & rei in individuo affixa) vel omnia (ſi ſit generalis.) Nuncupantur autem expreſſi, quatenus in Inſtrumento, vel fuit expreſsè, & nominatim hypotheca ſpecificata, vel per æquipollens, ut ſi ſtipulatio fuit concepta cum clauſula, *ſeſe, &c. ſuoſque hæredes, &c. obligat in ampliori forma Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ*: per quam reputantur obligari omnia, & ſingula bona, Rota coram Coccino apud Pauluccium *diſſert. legal. diſſertat.30. num.32*.

12. II. Alii ſunt Creditores habentes privilegium tacitæ hypothecæ, quæ à lege fit, ut dictum eſt: ità bona mariti ſunt tacitè hypothecata uxori, ejuſque liberis pro dote *leg. aſſiduis C. qui potiores*. Item; bona illius, qui cum Fiſco contraxit: aut, ſi Reſpublica pecuniā alicui credidit, vel tributa colligenda commiſſit.

C.qui-

C. quibus cauſis l.quamvis de privileg. Fiſci. Item, domus, vel navis conſtructa, vel conſervata per pecuniam ab aliquo mutuatam, manet ipſi tacitè hypothecata *ff. qui potior in pignore*. Item, ſi ex pecunia pupilli res aliqua comparata fuit, in ea tacitam hypothecam acquirit, & juris prælationem, ubi alia exempla dedimus *loc. cit.*

13. De credito verò, & prioritate hypothecæ, tàm tacitæ, quàm expreſſæ poteſt legitimè conſtare, tùm per Inſtrumentum à Notario coram Teſtibus adſtipulatum, tùm per Scripturam privatam, ſeù Apocham à Banchario Creditori traditam: & ideò *Inſtrumentarii* fortè appellantur.

14. Quinimò, etiam per æquipollens patens id eſſe poteſt: ut, ſi per teſtes legitimè probari poſſit: in judicio enim non minorem fidem merentur depoſitiones teſtium, quàm publicum Inſtrumentum *l. in exercendis C.de fide Inſtrumentor.* & videri poteſt Gloſſ. in *cap. Scripta, verb. authentica eod. tit.*

15. III. Quidam ſunt Creditores perſonales: quorum aliqui dicuntur privilegiati, quia ex juris privilegio totum debi-

debitum ſuum poſtulare poſſunt, antequàm alii Creditores purè perſonales: qui ideò merè perſonales appellantur, quatenus nullam habent hypothecam tacitam, aut expreſſam, vel pignus, vel privilegium, ſed ſolum actionem perſonalem: & hi à Juriſtis vocantur Creditores *chirographarii*.

16. Ad hæc notabis Syndicum in exactione crediti cedere anterioribus Creditoribus habentibus expreſſam, vel tacitam hypothecam, juxtà Regulam 54. *jur. in 6. qui prior eſt tempore, potior eſt jure*.

Cedit quoque, etiam poſterioribus, ſi potiores ſint, quia iſti ex juris prælatione cœteris præferuntur; ità uxor propter hypothecam tacitam privilegiatam in bona mariti, quoad vindicanda ſua bona dotalia, anteponitur Creditoribus, eſtò ſint priores in credito; quinimò etiam ſi habeant hypothecam expreſſam; quamvis aliàs ſenſerit Layman *loc. cit. d.tit. & conſ. num.*18. Jura enim in *cap. Ex litteris de pignorib.*& in *d.l. aſſiduis* loquuntur generalitèr, ideò de omnibus Creditoribus accipienda ſunt, per Gonzalez *in 3.tit.*21.*cap.*5.*num.*12.

Con-

Conſiderandum eſt, multùm intereſſe Reipublicæ, quòd mulieres non maneant indotatæ *l.* 1. *ff. ſolut. matrim.* Quapropter, quia in dotibus verſatur publicus favor, ſingulorum commodis eſt præferendus *l. actione* §. *Labeo ff. pro ſocio*; ſicut bono privato ratio dictat bonum publicum eſſe præferendum.

17. Hinc regula illa *juris* procedit, quando Creditores ſunt quoque in aliis omnibus pares, excepta temporis prioritate: tunc profectò obligatio, & hypotheca, quæ prior eſt tempore, dat primum, & fortius jus, ac realem actionem in rem obligatam: quia hypothecæ, & pignora dantur in ſecuritatem, & prælationem ſolutionis.

18. Poſterioribus verò Creditoribus habentibus, etiam expreſſam hypothecam, Syndicus nullatenus cedit, ex privilegio legis, quæ per tacitam hypothecam ſupplet expreſſam, ut ex dictis *tit. & conſil. cit. num.* 16. *& ſupr. nu.* 8.

Ità in concurſu Creditorum d. Leonardi Librii practicatum fuit *anno* 1712. & admiſſus novus Syndicus; qui coram D. Vincentino Judice à Sanctiſſimo delegato inſtetit ſibi conſignari prædicta ſcu-

ta

ta 2062: & docto, quòd pro hiſce eleemoſynis tacitè erant obligata bona decocti, mandatum reportavit de conſignando, & fuit executioni traditum.

19. Nec poſſunt poſteriores allegare ſibi prælationem deberi, ex quo adverſus decoctum agant vigore Inſtrumenti *obligatione Camerali* vallati; quoniam vigor talis obligationis non eſt jura alterius lædere, ſed præſervare ſua unicuique ad formam juris. Ità, quamquam clauſula in forma Cameræ inferat bona debitoris eſſe obligata pro ſecuritate crediti, hoc tamen non verificatur, quòad bona, in quibus alii anteriorem habent hypothecam; nàm tunc illa aliis ſunt obligata, & quaſi alienata, ideò nequeunt regularitèr abſque eorum voluntate tranſire in jus alterius: hic verò ſupponitur anterioritas hypothecæ competentis credito pro Cauſis, ideò nihil dicta clauſula præjudicat juri Syndici agentis ad recuperationem crediti ſpectantis ad dictas Cauſas, quarum jus vincere, & ſuperare non valet: quamvis potens ſit, ut cenſeantur excluſi, qui ſunt poſteriores; vel alii, etiam anteriores, qui nec talis clauſulæ aſſiſtentiam habent, neque per hy-

hypothecam expreſſam ſibi caverunt, nec à lege proteguntur per hypothecam tacitam.

20. Idque fortiùs procedit, quòad Creditores chirographarios, qui, eſtò anteriores, ſemper cedunt poſterioribus hypothecariis; quoniam actio perſonalis quantumcumque privilegiata à quacumque hypotheca vincitur, ut advertit Gonzalez *cit.num.*12. & hinc anterioritas temporis in illis eſt per accidens. Quapropter creditum Cauſæ ex capite tacitæ hypothecę eſt melioris conditionis, quàm credita illorum. Qui ſibi imputent, ſi per expreſſam hypothecam, vel obligationem Cameralem ſecuritati proprii crediti non conſuluerunt.

21. Adnotatione dignum eſt, quòd ſi pecunię in cuſtodiam ex Syndico commiſſæ, in loco à cœteris ſeparato, & pro illis aſſervandis deputato reperiantur, ſunt novo Syndico reſtituendæ ad excluſionem cœterorum, etiam anteriorum, & potiorum Creditorum. Ratio eſt, quia res in individuò exiſtens ſemper pro Domino clamat, & Domino reddenda eſt: in caſu autem pecunia illa in individuo exiſteret, nec à decocto conſumpta, neque

que cum propriis permixta; & in Syndico, Domino redderetur, Papæ nimirùm, ad quem pecuniæ Cauſarum pertinent, & de cujus, & Donantium voluntate pro Cauſis erogantur. Tum quia, in caſu depoſitum pecuniarum quamvis in ſe irregulare, hoc de regulari participat, quòd in ſe exiſtens ſit reddendum; proindequè ei, cui pro *exigendo* datur actio; adeòque novo Syndico, tamquàm Procuratori, & Adminiſtratori Domini Principalis ipſum judicialitèr petenti.

22. Nec dicendum, quòd ex quo ex-Syndico decocto fuerint eleemoſynæ conſignatæ non clauſæ, & obſignatæ (adeòque non ſervatâ formâ depoſiti regularis) præſumi debeat eas de licentia, ſaltem tacita Domini alienaſſe, vel negotiationi expoſuiſſe. Hæc ſanè licentia nullatenus præſumenda eſt, ut diximus *loc.cit. nu.*18. & aſſeritur contra diſpoſita in dicta Clementina *Quia contigit*; in qua quò ad res ad certum pium uſum à pietate Fidelium deſtinatas ſtatuitur, *ad illum debeant non ad alium* (*ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate*) *converti*. Hinc Congregatio Baronum in Cauſa Ven. Servi Dei Joanne à Cruce reſcripſit contra Patrimo-

monium d. de Sylva, qui ex dicta præſumpta licentia abuſus fuerat in alienatione nonnullarum pecuniarum ad Cauſam ſpectantium. Quæ quidem doloſa, hoc etiam titulo,fuit conſiderata, quòd non fuerint pecuniæ prius alienatæ, quàm, ſecuto receſſu ad Urbe Patris de Arroyo Procuratoris dictæ Cauſæ.

Quæritur 2. *An Syndicus de pecuniis in concurſu exactis debeat ſolitam de reſtituendo obligationem præſtare; aut loco cautionis eas in tot locis Montium inveſtire?*

23. Reſp. Quo ad primam partem negatur abſolutè propter dicta *loc. cit. n.*22. Nam id exigere perinde eſt, ac de moralitèr impoſſibili tractare. Etenim Syndicus, ut perſona privata nunquàm in ſe tale onus ſuſciperet, ne veriſimili ſe exponeret periculo ſolvendi de proprio in caſu reſtitutionis faciendæ; quoniam fidejuberet pro Cauſis, quæ planè longo temporis curſu abſolvuntur, ſed adhuc conſtat eſſe finibiles: ponas pecunias nunc, causâ abſolutâ, conſumptas eſſe, & interea compareat Creditor, docens de ſua anterioritate, vel potioritate, ex quibus ſatisfactio erit facienda? non de pecuniis Cauſæ, quia amplius non ex-

extant: Ergo de propriis Syndici, proùt hujuſmodi onus omnibus fidejuſſoribus incumbit in defectum, quòd principales non ſolvant.

24. Nec minus poteſt ſe, quà Syndicus obligationi ſubmittere. Tum quia, ad id ejus facultates non extenduntur; propterea nullitèr procedit, ſi non ſervat formam mandati, cap. *Venerabili de offic. deleg.* Tùm quia, tunc per ipſum, tamquàm ejus Oeconomum, & Miniſtrum obligari præſumeretur Sedes Apoſtolica, quæ à nullo poteſt in obligationem adduci, cùm ſit â quovis independens, & Superior omnibus.

25. Quantùm ad ſecundam partem, paritèr *negatur*, ſi tractetur de exigua ſumma; quia inveſtimentum, non tàm non eſſet utile Cauſæ, cui propter tenuitatem capitalis, vel nihil, aut non ſufficienter pro diurnis expenſis fructificaret: quàm in promptu, & manuales pro illis non eſſent pecuniæ, vel præſtationes ipſarum, ut ſumptibus neceſſariis in dies occurrentibus fieret ſatis, prout notorium eſt,

Verumtamen pro majori ſecuritatis cautela, quò ad pecunias manuales pro

quotidianis ſumptibus Cauſarum utile
eſſet, ut à Syndico deponerentur in ædi.
bus Montis pietatis, ut hac ratione ob-
viam iret fraudibus Servorum, & caſua-
libus exterorum latrociniis; ac ulteriùs,
nè in caſu, quòd inopinatò decederet,
exponerentur controverſiis, quæ poſſent
excitari circa pecunias apud ipſum aſſer-
vatas. Tunc enim dubitari nullatenùs
poſſet eas ad Cauſas ſpectare, cùm in
apocha id apertè ſignificaretur, & debe-
rentur Syndico, qui de-mortuo ſubſti-
tueretur ad affectum expreſſum. Neque
id repugnaret ſtatui Fratrum, cùm nec
eorũ nomine aſſumpto eſſent depoſitatę,
neque ad ipſorum neceſſitates tempora-
les relevandas cuſtodiæ commiſſæ. Quan-
tùm verò ad ſummam notabilem vi-
deantur dicta *conſil. ſuperiori n.*12.

26. Et ulteriùs ponderetur, quæ hic
Romę in contingentia facti fuerit praxis:
conſignata itaque novo Syndico ſumma
illa ſcutor. 2062. ut *ſup. n.*9. pro qua de-
bitor erat dictus Librius, ſed hac lege,
ut cautio præſtaretur de reſtituendo fa-
vore Creditorum anteriorum, & potio-
rum, quando comparerent, aut loco
cautionis reinveſtirentur cum vinculo
in

in tot locis Montium, fuit exhibita petitio Sanctiſſimo D. N. Clementi XI. qua petebatur, ut novo Syndico illa liberè abſque ullo onere, & vinculo conſignarentur, ut indè tàm dd. Fratrum neceſſitates, quàm Cauſæ Canonizationum beneficium reciperent in ſumma pro illis reſpectivè aſſignata *ſupr.nu.9.* Preces Sanctiſſimus remiſit S.Cong.Epiſc.& Regul. à qua, examinato articulo: *An petitio prædicta, & facultas reſpectivè repugnaret puritati Regulæ S. Franciſci. Eadem* 1. *Julii* 1712. *audito P. Commiſs. Generali Ordinis, referente Em. S. Clementis, cenſuit, & declaravit liberam conſignationem enunciatarum pecuniarum in manibus Syndici non obſtare: ſervatis tamen Conſtitutionibus Apoſtolicis, & decretis Capitulorum Generalium.*

Et aliàs idem Sanctiſſimus, non obſtante acri contradictione Creditorum d. de Sylva, liberavit ab enunciato vinculo ſcuta 3819. (deducta ex ſumma ſcutorum 7839. quæ Congregatio Baronum *ſub* 1. *Maii* 1713. mandaverat conſignari Syndico Apoſtolico dictæ Cauſæ Servi Dei de Apparitio) licèt cum dicta integra ſumma fuiſſent inveſtita in locis Montium cum ſolito vinculo de reſti-

tuendo, quatenùs opus fuerit.

28. Nec pro cautione poſſent obligari eleemoſynæ cęterarum Cauſarum, quoniam, quæ uni Cauſæ ſunt conceſſæ, ità ſunt uſibus illius addictæ, ut nequeant in alios uſus, etiam, pios, & ſimiles converti, ut eſt expreſſus textus in *d.Clementina Quia contingit, ut ſupra n.22.* Propterea in hac ſpecie opus eſt ex d. textu beneplacito Sedis Apoſtolicæ, proùt actum fuit, imminente Canonizatione S. Joannis de Capiſtrano, ad cujus poſtremos ſumptus deerant pecuniæ, quæ de licentia Alex. VIII. ſuppletæ fuerunt ex depoſito alteriùs Cauſæ. Rota in *Romana, ſeù Mexicana Depoſiti eleemoſynarum coram Cardin. de la Tremoille 22.Julii* 1699.

De cujus paritèr aſſenſu in ſupplementum aliarum pecuniarum pro dicta Cauſa Capiſtrani, Syndicus Apoſtolicus ſummam pecuniæ mutuò recepit à Monialibus Turris Speculorum.

Sed difficultas eſt: *An Religioſi Poſtulatores poſſint cum Syndico judicialitèr petente in Curiis aſſiſtere?*

29. R. Negativè, ſi aſſiſtere importet, vel partem citare, vel coram Judice in contradictorio parti reſpondere, & ju-

ra

ra allegare, hæc enim ſtatui Fratrum vidētur contrariari, & reſervata ſunt Syndico Apoſtolico, vel Advocatis ab eodem inſtitutis, juxta *Clementinam Exivi de verb. ſignif.* §. *Quapropter*. Si verò aſſiſtere in Curiis dicat ſuam præſentiam exhibere, cùm Syndicus, vel Advocatus Cauſam in judicio agit: vel extrajudicialitèr Syndicum, aut Advocatos informare, & opportunè dirigere pro faciliori Cauſæ expeditione, eis vetitum non putatur; tunc enim eorum præſentia in judicio ſe habet ſolùm de materiali; maximè, quia non eorum negotia aguntur, ſeù, non tractatur de recuperandis temporalibus in Fratrum commoda, & utilitates convertendis; ſub qua circumſtantia eſt Fratribus in *d. Clementina* §. *Amplius* vetitum ſe in Curiis præſentare, ut dixi *tit.*4. *conſil.*4. *n.*4. ſed agitur de iis conſequendis, quæ ad Cauſas pertinent, & pro quibus, & non pro Fratribus petuntur; & aliàs notorium eſt eos partes Poſtulatorum ſuſtinere. Idem, ſervata proportione, dicendum de Commiſſariis, & Miniſtris Locorum Terræ-Sanctæ.

30. Paritèr, Poſtulatoribus prohibetur computus juridicos eleemoſynarum

à Syndicis exigere, aut in adminiſtratione pecuniarum ſe auctoritativè, & civilitèr cum illis ingerere. Ideò cùm computus requirunt, non juridicos petunt, ſed ſolùm informationem enunciativam, ut indè tàm de fideli adminiſtratione Syndicorum inſtruantur, quàm de ſumma eleemoſynarum, quæ apud eos adhuc reperitur pro ulterioribus ſumptibus.

31. Sic etiam Syndicis non præcipiunt, ut iis, qui in Cauſa laborant mercedem tribuant; ſed ſolùm illis inſinuant operas à laborantibus præſtitas: & indè cum eis deprecativè agunt pro ſolutione, ut par eſt, facienda.

Quæritur III. *An debita, quibus Syndicus gravatur pro una Cauſa, poſſint compenſari cum credito, quod habet adverſus aliam Cauſam?*

32. R. Negativè juxtà textum in *d. Clementina Quia contingit.* In littera enim legitur: *quod ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata Fidelium, ad illum debeant, non ad alium* (*ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate*) *converti*. Ideò pecuniæ, quæ ſunt pro una Cauſa donatæ, pro ea tractanda debent impendi, & niſi Sedes Apoſtolica diſpenſet, nequeunt in alteriùs

Cau-

Cauſæ beneficium converti: propterea, ibi Pontifex injungit iis ad quos pertinet, *ut occupata, deperdita, & alienata indebitè, in ſtatum reduci debitum faciant*. Ac proindè Syndicus de propriis debet extinguere debitum, pro quo una Cauſa eſt creditrix, reſervata ſibi actione de exigendo credito, quod habet adverſus aliam Cauſam, de bonis, quæ pro ea fuerint collata.

33. Non enim ſunt credita confundenda, proùt *die 6. Decembris* 1696. decrevit Congregatio ab Innocentio XII. ſpecialitèr deputata ſuper abuſibus, qui in Cauſis Canonizationum irrepſerunt, ut infrà: *Facta per Andream Pierium Subpromotorem Fidei (proùt ſub die 6. Septembris proximè præteriti* 1696. *habuerat in mandatis.) relatione de ſtatu Cauſæ, ſeù Cauſarum Limanæ B. Franciſci Solani, & Mexicanæ Ven. Servi Dei Sebaſtiani de Apparitio, ad inſtantiam Poſtulatorum eorundem, ſeù potius Syndici generalis Religionis Minor. S. Franciſci, contrà Equitem Sylvam pro recuperatione pecuniarum penès ipſum Sylvam depoſitarum, coram A. C. ſeù ejus Auditore introductæ, ſeù introductarum Em. Patres: Cenſuerunt, & decreverunt.*

Primò, *Cauſas pecuniarum depoſita-*

 rum

rum penès prædictum Equitem Sylvam pro Cauſis Canonizationum, nempè Limana Beati Franciſci Solani, & Mexicana Venerab. Ser. Dei Sebaſtiani de Apparitio, non eſſe confundendas cum aliis creditis aliarum adminiſtrationum ratione Syndicatus Religionis Minorum S. Franciſci ab eodem Equite exerciti; & mihi Secretario injungendum, quod de prædictis A. C. ſivè ejus Auditorem certiorem redderem.

Secundò, *denuò committendum eidem Andreæ Pierio Subpromotori Fidei, quod pro ulteriori expeditione Cauſæ aſſiſteret.*

34. Idem ex identitate rationis dicendum de debitis, & creditis à Syndico tempore Syndicatus reſpectivè contractis in adminiſtratione eleemoſynarum pro neceſſitatibus Fratrum, adeò ut non ſit confundendum debitum reſultans ex adminiſtratione eleemoſynarum conceſſarum à Benefactoribus pro uno Conventu, cum credito acquiſito, adminiſtrando alias pro alio Conventu donatas.

Quæritur IV. *An ex bonis ex-Syndici debitoris debeat fieri Syndico in judicio victori reimburſatio expenſarum, quæ factæ ſunt in Cauſa pro aſſecutione crediti?*

35. R.

35. R. Affirmativè, accedente maximè taxatione ab Judice, cauſâ cognitâ: & in ſpecie loquendo de expenſis, quæ appellantur *vivæ* ad differentiam earum, quæ dicuntur *mortuæ*: poſtremæ enim generalitèr, vel non ſunt victori reficiendæ, vel juri conſonam admittunt moderationem, ut per optimè dixit Rota in *d. Cauſa Mexicana coram Anſaldo* 27. *Novembris* 1705.

Quapropter expenſæ *vivæ* aſſeruntur, quæ, ære proprio exburſato, ſolutæ ſunt Notariis, & Executoribus, aut pro compilatione Proceſſus, pro extrahendis Scripturis, & compulſandis Inſtrumentis, per Roſa *de execut. Lit. Apoſt. part.* 2. *cap.*4.*num.*57. vel,pro propina ſententiæ, aut Judici: non, ut hic adminiſtret juſtitiam, quia ad hoc ex debito ſui muneris tenetur: ſed, quia fortè publicum ſtipendium non habet, aut ab jure, vel conſuetudine aliquid permittitur accipere, ex Layman *Theol.Moral.lib.*3.*tit.*4.*cap.*4.*n.*10. §. *Si verò*. Quæ etiam ſolent vocari *judiciales*, quia de illis conſtat in Actis: petuntque ſemper celerem refectionem,ut expreſsè Rota ibi; & pro quibus ſolvendis ab Judice ſolent relaxari mandata

exc-

executiva; & in ſpecie ipſa Rota 15. *Septembr.* 1705. pronunciavit adverſus hæredes dicti Comitis de Sylva; contra quos per D.Lancetta *ſub* 1.*Octobr. ejuſdem anni* fuit mandatum relaxatum.

Intèr expenſas *mortuas* computantur, tùm honoraria exhibita Advocatis, & Procuratoribus reſpectivè pro Scripturis elucubratis, & Informationibus in Cauſa factis: tùm ſtipendia reddita, & ſoluta Amanuenſibus pro exemplatione Scripturarum, aut Typographis pro earundem impreſſione. At non indè appellantur *mortuæ*, quaſi, numerata pecunia non ſit in effectu ſoluta, vel iiſdem Miniſtris ſolvi non debeat, ſed hoc titulo, quòd de ipſis in Actis non conſtet. Circa quas in praxi procedendum eſt juxtà ſenſum Rotæ *ubi ſuprà*.

Formula Litterarum patentum pro inſtituendo, deputando, & nominando Poſtulatore Cauſæ Beatificationis, vel Canonizationis.

36. Fr. N. Miniſter Generalis totius Ord. Minor. &c. dilecto nobis in Chriſto P. Fr. &c.

„ Cùm ad introducendam (vel
„ proſequendam) cauſam Beatificationis

„ nis Ven. Servi Dei Fr. N. de N. (vel
„ ſollicitandam, vel continuandam
„ illam Canonizationis B. N. de N.) apud
„ Sanctiſſimum D. Noſtrum Papam &c.
„ opus ſit unum Fratrem noſtri Ordinis
„ inſtituere, & deputare Poſtulatorem,
„ ſeu Procuratorem, qui noſtræ Reli-
„ gionis nomine in Romana Curia di-
„ ctam Cauſam peragat, tractet, & pro-
„ curet, tenore præſentium Te, de cujus
„ Zelo virtute, dexteritate, & prudentia
„ plurimùm in Domino confidimus, in
„ Procuratorem, ſeù Poſtulatorem dictę
„ Cauſæ, cum poteſtate ſubdelegandi,
„ inſtituimus, nominamus, & deputa-
„ mus ad effectum, ut in dicta Cauſa ea
„ omnia pertractes, agas, & perficias,
„ quæ ad fęlicem exitum cognoveris
„ expedire, & opportuna judicaveris;
„ ac pro illa expedienda coràm Sanctiſ-
„ ſimo Domino Noſtro N. Pontifici
„ Maximo, & Sac. Rituum Congrega-
„ tione, ac quibusvis aliis perſonis ne-
„ ceſſariis compareas; & quaſcumque
„ ſuper præfato negotio Litteras Apo-
„ ſtolicas impetres, ac expedias; ſimul-
„ que de ſumptibus neceſſariò faciendis
„ Syndicum Apoſtolicum Cauſæ in-

ſtruas,

„ ſtruas, à quo, vel ejus Subſtituto dum-
„ taxàt fiant. Et ad præmiſſa omnia, &
„ ſingula, quæ circa eam erunt neceſſa-
„ ria, & utilia, etiamſi de jure, vel aliàs
„ exprimenda forent, plenariam, & libe-
„ ram facultatem, quo meliùs de jure
„ poſſumus, per præſentes tibi concedi-
„ mus: & Socium aſſignamus, ut expe-
„ ditiùs munus commiſſum implere
„ valeas; ac ad majorem redundantiam,
„ & cautelam, annullamus, caſſamus,
„ & revocamus alias quaſcumque Lit-
„ teras, quas uſque modo prò hoc ipſo
„ negocio dederimus, Te ſolum in
„ dictum Munus Poſtulatoris, ſeù Pro-
„ curatoris ad præmiſſa pertractanda
„ nominantes, & deputantes. In quorum
„ fidem hęc manu noſtra ſubſcripſimus,
„ & majori officii noſtri ſigillo commu-
„ niri juſſimus. Vale. Dat..... die....
„ an....

37. Advertendum eſt I. Quòd hujuſmodi Litteras concedere *per ſe* ſit Miniſtri Generalis, ad quem ſpectat diſponere de rebus, quæ integrum Ordinem, & non hanc, vel illam tantùm Familiam reſpiciunt. Cauſæ verò Beatificationum, & Canonizationum totum Ordi-

Ordinem concernunt; *per accidens* verò, ac ex præſumpta voluntate Generalis poteſt eas concedere, etiam Commiſſarius Generalis, in caſu nimirùm, quòd Miniſter ſit abſens à Curia: ne negotium damnum patiatur, & ex defectu Poſtulatoris Cauſæ nequeant pertractari.

38. II. Quòd, dùm Miniſter Generalis agit in Regionibus remotis à Curia, in qua dictæ Cauſę pertractantur, expedit, ut in Litteris inſeratur clauſula ſub his terminis: *Ulteriùs tibi committimus, & poteſtatem impartimur, ut, caſu aliquo ceſſante à ſuo miniſterio Syndico per nos nominato, poſſis alium cum iiſdem facultatibus nominare uſque dum, Nos per te certiorati, alium nominemus; ne intereà Cauſa in defectum illius, qui ſumptus ex eleemoſynis faciat, in ſuſpenſo remaneat*. In quorum fidem, &c.

39. III. Gravitas negotii expoſcit, ut non quicumque reputetur aptus, & aſſumatur ad officium Poſtulatoris, ſe deputandus debet eſſe ſufficientis litteraturæ, & doctrinæ, ut capax ſit inſtructionis neceſſariæ ad munus congruenti modo implendum. Expedit enim, ut inſtruatur de meritis Cauſæ de eſſentia, & qualitate Virtutum, de natura miraculi, &c. ut

ſciat

ſciat rationem reddere, & difficultatibus reſpondere; vel, adminus poſſit Advocatis plura ſuggerere ad ſatisfaciendum objectis, quæ inter informandum audiuntur, & celerem merentur ſolutionem; vel, aliàs à Conſultoribus excitantur, ad quæ diſſolvenda eſt ſæpe neceſſarium, ut verſentur opera Patrum, ſcripta Doctorum, & antiquitatis monumenta; quæ ſunt extrà ſpheram activitatis rudis ingenii, ac vires ſuperant indocti.

Sciendumque in proviſione Poſtulatoris in ſtudiis exercitati, radicari remedium, parcendi ſumptibus: maximè, dum agitur de præſentatione, vel diſtributione Memorialium concernentium, vel propoſitionem Cauſæ, vel reaſſumptionem Scripturarum, aut poſtulationem Cardinalis Ponentis à S. Sede: cùm facili negotio à viro erudito hæc fieri poſſint, quin opus ſit implorare ſubſidium à Patrono Cauſæ; qui gratis ſuas operas exhibere minimè tenetur. & ubi exhibet, ſunt ſtipe compenſandæ.

Expedit pariter, ut Poſtulatori Socius aſſignetur, non ad alia diſtractus. In caſu enim concurrit cauſa illa neceſſaria, quæ à Clemente VIII. in decretis

de

de reformatione Regularium exigitur, ut à Generali Socius alicui permittatur: prout cuilibet poteſt eſſe perſpectum, quin alteriori lecturâ fatigetur.

Quæ omnia, & ſingula ſub cenſura ſint dicta. Eaque ſinceré, & ex animo ſubmitto infallibili judicio Romanæ Cathedræ; &, ſi opus ſit, retractanda retracto, ſequens ſententiam D. Bernardi *epiſt.* 174. *Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſanè dicta ſint, ſaniùs ſapientis; Romanæ Eccleſiæ præſertim auctoritati, atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ hujuſmodi ſunt, univerſa reſervo; ipſius, ſi quid alitèr ſapio, paratus judicio emendare. Ut quicumque iſta lecturi ſunt* (ut utar phraſi Auguſtini in *Prologum ad libros Retractationum*) *non me imitentur errantem, ſed in meliùs proficientem.* Deo Gratias ſemper: Amen.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

INDEX
RERUM.

A primo numero ad marginalem, à ſecundo ad paginam manuduceris.

Adminiſtratio.

BOnorum eſt à Superiore committenda Officialibus Conventus. 5. pag.6. Eſt jus adminiſtrandi res non alienando ſubſtantiam. 4. p.5.
Fratres Minores nequeunt adminiſtrare bona cujuſcumque ſine. 47. p.210.
Vide *v. Moniales*.

Alienatio.

Ad alienandas res Fratribus modo licito relictas non eſt opus beneplacito Apoſtolico. 7. *verſ. neque* p.46. & 8. 392.
Oppignoratio ſpecies alienationis. 29. p. 92.
Non poſſunt Fr. Min. alienare ornamenta pro divino cultu. 20. p.122.
Neque res pretioſas. 9. p.393.
Nec Capellas, & Sepulturas. 64. p. 320. & 20. p.429.

Amicus ſpirituales.

Differt à perſona interpoſita. 10. p.216.
Fratres iter agentes per loca aliqua poſſunt ſecum ducere Amicum ſpiritualem.6.p.248.
Ad Amicum ſpiritualem non debet auctoritativè recurri. 8. p.249.
Quinàm poſſint recurrere? 11. p.252.
Vide *v. Recurſus*.

Aromataria.

Fratres Minores retinent Aromatarias ad proprios uſus. 67. p.322.
Non poſſunt per ſe ipſos res illarum vendere. 88. p.343.
Cauthelæ, ut poſsit Syndicus illas vendere. 89. p. 345.
Nequeunt in Aromatariis retinere capſulas pro eleemoſynis. 91. p.347.

Beatificatio, & Canonizatio.

In Cauſis Beatificationum, & Canonizationum expenſæ neceſſariæ ſunt. 1. p.482.
Honoraria debita, regulanda à taxa Innocentiana. 3. p.484.
Sumptus pro impreſſione Scripturarum præfiniti. 4. *ibi*.
Pro hujuſmodi Cauſis Fratres licitè recurrunt

ad

ad Amicos ſpirituales. 5. p.486.
Hæretici mordent Beatificationes, & Canonizationes. 7. p.487.
Pecuniæ deputatæ pro una Cauſa, non debent alteri applicari, niſi de conſenſu Papæ. 16. p. 428.
Debent inveſtiri in locis Montium. 4. p.500.
Ex illis non emuntur cenſus. 5. *ibi.*
Neque pro ſumma gravi deponuntur in ædibus Montis Pietatis. 12. p.504.
Neque creantur cambia. 13. p.505.
Reſiduum pecuniæ, causâ abſolutâ, de licentia Papæ aliis uſibus deputatur. 19. p.508.
Cauſæ Canonizationum ſunt finibiles. 23. p.528.
Sunt de gravioribus Eccleſiæ. 1. p.482.
Exigua pecuniarum ſumma non inveſtitur in locis Montium. 25. p.429.
Pecuniæ manuales depoſitantur in Montibus Pietatis. *v. Verumtamen. ibi.*
Eleemoſynæ unius Cauſæ non ſtant pro cautione de reſtituendo, &c. 28. p.532.
Nec compenſant creditum Syndici. 32. p. 534
Credita, & debita Cauſarum non confunduntur. 33. p.535.

Bona temporalia.

Nequeunt haberi à Fratribus Minoribus, cum onere Miſſarum. 13. p.51.
Nec ſinè illo. 16. p.55.

Non poſſunt Fratres habere uſus poſſeſsionum. 5. p.43.
In Terris Infidelium poſſunt habere ſtabilia *v. Verum*. p.106.
Nequeunt Fratres habere vineas. 14. p.52.
Non omnia bona Apoſtatarum debentur Conventibus. 14. p.252.
Bona mariti, ſunt tacitè hypothecata uxori. 12. p.521.
Et illa Tutoris pro ſecuritate rerum pupillorum. 14. p.470.
Et illa Syndicorum pro ſecuritate eleemoſynarum. 16. p.471. & 7. p.518.
Uxor propter tacitam hypothecam in bona mariti anteponitur Creditoribus. 16. p.523.

Burſarius.

In rigore dicitur, qui burſam gerit. 1. p.243.
Eo nequeunt Fratres in itinere uti. *ibi*.
Sæpè confunditur cum Amico ſpirituali. 2. p.244.
Requiſita, ut ſub iſto quoque genere uſus illius Fratribus liceat. 3. p.245.

Calceamentum.

Nomine calceamenti venit, quod operit pedem. 4. p.111.

Capi-

Capitulum.

In Generali, vel Provinciali diſponendum; quæ res ſint viles, & parum valentes, &c. 10. *v. Licet.* p.81.
Ad Capitulum Generale quinàm accedant? 4. p.245.
Euntes ad Capitulum Generale pro expenſis providendi. 12. p.251.
Sumptus in itinere faciendi ſunt per Subſtitutum à Syndico. 7. p.423:

Capuccini.

Nequeunt bona immobilia retinere. 1. p.40.
Recipiunt à locis charitativa ſubſidia. 11. p.104.
Sunt capaces Legati pro divino cultu. 31. pagina 294.

Cautela.

Cautelæ ſervandæ, ut licitè congregetur oleum, vinum, & granum. 5. p.97.
Et in uſu deferendi bireta. 14. p.118.
Cautela in itinere à Fratribus ſervanda. 10. p.250.

Concionator.

Non prædicat, Epiſcopo contradicente. 40. p.166.
Poteſt inſtitui à Provinciali cum Definitorio, &c. *ibi.*
Voluntariè prædicans tenetur jejunare. 27. p.158.
Bis in anno commendat neceſsitates Terræ-Sanctæ. 27. p.198.
Circa eleemoſynas ſervat diſpoſita ab Innoc. XI. 30. p.199.

Conſtitutiones, & Decreta.

Decretum Congreg. Concil. circa Legata pro ornatu, & pitantia Fratribus relicta. 83. p.339.
Decreta eximentia Syndicos à juriſdictione ordinaria. 7. p.446.
Conſtitutio privilegians Syndicos Frat. Min. & S. Claræ, &c. 1. p.443.
Declaratio Conſtitutionis de largitione munerum, 18. p. 83.
Decreta à Papa approbata habent vim Legis univerſalis. 4. p. 265. & 7. p. 354.
Decreta S. C. Urbanæ quòad Legata, quæ unica ſolutione implentur. 4. p.267.
Et circa Legata facta Sacriſtiæ, &c. 8. p.270.
Decreta Sac. Congr. Urbanæ pro puritate ſer-

ſervanda in Religione Frat.Min. 53. p.312.
Decretum Congr. Rev. Fabricæ ſuper Legatis Fratrum Min. 71. p.324.
Conſtitutio Clementis X. ſuper Legatis in Turritana. 76. p.329.
Decretum in una Lucana pro Legatis factis Fratribus. 59. p.335.
Alterum Congreg. Fabricæ ſuper eodem. 80. p.336.
Decreta Congreg. Urbanæ ſuper capacitate Fr. Min. ad Legata. v. *Ad primum* p. 268. & n.9.p.272. & n.12. p.276.& n.26. p.290.

Contractus.

Ex contractu Legati duplex oritur obligatio. 47.p.307.
Conrractus Syndicus ſtipulat non nomine Fratrum. 26. p.440.
Emptionis, & venditionis non ſit ſinè pecunia. 25. p.88.
Contractus mutui juridici à Fr. Minor. non celebratur. 25. p.91.
Fratr. Min. non poſſunt paciſci pactione civili de mercede ſui laboris. 8. p.101.

Conventus.

Fundari non debent, niſi poſsint ex mendicato Religioſi ſuſtentari. 11. p.104.
A Communitatibus locorum poſſunt in eleemoſy-

moſynam recipi annuæ præſtationes *verſ. Sac. Congr.* p.105.
Fr. Min. non ſunt poſſeſſores amplorum Conventuum. 20. p.122.
Inquiſitio facienda in viſitatione Conventuum. 56. p.240.

Dominium.

Duplex, juriſdictionis, & proprietatis. 3. p.4.
Dominium propriè eſt facultas diſponendi de aliqua re. 6. p. 240.
Dominium in rebus uſu conſumptibilibus ab uſu diſtinctum. 10. p.34.
Domiuium rerum Fratr. Min. apud Dantes, vel Pontifices. 11. *ibi.*
Qualitas hereditaria trahit in hæredem dominium. 4. p.60.
Nequeunt Frat.concedere dominium Capellæ vel Sepulturæ. 64. p.320.
Nullus Religioſus poteſt in particulari habere dominium. 1. p.19.

Eccleſia. Sacriſtia.

Fratrum Minorum non poteſt inſtitui hæres. 8. p.64.
In Eccleſiis Fr. Min. non fiunt collectæ pecuniarum. 28. p.199.
Prohibentur in illis cippi, & trunci ad eleemoſynas reponendas. 38. p.204.

Valet legatum pro Sacriſtia. 9. p.272.

Electio.

Debet eſſe perſonarum habilium publico bono. 54. p.237.
Non poteſt eligi Superior in Ordine Minor. qui vitam communem non ſequatur. *ibi.*
Nec, qui viſus ſit contrectare pecunias, niſi ſit emendatus. *ibi.*
Electiones alter factæ ſunt irritandæ. *ibi.*

Eleemoſyna.

Quando dicatur ceſſare. 32. p.228.
Non debet eſſe indifferens ad neceſsitates, & non neceſsitates. 35. p.230.
Eleemoſyna pro uno Conventu data alteri non applicatur, niſi de licentia Provincialis. 58. p.241.
Fratres recipiunt per viam eleemoſynæ præſtationes Legatorum. 19. pag. 280. & 40. p.301.
Rogant humilitèr pro eleemoſyna accipienda à gravatis à Teſtatoribus. 41. p.304.
Quæ dicenda in fraudem paupertatis. *v. Dictum.* p.496.

Epiſcopus.

Fratres Minores promoti ad Epiſcopatum, ne-

nequeunt ſecum transferre res ſuis uſibus datas. 23. p.432.
Ex officio eſt Epiſcopus executor ultimarum voluntatum. 13. p.359.

Epiſtola.

S. Congr. Boni-Regiminis circa ſubſidia charitativa præſtanda à Locis Fr. Min. Capuccinis, & de Obſervantia. 11. p. 105. n. 35. p.299.
Alia S. Congr. Rev. Fabricæ ſuper capacitate Fratrum ad præſtationes Legatorum recipiendas. 16. p.279. & n.81. p.338.
Alia ejuſdem pro capacitate Fratrum ad recipienda bona ad effectum augendi hortum. 82. p.339.

Expenſæ.

Aliæ vivæ, aliæ mortuæ. 35. p.537.
Pro quotidianis ſumptibus Cauſarum Canonizationum pecuniæ debent eſſe manuales. 25. p.529.
Inter expenſas mortuas computantur honoraria exhibita Advocatis, &c. *verſ. Inter*. p.538.

Formula.

Qua ſolet peculium comedi. 9. p.9.

Et ad

Et ad calculum reducendi eleemoſynas, & expenſas à Syndico factas. 18. p.194.
Formula recurſus ad Dantem pecuniam. 8. p.215.
Et ad Depoſitarium. 9. p.216.
Et qua Fratres debeant ſe expropriare. 18. ad 22. p.254.
Et proteſtationis præmittenda à Fratribus occaſione Legatorum. 4. p.265.
Et litterarum patentum pro Syndico Conventus. 24. p.433.
Et pro Syndico Cauſarum Beatificationum, &c. 25. p.436.
Et quitantiæ faciendæ à Syndico. 26. p.439.
Et atteſtationis Fratrum de receptis pecuniis à Syndico. 27. p.440.
Et pro recurſu pro Cauſis Beatificationum, &c. 18. p.495.
Et pro nominando Poſtulatore Cauſarum Beatificationom, &c. 36. p.538.

Fratres Minores.

Eorum paupertas eſt altiſsima. 1. p. 19.
Non ſunt incapaces juris ſpiritualis. 4. p. 21.
Non poſſunt, invitis incolis, loca obtinere. 8. p.23.
Si unus in Mundo tantùm exiſteret, non eſſet dominus rerum. 12. p.25.
Fratres Minores res deſtruunt, quibus utuntur, de licentia Dantium, vel Papæ. 6. p.31.

Non

Non recipiunt res, niſi ad ſimplicem uſum facti. 8. p.33.
Deſtruentes panem non ſunt hujus domini. 9. p.34.
Nequeunt in judicio res defendere. 11. p.36.
Nec habere poſseſsiones. 1. p.40.
Nec annuos redditus. 2. p.41.
Nec domum ad locandum, &c. 3. *ibi.*
Non poſſunt nutrire oves, boves, &c. ad vendendum. 15. p.54.
Nec ſuccedere ab inteſtato. 16. p.55.
Neque inſtitui hæredes. 2. p.57.
Neque ſuccedere in minima portione hæreditatis. 5. p.60.
Nec contractus civiles celebrare. 1. p.70.
Neque emere in rigore. 2. *ibi.*
Nec in rigore vendere. 7. p.73.
Nec transferre dominium, Sepulturæ, &c. 14. p.77.
Nequeunt mutuum juridicum contrahere. 25. p.91.
Neque res Conventus oppignorare. 29. p.92.
Neque fidejubere. 31. p.93.
Nequeunt regere Scholas ſæcularium. 33. p.93.
Triplici modo poſſunt vitæ neceſſaria habere. 4. p.97.
Non debent vivere ex redditibus. 15. p.119.
Nec uti paramentis nimis pretioſis. 19. p.121.
Poſſunt in pretium laboris aliqua dare. 20. p.134.
Nequeunt eſſe Compatres. 5. p.141.

Bigan-

Bigantes peccant contra præceptum de non equitando. 7. p.145.

Sæpè Fr. Min. recipit licitè litteras cambiales 12. p.191.

Nequit habere pecunias apud Syndicum. 45. p.208.

Nec conſentire in depoſitum pro ſe fructum. 46. p.210.

Status Fr. Min. eſt pauperum, & humilium. 14. p.218.

Fratres tenentur ſcire, quæ Regula præſcribit. 44. p.234.

Fratribus non eſt concedenda generalis facultas recurrendi ad Amicos ſpirituales. 53. p.237.

Nequeunt nec per Syndicum exigere, ut ſibi debitas, præſtationes Legatorum pro Miſsis celebratis. 13. p.278.

Præſtationes Legatorum recipiunt in eleemoſynam. 36. p.298.

Frater Minor privatus non eſt capax Legati annui. 50. p.309.

Recipiunt ex gratia relicta à Teſtatoribus. 60. *v.Similitèr*. p.317.

Non poſſunt extinguere capitalia Legatorum. 3. & ſequen. p.351.

Nequeunt ſub pœna excommunicationis Legata exigere, &c. 75. p.328.

Nequeunt ſe componere cum hæredibus. 9. p.356.

Recipiunt res, quarum uſus facti eis non repugnat. 6. p.391.

Ne-

Nequeunt concedere mandatum Procuratori ad lites . 19. p.400.
Neque facere juridicas quietantias. 24. p.431.
Quo caſu poſsint recipere litteras cambiales , 12. p.191.
Fratres ſunt incapaces ad expreſſam hypothecam imponendam . 8. p.518.
Habent extra judicium actionem . 8. p.465.
Connumerantur inter miſerabiles perſonas . 12. p.468.
Nequeunt in judicio agere . 4. p.464.
Poſſunt extrajudicialitèr inſtructiones dare . 5. *ibi*.

Guardianus .

De licentia Generalis, vel Provincialis commutat res ſui Conventus . *v. Tertiò.* p.90.
Etiam Guardianus poteſt concedere licentiam pro tertia Tunica . 10. p.115.
Poteſt in aliquibus præcepti Regulæ diſpenſare . 58. p.178.
Tenetur providere neceſsitatibus Fratrum. 50. p.236.
Nomen Cuſtodis comprehendit Guardianos. 51. *ibi*.
Guardianus non poteſt applicare eleemoſynam alteri Conventui . 58. p.241.
Sinè commiſsione nequit Syndicum nominare . 3. p.419.
Debet de quamplurimis Syndicum inſtruere . 11. p.425.

Ha-

Habitus, & Tunica.

Judicium vilitatis habitus commiſſum Superioribus. *v. Ex eodem*. p.112. & 7. p.113.
Vilitas attenditur in pretio, & colore. 5. p.112.
Repeciationes habituum non debent eſſe monſtruoſæ. 6. p.113.
Fratres nequeunt inuſitatos habitus aſſumere. *ibi.*
Tertia tunica ſinè licentia, & neceſsitate interdicta. 8. p.114.
Conceſsio Julii II. de uſu tertiæ Tunicæ revocata. *v. Contra*. p.115

Hæreditas.

Dicitur ab hero. 1. p.56.
Fratres Minores nequeunt inſtitui hæredes. 2. p.57.
Hæres ſuccedit in univerſum jus defuncti. 5. p.60.

Hortus. Ager.

Fr. Minores licitè retinent hortos. 14. p.52.
Non ad vendendum hortalitia. *ibi.*
Nec Conventui non unitos *v. Sic eis*. p.53.
Neque habent agros ad locandum, &c. 10. pag.66.

Hoſpi-

Hoſpitium.

In ſimplici non poteſt eſſe Eccleſia, &c. 23. p.457.
Aliud accedit ad naturam Conventus. 14. p.458.
Simplex non habet Syndicum privilegiatum. 25. *ibi.*

Hypotheca. Creditores.

Tacita fit à lege. 14. p.470.
Relinquit actionem adverſus hæredes debitoris. 15. p.471.
Creditores aliii hypothecarii expreſsi. 11. p.521.
Alii habentes privilegium tacitæ hypothecæ. 12. *ibi.*
Creditores chirographarii cedunt poſterioribus hypothecariis. 40. p.520.
Creditores perſonales puri, & privilegiati. 15. p.522.

Jejunium.

Fr. Min. tenentur jejunare in die Natalis Domini, ſi occurrat in Feria ſexta. 22. p. 154.
Et in Feriis ſextis occurrentibus in tempore *Benedictæ*. 25. p.155.
Fratres tenentur jejunare, etiam anno 21. non-dum

dum expleto. *v.* R. *Affirmativè*. p.156.
Et in jejuniis abſtinere ab ovis, & lacticiniis 28. ad 35. p.158.
Etiam in Dominicis Adventus. 36. p.164.

Ignorantia.

Non datur ignorantia invincibilis ſuper obſervantia Regulæ. *v. Nec poteſt*. p.117.

Judex.

Judex executor Legatorum dicitur pater pauperum. 7. p.269.
Sententia Judicis quando requiratur ad pœnam incurrendam. 32. p.200. & *v. Quæri*. p.286.
Poteſt Judex aliis præſtationes applicare, ſi Fratres non indigeant. 42. p.304.
Judex non Conſervator procedens contra Syndicos Fratrum, & Monialium excommunicatur. 4. p.445.
Judex pronunciat ſuper expenſis factis pro aſſecutione crediti. 35. p. 537.

Jus.

Ubi jus reſiſtit, illicitum vitiat licitum. 7. *v. Hoc*. p.63.
Fr. Min. habent jus naturæ ad res neceſſarias pro vita conſervanda. 3. p.20.

Et jus petendi eleemoſynas. 6. p.23.
Implorare officium Judicis non ſupponit in Actore jus. 7. p.269.
Obligatio cameralis non lædit jus alterius. 19.p.525.
Religioſus eſt capax juris ſpiritualis. 2. p.3.

Labor.

Fratr. Minoribus non eſt præceptum, ut in manuali labore ſe occupent. 7. p.100.
Opera à Fratribus facta, ſunt ſub dominio Papæ. 9. p.102.
Nequeunt Fratres laborare ſinè commiſsione Superiorum. *v. Monendi*. p.103.

Lanificium.

Licitè retinetur pro uſu Fratrum. 15. p.79.
Cautela, ut à Syndico poſsit vendi pannus extrà Ordinem. *v. An verò. ibi*

Legata.

Ager Legatus pro neceſsitatibus Fr. Minor. vendi poteſt per Syndicum. 7. *v. Sic verò*. p. 46.
Legatum factum ſinè expreſsione modi liciti, ſub modo licito factum præſumitur. 8.p.47.
Valet Legatum factum in concreto pro infirmaria. 9. p.48. & 24. p.285.

Lega-

Legatum relictum Eccleſiæ Fratr. Minor. eſt nullum. 8. *v. A qua* p.65.
Sors principalis Legatorum non debet eſſe apud Fratres. 1. p.261.
Sed apud alios. 2. p.262.
Incapacitas ad Legata, abſoluta, & reſpectiva. 3. p.263.
Fratrum capacitas ad Legata unica ſolutione implenda. 5. p.267.
Valet Legatum pro fabrica Conventus, &c. 9. p.272.
Proprietas Legatorum non debet eſſe apud Fratres. *v. Alterum*. p. 273.
Legata pro Miſsis Fratribus directè facta ipſi non recipiunt. 12. p.276.
Fratres ſunt incapaces Legatorum annuorum ſinè onere. 26. p.290.
Executio piorum Legatorum eſt mixti fori. 44. p.306.
Non valet Legatum factum Religioſo particulari, hac lege, ut non acquiratur Monaſterio. 52. p.311.
Valet Legatum de conferendo Fratribus veſtiarium, &c. *v. Similitèr*. p.317.
Legata non poſſunt extingui. 72. p.325.
Legata facta in perſona Syndici caducantur. 12. p.371.
Legata Fratribus Minoribus directè relicta, vel Fabricæ, vel aliis debita. 16. p.375.
Legatum factum Eccleſiæ Fratrum cenſetur directè factum ipſi Fratribus. 19. p.378.

Legatum pium ſemper eſt adimplendum. 20. p.379.

Loca Montium.

Sunt Montes pecuniarum. 1. p.498.
Duplicis ſunt generis. 2. p.499.
Pecuniæ pro Cauſis Beatificationum, &c. inveſtiuntur in locis Montium. 3. *ibi.*
Loca Montium ſunt aſſecurata auctoritate Principis. 8. p.502.

Miniſter Generalis, & Provincialis.

De quorum conſilio Syndicus res commutat extrà Ordinem. 23. p87.
Generalis commutare poteſt data uni Provinciæ. 26. p.89.
Provincialis data uni Conventui alteri poteſt applicare. *v. Secundò. ibi.*
Fratres ſinè licentia Generalis, vel Provincialis nequeunt res commutare. 26. *v. Caveant.* p.90.

Miſſa.

Legata cum onere Miſſarum non caducantur. 11. p.67.
Fr.Min. nequeunt retinere capſulas pro Miſsis cele-

celebrandis. 38. p.204. & 68. p.322.

Per Syndicum recipiunt eleemoſynas pro Miſſis. 39. p.205.

Miſſæ celebrari debent in Eccleſia à Teſtatore electa. 22. p.282.

Cùm Fratres non egent, poſſunt Miſſæ per alios celebrari. *v. Quod*. p.283.

Sacerdotes in Eccleſia Fratrum celebrantes pro ſatisfactione Legatorum tenentur ad expenſas pro luminibus, &c. *ver. Verùm*. p.284.

Syndicus exhibet preces S.C. C. pro riductione Miſſarum. 20. p.401.

Moniales. Monaſterium.

Nequeunt habere redditus. 15. & 16. p.15.

Nec retinere ſub clave pecunias. 17. p.141.

Appellatione Monaſterii veniunt Clauſtrum, &c. 4. p.141.

Fratres Minores non poſſunt adminiſtrare bona Monaſteriorum Monialium. 47. p. 210. & 22. p.456.

Ipſarum Syndici, vel Procuratores conveniuntur coram Judice Conſervatore. 3. pagina 444.

Procurator Monialium ab illis eligitur. 21. p.455.

Mons Pietatis.

Lucæ erigitur à B. Bernardino Feltrenſi. 9. p.489.
Dominium pecuniarum depoſitatæ in Montibus Pietatis, non eſt apud Montes. 12. p.504.

Munera, dona.

Fr. Minores nequeunt donare. 16. p.80.
Cum licentia poſſunt extra Ordinem dare parùm valentia, &c. *v. Licet*, p.81.
Recipientes dona à Regularibus non abſolvuntur, niſi facta reſtitutione. *v. Munera.* p. 84.

Neceſſitas.

Neceſsitas ſpiritualis reſpicit, etiam Cauſas Canonizationum. 10. p.490.
Neceſsitas futura non ſatis ad recurſum. 29. p.227.
Ad equitandum debet eſſe manifeſta. 19. pagina 151.
Debet à Superiori approbari. *v. Advertendum.* p. 152.
Neceſsitas, & licentia Superioris debet adeſſe pro uſu licito tertiæ tunicæ, vel ſtamineorum. 8. p.114.

Neceſ-

Neceſsitas excuſans ab jejunio. 26. p. 157.
Neceſsitates aliæ comprehenduntur ſub illis infirmorum, & de Fratribus induendis. 1. p.213. & 12. p.491.
Neceſsitas pro recurſu debet eſſe proportionata ſtatui Fratrum. *v. Quapropter.* p.219.
Neceſsitas non eſt conſideranda aſperè. 15. *ibi.*
Neceſsitas perſonalis, & communitatis. 17. p.220.
Fratres poſſunt neceſsitati ſatisfacere, *ſtrictè*, & *accommodè*. 20. p.222.
Judicium neceſsitatis eſt Superiorum. 15. p.219. & 22. p.223.
Neceſsitas imminens de proximo apparet. 28. p.227.

Novitius.

Novitiis non concedendæ laneæ particulæ. 12. p.116.
Novitios poſſunt recipere Vicarii Provinciales. 41. p.167.
Non omnes ad Ordinem ſunt recipiendi. 42. *ibi.*
Obſervanda ſunt in receptione Novitiorum diſpoſita ab Innoc. X. 43. p.168.
Solus Provincialis non poteſt ad Ordinem recipere. 46. p.169.
Provincialis non ſuffragatur ſuper habilitate Novitii exiſtentis in Conventu Novitiatus. 47. p.170.

Nec habet deciſivum . 49. p.172.
Definitoribus præſentibus alii non ſubrogantur . 50. p.172.

Officium Divinum.

Laici tenentur recitare Officium Orationum Dominicalium . 38. p.165.
Satisfaciunt alternatim dicendo . 39. p. 166.

Obſervantes, Reformati.

Recipiunt à locis ſubſidium charitativum pro pitantia, & veſtimentis . *v. Item*. p.106.
Sunt capaces Legatorum, quæ unica ſolutione præſtantur. *v. Ad I.* p.268.
Et Legati facti pro Sacriſtia, &c. 9. p.272.
Et Legati facti pro Divino cultu . 29. p.293.
Et pro pitantia . 36. p.298. & 37. p.299.
Et pro veſtiario. 38. & 39. *ibi.*
Reformati in alienatione rerum pretioſarum egent beneplacito Apoſtolico . 10. p. 393.
Vide *v. Fr. Min. & Legata.*

Paramenta, Divinus cultus, & ornamenta.

Paramenta Fratrum Minor. non debent eſſe nimis pretioſa . 19. p.121.
Valet Legatum factum pro divino cultu in Eccle-

Eccleſiis Fratrum. 29. p.293.
Et pro ornamento Eccleſiæ Fratr.59. p.335.
Opus reſpiciens divinum cultum eſt privilegiatum. 14. p.359.

Paupertas, Mendicitas.

Religioſa excludit dominium rerum. 2. p.3.
Item, poſſeſsionem, adminiſtrationem, &c. 4. p.5.
Paupertas alta, altior, & altiſsima. 1. p. 19.
Eamdem profitentur Obſervantes, Reformati, & Capuccini. 2. p.20.
Paupertas Religioſorum eſt diſtincta ab illa mendicorum hujuſmodi. 2. p.20.
Illa Fr. Minorum nihil habet in communi. 10. p.24.
Pauper eſt, qui nihil juris in re, vel ad rem habet. 2. p.110.
Incerta mendicitas petit, ut nihil certi habeatur. 3. p.364.

Peculium, Pecunia. Denarii.

Peculium unde dictum. 7. p.8.
Pecunia inſtituta eſt pro pretio rerum. 10. p.75.
Fr. Min. uſus pecuniæ interdictus. 25. p.88.
Appellatione denarii venit moneta. 1. p. 125.
Moneta eſt metallum auctoritate Principis ſignatum. 3. p.126.

Monetæ

Monetæ deſignatæ in coiro non erant monetę formalitèr. 5. *ibi*.
Forma monetæ ſtat in ſigillo, & imagine Principis. 6. p.127.
Pecunia à pecore dicta. 7. p.128.
Uſus pecuniæ triplex. 8. *ibi*.
Pecunia non eſt, quidquid poteſt numeraro nummo æſtimari. 9. p.129.
Pecunia, & denarii reciprocantur. 8. p.129. *v. Varias*. & 37. p.204.
Præceptum de non recipiendis pecuniis eſt capitale in Religione S.Franciſci. 1. p.185.
Recipit denarios per ſe, qui recipit in propria perſona. 2. p.186.
Recipit per interpoſitam perſonam, qui alium conſtituit, ut denarios recipiat. 3. *ibi*.
Eſt Fratribus prohibita civilis contrectatio pecuniæ. 4. p.187.
Non verò purè naturalis. 7. p.189.
Nec ſolum materialis. 11. p.190.
Neque ut eſt res proximi. 9. p.189.
Non poſſunt Fratres præcipere, quòd pecunia expendatur, &c. 14. p.192.
In locis Infidelium poſſunt pecunias recipere. 42. 43. & 44. p.206.
Apud Syndicum nequeunt habere pecunias à maſſa communi ſeparatas. 45. p.208.
Pecuniæ determinatæ ad unum uſum non poſſunt in alios erogari. 3. p.273. & 16. p.428.
Pecuniæ neque apud Superiores Min. eſſe poſſunt. 66. p.322.
Titu-

Titulus aliquid recipiendi ex pecuniis mutuò datis. 15. p.507.
Res adepta per pecuniam mutuata, manet tacitè hypothecata mutuanti. 12. p.521.
Pecuniæ exiſtentes reddendæ ſunt Domino. 21. p.526.

Pœna.

Pro Religioſis largientes munera. 20. p.85.
Lex pœnalis extenditur. 13. p.148.
Etiam, dum lata eſt favore animæ. 14. p.148.
Privatio actuum legitimorum. 31. p.200.
Pœna impoſita per clauſulam *ipſo facto*. 32. *ibi.*
Et illa, *abſque aliquo juris, aut facti* miniſterio. *v. Ubi*. p.288.
Pœna inhabilitatis, & vocis incurritur abſque declaratione. 32. p. 201. & *ver. Quo verò*. p.288.

Præceptum, Conſilium.

Præcepta formalia Regulæ Fr. Min. 1. p.139.
Et inhibitoria. 3. p.142.
Et habentia vim præcepti. *ibi.*
Et æquipollentia. 5. p.143.
Præceptum de non equitando comprehendit, etiam iter facere bigis, & quadrigis. 7. p.145.
Non verò, ſi iter fiat in ratibus equis tractis. 18. p.151.

Fr. Min.non tenentur ad omnia conſilia evangelica. 51. p.173.
Admittendus ad habitum inſtrui debet de præceptis Regulæ. 52. p.174.
Itâ de admittendo ad profeſſionem. 52. *ibi*.
Ad diſpenſandum in præceptis duo requiruntur. 57. p.177.
Et duo ad præcepta interpretanda. *60*. p.179.
Minus præceptum cedit majori. *63*. p.181.

Poſtulatores.

CauſarumCanonizationum non aſſiſtunt cum Syndico in Curiis. *29*. p.532.
Nec computus juridicos requirunt à Syndico. 30. p.533.
Cum Syndico agunt pro expenſis deprecativè. 31. p.534.
Poſtulatores deputat Miniſter, & ex ejus voluntate Commiſſarius Generalis.*37*. p.540.
Pro officio Poſtulatoris non quicumque eſt idoneus. *39*. p.541.
Habilitas Poſtulatoris eſt in remedium parcendi ſumptibus. *v.Sciendumque .ibi.*
Eſt ei aſſignandus ſocius. *v. Expedit. ibi*.

Privilegium.

Habent Fr.Min. privilegium non ſolvendi gabellas. 5. p.22.
Et petendi eleemoſynas. *6*. p.23.

Ordo

Ordo ſemper rejecit privilegia relaxativa puritatis Regulæ. 10. p.355.
Privilegia Syndicorum. 2. p.443.
Privilegia depoſiti regularis. 17. p.472.
Syndicis privilegia data in præmium laboris. 26. p.459.

Proprietas.

Peccari poteſt in ſimplici uſu facti. 13. p.3.
Tacita licentia poteſt excuſare. 19. 84.
Etiam proprietas uſus eſt procul à Fr. Minor. 2. p.96.

Proteſtatio.

A Fr. Min. facienda occaſione Legatorum. 10. p.49.
Proteſtatio Auctoris. *v. Quæ omnia*. p.543.

Quæſtus. Quæſtores.

Pecuniarum Fratribus prohibitus. 21. p.196.
Quæſtores pecunias nequeunt petere. 36. pagina 203.
Res commodè mendicabilis per quæſtuationem. 33. p.229.

Recurſus.

Pro neceſſitatibus veris recurritur per Fratr.
ad

ad Amicos ſpirituales. 1. p.213.
Recurſus diſtinguitur à mendicatione. 8. pagina 214.
Neceſſitas pro recurſu non debet eſſe extrema. 13. p.218.
Nequit recurri pro rebus ſuperfluis, curioſis, & pretioſis. 14. *ibi*.
Poteſt recurri pro carnibus. 18. p.221.
Et pro pertinentibus ad Divinum cultum. 24. p.225.
Ac pro libris ſcribendis. 28. p.227.
Ac pro Eccleſiis conſtruendis. 23. p.225.
Fratres poſſunt de licentia Superiorum recurrere ad Amicos ſpirituales. 52. p. 237. & 55. p.239.
Licitè recurrunt ad Amicos ſpirituales pro ſumptibus in Cauſis Canonizationum. 5. p.486.

Redditus.

Formalis, & virtualis uterque prohibitus Fr. Min. 4. p.42.
Redditus relevant mendicitatem Fratrum. *v. Propterea*. p.45.
Fratres Minores nequeunt habere annuos redditus. 58. p.315.
Neque in perſona Syndici. 55. p.314.

Regula Fratrum Minorum.

Nullus Fratrum abſolvitur ab ejuſdem obligationibus. *v. Ponderandum*. p.116.
Vovens Regulam S. Franciſci tenetur ad veſtimenta, quæ præſcribit. *v. Conſtat.* p.117.
Non datur ignorantia invincibilis ſuper obſervantia Regulæ. *v. Nec poteſt. ibi*.
Non eſt contra Regulam uti galero. 13. p.118.
Nec uti ſecundo capuccio, vulgò *capparuccia*. *v. Quod. ibi*.
Neque deferre bireta: ſed ibi cautela. 14. *ibi*.
Ex Regula Fr. Minores non arctantur ad penurioſos uſus circa omnia. 16. p.120.
In Regula Fr. Min. pro eodem ſtant denarii. & pecuniæ. 8. *v. Varias*. p.129. & 22. p.135.
Regula prohibet ſuſpectum conſortium. 29. p.139.
Expoſitio litteralis Regulæ non prohibita. 15. p.150.
Ordo ſemper rejicit privilegia relaxativa puritatis Regulæ. 10. p.357.
Non repugnat Regulæ Fr. Min. quòd Syndicus recipiat pecunias. 24. p.404.
Regula Fratrum non eſt inobſervabilis. 13. p.491.

Romanus Pontifex.

Habet dominium rerum, quibus utuntur Fr. Min. 9. p.63.

Et pecuniarum pro Fratribus oblatarum . 23. p.402.
Cùm quidquam ſtatuit contra Concilium, intelligitur derogare diſpoſitis à Concilio. 14. p.451.

Sedes Apoſtolica.

Dominium rerum Fr. Minor. eſt apud Sedem Apoſtolicam . 1. p.28.
Eſt adeunda à Fratribus, ſi locationi tradant domum, &c. 8. *v. Cæterum* . p.48.
In ipſam tranſit dominium pecuniæ oblatæ pro Cauſis Beatificationum, &c. 19. p.508.
Non poteſt ab ullo in obligationem adduci. 22. p.476.

Superior. Prælatus.

Tenetur Religioſis de neceſſariis providere. 6. p.8.
Non debet concedere ſubdito uſum rerum indeterminatè . 14. p.38.
Tenetur curare, ut communitates pannorum erigantur . *v. Satagant* . p.119.
Superior poteſt diſpenſare in præceptis Regulæ, ſed non in omnibus . 45. p.176.
Et interpretari præcepta . 58. p.178.
Superior nimis rigidus animas præcipitat. 66. p.182.
Non poteſt pro ſe habere pecunias apud Syndicum. 45. p.208.

Ad Prælatum pertinet judicium de neceſſitatibus . 53. p.237.

Suſpectum conſortium .

Prohibetur in Regula Fr. Min. 2. p.139.
Complementum probationis eſt admonitio Prælati . 2. p.140.
Monitus non purgatur ex honeſtate fœminæ . *v. Quatenus . ibi.*

Syndicus Apoſtolicus .

Non poteſt uſum poſſeſſionum recipere, ut redditus Fratribus Minoribus tribuat . 6. p.44.
Vendit res Fratribus relictas . 8. p. 73. & 15. p.79.
Celebrat pacta cum laborantibus pro Fratribus Minoribus . 17. p.81.
Res commutat juxta conſilium Generalis, vel Provincialis. 23. p.87. & 26. *v.Poſſe.* p.90.
Ab ipſo venduntur opera à Fratribus facta . 9. p.102.
Exigit in judicio Legata pro Sacriſtia , &c. *v. Ad II.* p.273.
Poteſt Syndicus , tamquam unus de populo inſtare , ut voluntas Teſtatoris impleatur . 21. p.281.
Non poteſt habere redditus , ut Fratribus miniſtret . 4. p.365.

Neque ut tertia perſona . 6. & 7. p.368.
Neque eſſe adminiſtrator fructuum pro Fratribus. 17. p.376.
Syndicus dictus Apoſtolicus duplici titulo. 1. p.383.
Ex facultate nominandi Syndicos nulla diſpenſatio in Regula . 2. p.384.
Diſpoſitio Martini, & Pauli nominandi Syndicos non eſt contraria declarationibus Nicolai, & Clementis . 3. p.387.
Non eſt perſona interpoſita Fratrum.4.p.388.
Poteſt res in judicio exigere . 12. p.396.
Syndicus dat Mandatum Procuræ Procuratori ad lites . 16. p.398.
Non poteſt pecunias ad ſuum libitum expendere . 28. p.407.
Cum Syndico Fratribus prohibita actio auctoritativa . 29. p.408.
Computus, qui redduntur à Syndico, non ſunt juridici . *v. Et ſi* . p.412.
Syndici parificantur cum Subſtitutis Donantium . 42. p.413.
Uſus Syndici eſt modus proviſus pro puriori obſervatione Regulæ. 43. p.414.
Syndicos nominant Generalis, Provinciales, & Officiales Curiæ . 1. p.418.
Syndicus poteſt nominare Subſtitutum . 6. p.422.
Syndicus à Superiore nominatus accipit auctoritatem à Papa . 10. p.425.
Res oblatas pro Fratribus adminiſtrat nomine Papæ. 11. p.426.
Quie-

Quietantias non facit nomine Fratrum. 20. p.429.
Unicus Syndicus pro unoquoque Conventu. 5. p.420.
Quilibet Conventus eget Syndico. 44. p.415.
Syndici conveniuntur coram Judice Conſervatore. 2. p.443.
Clerici, Syndici, gaudent privilegio fori. 11. p.448.
In Cauſis Canonizationum novus Syndicus nominatur, ſi periculum immineat decoctionis Syndici prius nominati. 2. p.514.
Debet novus Syndicus inſtare pro recuperatione pecuniæ. 5. p.517.
Habet Syndicus actionem contra ex-Syndicum. 7. p.465.
Et ejus hæredes. 13. p.469.
Bona Syndici ſunt hypothecata pro ſecuritate eleemoſynarum. 16. p.471.
Eleemoſynæ non conferuntur Syndico ad effectum negotiationis. 17. p.472.
Syndicus admittitur in concurſu Creditorum. 20. p.475.
Ex-Syndicus poteſt conveniri, etiam coram Judice Laico. 23. p.478.
Non obſtat puritati Regulæ conſignare pecunias Syndico, ab iſto non præſtita cautione, &c. 26. p.530.
Syndicus Provinciæ, & Religionis gravia incommoda ſubit. 27. p.459.
Procuratores Benefactores non gaudeat privi-

legiis Syndicorum, niſi ſpiritualibus. *ver. Damnanda*. p.460.
Syndici tempore interdicti poſſunt admitti in Eccleſiis Fratrum, &c. 19. p.453.

Terra-Sancta.

In Concionibus commendandæ neceſſitates locorum Terræ-Sanctæ. 27. p.198.
Eleemoſynæ collectæ aſſervandæ ſub duplici clave. 4. p.515.
Si Syndicus haberi non poſſit, poſſunt Fratres in dictis locis pecunias recipere. 42. p.206.
Fratres legitimè recurrunt ad Amicos ſpirituales pro conſervatione locorum Terræ-Sanctæ. 6. p.487.
Tenetur curare, nè eleemoſynæ pro illis expilentur. 5. p.515.

Teſtamentum. Teſtator.

Nullum eſt, in quo Fr.Min. inſtituuntur hæredes. 10. p. 66.
Fr. Minores non tenentur ad obſervantiam Teſtamenti S. Franciſci. 6. p.99.
Nequeunt eſſe Executores teſtamentorum. 25. p.89.
Religioſi nequeunt teſtari. 10. p.370.
Intentio Teſtatoris eſt, ut Miſſæ in Eccleſiæ Fratrum non celebrentur à Sacerdotibus ſecularibus. *v. Nec*. p.378.

Viſi-

Viſitator.

Debet inquirere ſuper neceſſitatibus à Superiore locali Subditis conferendis. 56. pagina. 240.

Votum.

Vota ſubſtantialia Religionum, obedientia, paupertas, caſtitas. 2. p.1.
Vota Religionum obligant ſecundùm intentionem Fundatorum. *v. Ad hæc*. p.116.
Obſtrictus voto ad aliquid dandum Fratribus Minoribus. 48. p.308.

Uſura.

Propter periculum ammittendi ſortem, nihil poteſt ſupra eam recipi. 15. p.505.
Neque ex hoc, quòd Negotiator, pecuniis receptis, lucratur. 17. p.507.

Uſus.

Uſus-fructus quid. 4. p.6.
Uſus juris, & ſimplex facti. *ibi.*
Uſus ſimplex facti ſeparatur à dominio. 4. p. 30.
Uſus juris naturalis eſt diſtinctus à dominio. 5. p.31.

In

In rebus, quæ uſu conſumuntur, uſus à dominio diſtinguitur. 10. p.34.
Fr. Min. nec quoad uſum facti ſunt capaces proprietatis. 39. p.97.
Tenentur ad uſus arctos in Regula expreſſos. 1. p.109.
Uſus arcti in Regula Fratr. Min. expreſſi. 3. p.111.
Uſus moderatus reſpectu eorumdem. *v. Diſtinguendi*. p.153.
Legata pro uno uſu in alios non convertenda. 10. p.274. & 33. p.296.
Uſus poſſeſſionum Fratribus Minoribus prohibitus, etiam in perſona Syndici, quid includat. 17. p.376.

En finis Opuſculi, & Laboris, in ejus honorem, & gloriam, cujus Regni non erit finis.

424,543

		Errores	*lege*.
Pag. 4.	lin.16.	domos	domus
pag. 44.	lin.20.	eſſer	eſſet
pag. 50.	lin.18.	eſſent	eſſet
pag.113.	lin. 1.	veritas	vanitas.
pag.185.	lin.12.	ad	ab
pag.461.	lin. 7.	cedentem	cadentem.

Si quæ alia emendanda occurrant, prudentia Lectoris caſtiget.

MAG 201344

Digitized by Google

Digitized by Google

424543

Digitized by Google